ANNO XXVIII. - N. 1 — Die 1 Ianuarii 1914

30

EPHEMERIDES LITURGICAE

PUBLICATIO MENSILIS

CURA ET STUDIO PRESBYTEROR. CONGREGATIONIS MISSIONIS

PRETIUM SUBNOTATIONIS ANNUAE
Pro Italia, Lib. 10 — Pro exteris regionibus, Lib. 11.
Pro unoquoque numero, Lib. 1.

Fili hominis, pone cor tuum et . . . auribus tuis audi omnia, quae ego loquor ad te, de universis caeremoniis domus Domini, et de cunctis legibus eius.
Ezechiel, 44, 5.

Tanti refert ut, quae Ecclesia de sacra Liturgia decernit, probe cognoscantur et observentur, quanti ut sancta sancte tractentur, et fidelium pietas sacrorum maiestate augeatur.
Ex Leonis Pp. XIII, 10 Maii 1899.

Directio et Administratio
Roma - 49 Piazza di S. Apollinare 49.

41143

= SUMMARIUM =

Commentarium in novissimas Rubricas iuxta Motu-proprio SS. d. N. Pii Pp. X « Ab hinc duos annos » et subsequens S. R. C. Decretum 28 Octobris emendatas . . . . *Pag.* 3

Archaeologia Liturgica. De Statione ad Sanctum Petrum in secunda Dominica post Pascha . . . . » 19

Dissertatio Liturgica. De reformatione Romani Breviarii et Missalis » 23

Varia de re Liturgica. De iis quae permittuntur et prohihentur in cultu Servorum Dei nondum beatificatorum vel canonizatorum » 30

Consultationes . . . . » 39

Breviora responsa . . . . » 44

Censura Liturgica . . . . » 47

Appendix ad Caeremoniale Parochorum . . . . » 58

Apud administrationem *Ephemeridum Liturgicarum* venumdatur **Specimen Kalendarii Universalis Ecclesiae pro anno Domini MCMXIV ad normam Constitutionis Apostolicae** " Divino afflatu „ Ss. D. N. PII Papae X . . . . Lib. 0,50

ANNO XXVIII 1914

EPHEMERIDES LITURGICAE

PUBLICATIO MENSILIS

CURA ET STUDIO PRESBYTEROR. CONGREGATIONIS MISSIONIS

PRETIUM SUBNOTATIONIS ANNUAE
Pro Italia, Lib. **10** — Pro exteris regionibus, Lib. **11**.
Pro unoquoque numero, Lib. **1**.

Fili hominis, pone cor tuum et . . . auribus tuis audi omnia, quae ego loquor ad te, de universis caeremoniis domus Domini, et de cunctis legibus eius.

EZECHIEL, 44, 5.

Tanti refert ut, quae Ecclesia de sacra Liturgia decernit, probe cognoscantur et observentur, quanti ut sancta sancte tractentur, et fidelium pietas sacrorum maiestate augeatur.

Br. LEONIS PP. XIII, 10 Maii 1899.

Directio et Administratio

Roma - 49 Piazza di S. Apollinare 49.

KALENDIS IANVARIIS

ANNO MCMXIV

HUIUS EPHEMERIDIS SANCTA DVLCEDINE MENTES
LECTORVM REPLEAS VIRGINIS O SOBOLES
QUEIS DIVINE PVER TRIBVAS TRADUCERE VITAM
IN SACRIS STVDIIS ATQVE MINISTERIIS

(B. V.)

COMMENTARIUM

in novissimas Rubricas iuxta Motu proprio SS. D. N. Pii Pp. X "Ab hinc duos annos„ et subsequens S. R. C. Decretum 28 Octobris emendata.

PROLOQUIUM

In harum Ephemeridum numero Decembris proxime elapsi, illustravimus dispositiones contentas in Motu Proprio « Ab hinc duos annos » et in subsequenti S. R. C. Decreto 28 Octobris 1913; sed dispositiones istae, summarie traditae in decreto, non sunt verae Rubricae, ut aliqui putaverunt, distinctae atque adamussim determinatae, sed tantummodo principia ad quorum normam novissimae Rubricae erant conficiendae.

Itaque, mutationes in Rubricis novissimis nunc illustrare suscipimus, in commodum eorum, qui nostrum Commentarium in Constitutionem « Divino afflatu » et alterum in Tabellas Occurrentiae et Concurrentiae prae manibus habent.

Et primum sint mutationes in Calendario Universali quod habetur in Breviario Romano, inducendae.

Dominica inter Circumcisionem et Epiphaniam – Ss.mi NOMINIS IESU, *duplex II classis* (1).

2 Ianuarii – Octava S. Stephani, *simplex*.

3 » – Octava S. Ioannis, *simplex*.

4 » – Octava Ss. Innocentium, *simplex* (2).

19 » – Ss. Marii, Marthae, Audifacis et Abachum Mm., *simplex*. Com. S. Canuti Regis, Mart. (3).

Ad finem Ianuarii dele Festum Ss.mi Nominis Iesu.

19 Martii - S. IOSEPH, SPONSI B. MARIAE VIRG., Conf., *Duplex II classis* (4).

Ad calcem mensis Aprilis sic lege:

Feria IV infra Hebdomadam II post Octavam Paschae – SOLEMNITAS S. IOSEPH, SPONSI B. MARIAE VIRG., CONF. ET ECCLESIAE UNIVERSALIS PATRONI, *duplex I classis cum Octava.*

Feria IV infra Hebdomadam III post Octavam Paschae – DIES OCTAVA S. IOSEPH, *duplex maius* (5).

10 Iunii – S. Margaritae Reginae, Viduae, *semiduplex.*

A die 23 ad 30 Iunii omnia ponantur ut in Breviariis ante anuum 1911 editis, et ad finem mensis omittantur Vigilia et Nativitas S. Ioannis Baptistae (6).

1 Iulii – PRETIOSISSIMI SANGUINIS D. N. I. C., *duplex II classis*. Com. diei Octavae S. Ioannis (7).

8 Iulii – S. Elisabeth Reginae, Viduae, *semiduplex.*

Ad finem Iulii dele Festum pretiosissimi Sanguinis.

11 Augusti – Ss. Tiburtii et Susannae Mm., *simplex.*

12 » – S. Clarae Virg., *duplex*.
13 » – Ss. Hippolyti et Cassiani Mm., *simplex*.
14 » – Vigilia. Com. S. Eusebii Conf.

16 » – S. IOACHIM, PATRIS B. MARIAE VIRG., CONF., *duplex II classis* (8).
17 » S. Hyacinthi Conf., *duplex*. Com. Octavae Assumptionis ac diei Octavae S. Laurentii.

24 » – S. BARTHOLOMAEI AP., *duplex II classis* (9).
25 » – S. Ludovici Regis, Conf., *semiduplex*.

Ad finem Augusti, sicut et ad finem Septembris et Octobris, deleantur Festa mobilia ibidem assignata.

2 Septembris – S. Stephani Regis, Conf., *semiduplex*.

9 » – S. Gorgonii Mart., *simplex*.
10 » – S. Nicolai de Tolentino Conf., *duplex*.
11 » – Ss. Proti et Hyacinthi Mm., *simplex*.
12 » – Ss.mi NOMINIS MARIAE, *duplex maius*.
13 » –
14 » – EXALTATIO S. CRUCIS, *duplex maius*.
15 » – SEPTEM DOLORUM B. MARIAE VIRG., *duplex II classis*. Com. S. Nicomedis Mart (10).

1 Octobris - S. Remigii Ep. et Conf., *simplex* (11).

7 » - Ss.mi ROSARII B. MARIAE VIRG., *duplex II classis*. Com. S. Marci Papae et Conf., ac Ss. Sergii et Socior. Mm. (12).

27 Decembris - S. IOANNIS AP. ET EV., *duplex II classis cum Octava*. Com. Octavae Nativitatis.

28 Decembris - Ss. INNOCENTIUM MM., *duplex II classis cum Octava*. Com. Octavae Nativitatis.

29 Decembris - S. Thomae Ep. et Mart., *duplex*. Com. Octavae Nativitatis.

30 Decembris - De Octava Nativ., *semiduplex*.

31 » - S. Silvestri I Papae et Conf., *duplex*. Com. Octavae Nativitatis (13).

COMMENTARIUM.

(1) Festum Ss. Nominis IESU, quod ex praecepto Innocentii xiij celebratum est hucusque Dominica ij post Epiphaniam, cum inde expungi deberet, eo quod nullum festum, etiam Domini, deinceps in Dominica assignari fas erit, uti praescribitur in Motu Proprio « Ab hinc duos annos », n. 1, opportune in Dominica, quae occurrere potest a Circumcisione usque ad Epiphaniam, assignatum fuit. Nec est mirandum, si a Dominica praedicta ij post Epiphaniam ablatum, in alia Dominica assignetur hoc Festum, nam, uti notavimus in Commentario ad S. R. C. Decretum (V. *Ephem. Lit.* mensis Dec., p. 720), nullum festum quidem in Dominica assignari debet, ne officium Dominicale perpetuo impediatur, attamen, ut omnibus notum est, Dominica quae occurrere potest a Circumcisione ad Epiphaniam, non habet amplius officium, cum officium suum antiqui in Vigilia Epiphaniae reposuerint, ideoque, opportunissime festum Ss. Nominis in

ea positum fuit, exultante cl. Dom. Cabrol, non tantum quia illi Dominicae, quae *vacans* vocatur, datur officium Domini, sed etiam quia hoc modo festum ipsum, quod antiquitus colebatur die 1 Ianuarii, uti hodie adhuc faciunt Romae Patres Societatis Iesu in sua ecclesia, proxime post diem proprium reductum fuit. Quod si nulla Dominica occurrat iis diebus, scilicet quando annus habet litteram dominicalem A, F vel G, tunc officium Ss. Nominis celebratur die 2 Ianuarii, tamquam in sua die. Igitur, si Vigilia Epiphaniae est Dominica, in ea profecto agitur festum de Ss. Nomine, est enim festum Domini non solum, sed est quoque duplex 2 classis; attamen in casu agenda est commemoratio ipsius vigiliae.

Notandum tamen est, quod si festum Ss. Nominis occurrit, sive die 2 sive die 5 Ianuarii, de ipso non fit commemoratio, neque in secundis Vesperis Circumcisionis, neque in primis Epiphaniae, ob identitatem mysterii.

Sicubi tamen in ipsa Dominica, quae die 2, 3 et 4 occurrat, celebretur festum, quod Ss. Nomini Iesu praeferri debeat, et non sit Domini, ex. gr. s. Genovefae Parisiis, in eo, fit commemoratio Dominicae in utrisque Vesperis et Laudibus, per antiphonam, ℣. et Orationem de Dominica infra Octavam Nativitatis, de qua tamen non legitur IX lectio.

Haec dispositio, quae habetur in Rubricis specialibus, posita fuit, ne in die Dominica ulla, nisi de Domino, cui peculiariter dicata est dies ipsa Dominica, fiat commemoratio. Esto quod occurrente festo s. Stephani, vel s. Ioannis, aut Innocentium in Dominica nil agatur de ipsa Dominica, quia vero fit commemoratio Octavae Nativitatis, quae est in honorem Domini, iam dies Dominica sufficienter recolitur, per hanc Octavae commemorationem.

Aliquis proposuerat ut, exceptis festivitatibus Nativitatis, Circumcisionis, Epiphaniae et eius Octavae, semper de Dominica occurrenti fieri deberet commemoratio; quam propositionem non una ex causa, accipiendam esse dicebant

plurimi, et sane: dies Dominica est dies Domini, atque festivitas in utroque foro ea die celebratur, non in honorem sancti, qui fortuito in ea occurrit, bene quidem in honorem Dei; igitur de officio dominicali saltem commemoratio agi debet omnino, sicut fit semper per totum annum. Nihilominus, si huiusmodi nova et acceptabilissima propositio in praxim deducta fuisset, hoc ipsum agendum erat etiam pro festis quae occurrunt diebus 2, 3, 4 Ianuarii; nempe, quando festa ista in Dominicam incidunt, de Dominica ipsa agi deberet commemoratio. Notandum tamen est, quod pro festis infra Octavam Nativitatis in Dominicam incidentibus, res nullo negotio componi potuisset, nam officium illius Dominicae in promptu est, uti iacet in Breviario; sed pro Dominica quae occurrere potest a Circumcisione usque ad Epiphaniam, officium non habetur proprie dictum, licet officium Vigiliae Epiphaniae non sit nisi officium ipsius Dominicae repositum, sicut repositum est, respective saltem ad festa Nativitatis Domini, S. Stephani, S. Ioannis, et Ss. Innocentium, officium Dominicae infra Octavam die 30 Decembris. Ex hoc ergo capite facile pro commemoratione Dominicae sumi poterant antiphonae, versus, orationes et Evangelium Vigiliae; sed tunc die 5 Ianuarii agi debuisset officium de feria, imo de simplici S. Telesphoro.

Ex una parte id fieri posse aliqui putabant, nam dies 5 Ianuarii, vocatur quidem Vigilia Epiphaniae, sed rigorose loquendo vera Vigilia non est, non tantum quia non ieiunatur, sed etiam quia officium hodiernum, ut cum Grancolas notavimus (Cf. Comm. in Const. « Divino afflatu » nota 37), nihil habet quod referri possit ad sequentem solemnitatem Epiphaniae; imo dari nequit officium Vigiliae quod habeat primas Vesperas, sicut habet haec eadem Vigilia; nullo ergo cum praeiudicio, poterat die 5 Ianuarii agi de simplici occurrente.

Attamen licet in Romano Breviario officium Vigiliae propriae dictae non habeatur, nihilominus, antiquitus Epiphania cum sua Vigilia celebrabatur, uti videri potest in

Sacramentario Gregoriano; etiam in percelebri Peregrinatione Etheriae, quae sub nomine Sylviae cognoscitur, descripta habetur solemnitas Epiphaniae quae Hierosolymis celebrabatur, quae in pervigilio initium habebat. Itaque, cum opportunum visum non fuerit, festum istud sua Vigilia privare, et quia, si e die 5 Ianuarii officium hodiernum, quod est Dominicale, adimeretur, novum officium de ipsa Vigilia parandum erat, provisorie resolutum fuit ut omnia in suo statu permanerent, donec saltem ad definitivam Breviarii reformationem non deveniatur.

Itaque, sicut dies 2, 8 et 4 Ianuarii, si in Dominicam incidunt, non habent commemorationem Dominicae, ideoque opportunissime ad tollendum inconveniens, de quo hic loquimur, positum fuit festum Ss. Nominis Iesu, ita et diebus 26, 27 et 28 Decembris nil mutandum fuit circa Dominicam in eis aliquando occurrentem.

Notare hic placet, quod diebus 31 Decembris, 1, 2, 3, 4 et 5 Ianuarii mutatae fuerunt Lectiones de Scriptura eo tempore occurrentes, quia, cum die 29 Decembris poni debuerit initium *Epistolae ad Romanos,* ne dicerentur lectiones de Communi, prout hucusque dictae sunt, necessario die 30, loco earum, lectiones sumi debuerunt ex die 31, ut ordo capitum eiusdem epistolae requirebat; ideoque die 31 aliae lectiones positae fuerunt. Similiter dicatur de lectionibus in festo Circumcisionis, nec non diebus sequentibus, eo quod, ad ritum simplicem redactis diebus octavis s. Stephani, et s. Ioannis Evangelistae, in quibus, in j Nocturno, propriae habebantur lectiones, aliae de epistola ad Romanos suffectae fuerunt, ideoque et diebus 4 et 5 mutatae sunt iisdem ex causis.

(2) Ob rationes, quas exposuimus loco citato (*Ephem. Liturg.* p. 722), suppressae fuerunt Octavae s. Stephani, s. Ioannis Ev. et ss. Innocentium, redacta ad ritum simplicem die Octava; igitur, tam in calendario quam in Proprio de Tempore, huiusmodi dies Octavae notantur cum suo novo ritu *simplex,* hac tamen lege, quod Dies Octavae sim-

plices, praevalent quibuscumque aliis festis simplicibus, et etiam officio s. Mariae in Sabbato.

3. Die 19 Ianuarii agebatur *ad libitum* festum semiduplex s. Canuti Regis, quod cum festo s. Remigii Ep. die 1 Octobris, remanserat ex non paucis festis ad libitum, a saeculo xvij in Breviario Romano. Cum autem hodie quidquid habebatur in divino officio *ad libitum* abrogatum fuerit, ut frequentius officium psalteriale dicatur, festum huiusmodi sublatum est; ne autem penitus periret, redactum fuit ad simplicem commemorationem.

Forsan aliquis mirari poterit, eo quod relictum fuit festum simplex ss. Marii et sociorum Martyrum, cum commemoratione s. Canuti, et non viceversa; attamen notandum est, quod si de s. Canuto agendum foret officium (esto ritu simplici), perempta perpetuo fuisset lectio iij de sanctis martyribus, quae hucusque de praecepto legenda erat, dum tres lectiones historicae s. Canuti erant *ad libitum*. Adde, quod in casu redigendae erant tres istae lectiones ad unam; sed quod attinet ad historicas lectiones, nil novi nunc moliri potuit S. Congregatio, eo quod, pro emendatione historicarum lectionum alia studia specialiter parantur, sicut et pro ordinatione calendarii perpetui, in quo nonnulla sanctorum festa removenda erunt, alia ritu minuenda, aliaque simul coniungenda.

Hinc, sicut in festo simplici s. Hilarionis, fit commemoratio ss. Ursulae et sociarum, ita et in festo ss. Marii et sociorum commemoratio fiet s. Canuti.

(4) Die 19 Martii, in qua a saeculis populus christianus memoriam colit s. Ioseph, b. Mariae V. sponsi, notatur in calendario idem festum, reducto tamen ritu ad antiquum 2 classis, quia hodie Solemnitas eius principalis post Pascha cum Octava peragitur.

(5) Cum in Dominica ullum festum, etiam Domini, uti diximus, perpetuo assignari nequeat, necessario et solemnitas s. Ioseph alia die reponenda erat. Ab aliquibus solemnitas ista proposita fuit die 1 Maii recolenda, ut in ea

opifices festum feriatum haberent omnium operariorum Patroni coelestis; a nonnullis alia dies proponebatur, nihilominus cum feria iv a populi christiani devotione dicata sit ad privatum honorem sancto huic Patriarchae praestandum, sicut sabbatum b. Mariae V., festum praecipuum eius in feria iv ante Dominicam iij post Pascha assignatum fuit, ut solemnitas externa in ipsa Dominica celebraretur, in qua hucusque revera celebrata est. Hoc modo in praxi deductum fuit votum expressum in Vaticano Concilio (Cf. quae ad rem notavimus in commentario in Tabellas Occurrentiae et Concurrentiae. pag. 51), scilicet, ut festivitas principalis s. Ioseph in Dominica iij post Pascha assignaretur, et secundaria die 19 Martii retineretur. Unde est notandum, quod, si festum principale s. Ioseph istud nunc sit, quod feria iv ante Dominicam iij post Pascha cum Octava celebratur, festum diei 19 Martii, secundarium procul dubio evasit, saltem relate ad aliud primarium.

(6) Cum Nativitas s. Ioannis, ad antiquissimum suum diem opportunissime restitutum fuerit, necessario et festa mensis Iunii, a die 23 reordinatae fuerunt, prout antea habebantur in Calendario.

(7) Festum Pretiosissimi Sanguinis D. N. I. C. institutum fuit a Pio ix anno 1849, Dominica prima Iulii celebrandum in universa Ecclesia, etiam iis in locis, in quibus in Quadragesima idem officium agebatur. Paulatim fere ubique plebs christiana festum istud cum magna devotione celebrare coepit, ideoque hodie die 1 Iulii assignatur, ut solemnitas eius externa rite recoli possit in praedicta prima Dominica.

(8) Post suppressionem Octavae s. Laurentii, dies 11 et 13 Augusti liberae sunt, et fit de simplici occurrente; cum autem die 16 nunc agatur festum s. Ioachim (ut in Dominica sequenti celebrari possit, ut antea, solemnitas eius externa), die 17 assignatum est festum s. Hyacinthi, cum commemoratione diei Octavae simplicis s. Laurentii.

(9) Ad maiorem uniformitatem, ubique, etiam Romae,

festum s. apostoli Bartholomaei die 24 Augusti assignatur in universali Calendario.

(10) Abrogata octava Nativitatis b. Mariae, liberae evaserunt dies 9, 11 et 15 Septembris; cum autem die 15 assignatum sit festum b. Mariae Perdolentis, de die Octava simplici Nativitatis eiusdem nil agi potest. Quod si alicubi aliquod festum die 15 occurrat duplex 2 classis primarium (quod non sit de b. Maria), tunc profecto de die Octava Nativitatis fieri debet commemoratio, ut aperte tradit nova Rubrica specialis huius diei.

(11) Quod notavimus supra pro s. Canuto, idem dici debet de festo s. Remigii, quod remanet *de praecepto simplex*, non amplius vero *ad libitum semiduplex*.

(12) Remoto festo ss. Rosarii b. Mariae a prima Dominica Octobris, assignari poterat die 1, ut de pretiosissimo Sanguine D. N. I. C. factum est; cum autem in martyrologio die 7 memoria agatur de insigni victoria anno 1572 eadem die reportata a Christianis de Turcis, nec non de huiusmodi festivitate a s. Pio v instituta, in posterum ipsa 7 die uti propria, celebrabitur festum ss. Rosarii, cum facultate celebrandi in prima Dominica, solemnitatem externam. Et est notandum, quod in Dominicis in quibus celebratur solemnitas externa alicuius festi, quod antea fixe agebatur in Dominica, de ipsa solemnitate externa celebrari possunt omnes Missae, excepta parochiali et conventuali, si festum ritum habet duplicis 1 classis; si autem ritum habet 2 classis, tunc unica Missa solemnis permittitur. Ab hac lege excipitur tamen, ex expressa voluntate ss. D. N. Pii PP. x, festum ss. Rosarii, cuius externa solemnitas in Dominica prima Octobris, ut antea, celebranda erit, cum omnibus Missis, una excepta, vel parochiali vel conventuali.

(12) Infra Octavam Nativitatis Domini, non amplius fit commemoratio octavarum ss. Stephani, Ioannis Ev. et Innocentium; in locis autem in quibus festa ista celebrari debeant sub ritu duplici 1 classis cum octava, haec profecto retinenda erit, iuxta Rubricas, nempe de octava ipsa com-

memoratio fiet in omnibus festis, quae non sint 1 vel 2 classis. Item, ubi festum Dedicationis vel Tituli Ecclesiae, aut loci Patroni, celebrandum sit a die 25 Decembris usque ad Epiphaniam exclusive, celebrabitur, iuxta novas Rubricas, cum Octava; ideoque in Ecclesiis s. Silvestro dicatis, diebus 2, 3 et 4 Ianuarii agendum erit de diebus infra Octavam; et die 7 in officio de infra Octavam Epiphaniae, commemoranda erit dies Octava ipsius s. Silvestri.

Tit. I. — De ratione divini Officii recitandi.

1. In recitatione divini Officii iuxta Romanum Ritum, Psalmi quotidie sumendi sunt ad singulas Horas canonicas de occurrenti hebdomadae die, prout distribuuntur in Psalterio.

2. Excipiuntur tamen omnia Festa novem Lectionum Domini, beatae Mariae Virginis, Angelorum, sancti Ioannis Baptistae, sancti Ioseph, Apostolorum, Evangelistarum, omnia Duplicia I et II classis aliorum Sanctorum, Vigiliae Epiphaniae et Pentecostes, Dominicae infra Octavas et integrae Octavae Domini quae in universali Ecclesia recoluntur, et Feria VI post Octavam Ascensionis, quorum omnium Officium persolvendum est prout assignatur vel in Breviario, vel in Proprio Dioecesis aut Instituti, hac tamen lege ut Psalmi ad Laudes, Horas et Completorium semper sumantur ex Dominica, ut in Psalterio, ad Matutinum vero et ad Vesperas dicantur ut in Communi, nisi speciales Psalmi sint assignati. Item excipiuntur Vigilia Nativitatis Domini, tres ultimi dies Hebdomadae maioris et Commemoratio omnium Fidelium Defunctorum, in quibus Psalmi dicuntur proprio loco adnotati.

3. In quolibet alio Festo Duplici, etiam maiori, vel Semiduplici, vel Simplici, et per omnes Octavas supra non exceptas, semper dicuntur Psalmi, cum Antiphonis ad omnes Horas, et Versibus ad Matutinum, ut in Psalterio de occurrenti hebdomadae die; reliqua omnia, et Antiphonae ed *Magnificat* et *Benedictus*, ut in Proprio aut Communi. Quod si aliquod ex Festis Duplicibus aut Semiduplicibus proprias vel peculiariter assignatas habeat Antiphonas in aliqua Hora maiori, eas in eadem Hora cum suis Psalmis, et ad Matutinum etiam Versibus, retinet: in ceteris Horis Psalmi et Antiphonae dicuntur de Feria occurrenti (1).

(1) Rubricae huius capitis, 2 et 3, paululum mutatae sunt; nam ex diebus, in quibus adhiberi debent Psalmi de psalterio, suppressi sunt dies infra octavas, et dies octavi. non vero Octavae Domini quae in Ecclesia universali recoluntur: scilicet Octavae Nativitatis Domini, Epiphaniae, Ascensionis et Corporis Christi; et multo magis Paschatis et Pentecostes. Itaque ubi celebrantur cum octava, festa Ss. Trinitatis, Cordis Iesu, Transfigurationis, et festum Dedicationis Ecclesiae, infra octavas istas, *quia non sunt Universalis Ecclesiae,* et in ipsa die Octava, Psalmi et Antiphonae sumuntur de occurrenti hebdomadae die.

Item, ut excluderetur ab exceptione ista Officium b. Mariae in Sabbato, et dies Octavi festorum 2 classis, quae in posterum sub ritu simplici sunt recolendi, in verbis huiusce Rubricae additum est: *festa novem lectionum,* ne officia simplicia, ut supra, in hac locutione essent inclusa. Item in Rubrica 3, quae enumerat dies, in quibus dicendi sunt Psalmi de feria, addita sunt verba: *et per omnes Octavas ut supra non exceptas.*

4. In omnibus novem Lectionum Officiis in I Nocturno dicuntur semper Lectiones de Scriptura oc-

currenti iuxta Rubricas, adhibitis Responsoriis quae singulis Feriis assignantur, dummodo resumendae vel anticipandae non sint Lectiones cuiusvis Dominicae impeditae, quae semper dicuntur cum suis Responsoriis (2); aut primo non sint ponenda, iuxta proprias Rubricas, Responsoria Feriae II infra Hebdomadam I post Epiphaniam vel Feriae II infra Hebdomadam I post Octavam Pentecostes (3); aut demum non occurrant Octavae Domini quae in universa Ecclesia recoluntur, in quibus semper adhibenda sunt Responsoria de Octava (4). In Festis tamen Domini, beatae Mariae Virginis, Angelorum, sancti Ioannis Baptistae, sancti Ioseph, Apostolorum, Evangelistarum, in omnibus Duplicibus I vel II classis, in aliis Festis quae propria habeant Responsoria, et in Officiis quibusvis quae Lectiones pariter habeant proprias vel quae occurrant in Feriis Lectiones de Scriptura nullimode habentibus, tam Lectiones quae Responsoria, quae propria non sint, sumuntur de Communi iuxta Rubricas (5); adhibitis tamen, per Octavas, Responsoriis de Festo, si propria de ipsa Octava non habeantur (6). Quod si in Festis vel Officiis, quae Lectiones etiam proprias habeant, reponendae sint iuxta Rubricas Lectiones de aliquo Initio Scripturae occurrentis, eae leguntur cum Responsoriis propriis de Festo, si haec habeantur; secus de Tempore ut supra; numquam vero cum Responsoriis de Communi vel de Octava, quae non sint de Tempore (7).

(1) *In omnibus novem lectionum Officiis in I Nocturno dicuntur semper Lectiones de Scriptura occurrenti, iuxta Rubricas, adhibitis Responsoriis, quae singulis Feriis assignantur, dum-*

modo resumendae vel anticipandae non sint Lectiones cuiusvis Dominicae impeditae, quae semper dicuntur cum suis Responsoriis.

Lex recitandi lectiones j Nocturni de Scriptura occurrenti, a S. Pio v inducta, nunc a Pio x strictius renovatur, ita ut hodie non admittantur tot exceptiones, quae in Rubricis Urbani viij habentur. Dicendae sunt ergo quotidie, Lectiones scripturales de Feria occurrenti, dummodo resumendae vel anticipandae non sint Lectiones cuiusvis Dominicae impeditae.

Addita autem est novissima haec Rubrica: *dicuntur cum suis Responsoriis.* Circa Responsoria de Tempore, quae, ut innuit Summus Pontifex in sua constitutione « Divino afflatu », erant quotidie dicenda post Lectiones de Scriptura, vide quae scripsimus in nostro Commentario (nota 16, et in *Eph. Lit.*, loco citato, pag. 723). Etenim, cum pararetur nova editio typica Breviarii, opportunum visum est, in ea inducere Responsoria, quae in editionibus antiquis desiderabantur aliquibus diebus, ex. gr. in sabbatis tempore Paschali. Quia igitur nunc facile quisquis Responsoria de Tempore suis locis in Breviario typico invenire poterit, tempus advenit ut prescriptio pontificia, ab antiquis tam desiderata, in praxim mandaretur.

(2) *Aut primo non sint ponenda, iuxta proprias Rubricas, Responsoria Feriae II infra hebdomadam I post Epiphaniam, vel Feriae II hebdomadam primam post Octavam Pentecostes.* Rubricae, quae hoc loco citantur, sunt illae quae leguntur in novissimis mutationibus in Proprio de Tempore suis locis inducendis; in ipsis nempe disponitur, quod Responsoria utriusque Feriae ij praedictae, si dici nequeant in sua die, ob impedimentum Festi classici, ponenda sunt in proxima feria.

(3) *Aut demum non occurrant Octavae Domini quae in universa Ecclesia recoluntur, in quibus semper adhibenda sunt Responsoria de Octava.* Scilicet, dicenda sunt semper Responsoria de occurrenti Feria, non tamen in festis quae occurrunt infra Octavas festorum Domini, quae in universa Ecclesia cele-

brantur. Attamen, huiusmodi Rubrica applicari nequit nisi ad Octavas Nativitatis et Ascensionis Domini, nam infra alias Octavas Domini, quae in universa Ecclesia celebrantur, numquam occurrere possunt festa duplicia maiora vel minora aut semiduplicia, in quibus Lectiones et Responsoria j Nocturni de occurrenti Feria sunt adhibenda.

Haec autem nova dispositio facile intelligitur; primo quidem quia Octavae Nativitatis et Ascensionis sunt ex privilegiatis, ideoque summopere interest ut et Responsoria earum in festis non classicis non omittantur, secundo autem, quia in Breviario iis diebus non habentur Responsoria ferialia quorum loco sumenda sunt necessario de Octava.

(5) *In festis tamen Domini, b. Mariae Virg., Angelorum etc... in omnibus Duplicibus I vel II classis, in aliis festis quae propria habeant Responsoria, et in Officiis quibusvis quae Lectiones pariter habeant proprias vel quae occurrant in Feriis Lectiones de Scriptura nullimode habentibus, tam Lectiones quam Responsoria, quae propria non sint, sumuntur de Communi iuxta Rubricas.* Scilicet in omnibus festis 1 et 2 classis, et in festis etiam minoris ritus, quae sint Domini, aut b. Mariae V., Angelorum, Apostolorum, et s. Ioannis et Ioseph, sicut dicuntur lectiones j Nocturni propriae vel appropriatae, non vero de scriptura occurrenti, ita nec dicuntur Responsoria ferialia, sed, nisi habentur propria, sumuntur de communi.

(6) *Adhibitis tamen, per Octavas, Responsoriis de Festo, si propria de ipsa Octava non habeantur.* Igitur infra Octavas, si de ipsa agendum sit officium, licet dicantur Lectiones de Scriptura occurrenti, Responsoria tamen sumuntur ut in festo; quomodo iam fit ex. gr. infra Octavam Ascensionis et Corporis Christi. Quod si infra Octavas non privilegiatas agitur officium de aliquo festo, superius non excepto, tunc leguntur in j nocturno Lectiones de Scriptura, et sumuntur respectiva Responsoria ferialia, prout explicite docet haec Rubrica (Cf. supra, nota 4)

6. *Quod si in Festis vel Officiis, quae Lectiones etiam proprias habeant, reponendae sint iuxta Rubricas Lectiones de aliquo*

Initio Scripturae occurrentis, eae leguntur cum Responsosiis propriis de Festo, si haec habeantur; secus de Tempore ut supra; numquam vero cum Responsoriis de Communi vel de Octava quae non sint de Tempore.

Ut facilius intelligatur haec Rubrica, suppone quod die 22 novembris in primo nocturno dicendae sint Lectiones Initii alicuius ex Prophetis minoribus, quae alioquin eo anno omitti deberent; hoc in casu leguntur Lectiones de Scriptura, cum Responsoriis propriis sanctae Caeciliae. E contra si ex. gr. in festo Impressionis Stigmatum s. Francisci, in qua habentur Lectiones appropriatae in j Nocturno; resumendae essent Lectiones Dominicae praecedentis (iij Septembris), hoc in casu, quia Responsoria pro festo Impressionis non sunt propria, sed de Communi, cum Lectionibus, *Incipit liber Tobiae*, de Dominica iij, sumuntur etiam Responsoria ipsius Dominicae.

(*Continuabitur*).

Doct. PETRUS PIACENZA.

Archaeologia Liturgica.

De Statione ad Sanctum Petrum

in secunda Dominica post Pascha

(Continuatio, V. num. 11 praec. anni, 1913, pagg. 642-652).

Cum horum trium Pontificum homiliae in hoc unice versentur, ut Evangelium diei interpretentur, et ex eo Christi Pastoris laudem enarrent ac diversa tum Ecclesiae Praelatorum, tum fidelium officia eruant; inde quoque sequitur, totam stationis rationem, obiectum et finem consistere in ea infinita Christi pastorali excellentia recolenda, quam ipse Christus in illo Evangelio tam misericorditer nobis enunciat.

4. Et non tantum trium praefatorum Pontificum homiliae seu sermones sunt de ea Christi pastorali excellentia et bonitate, quae in hodierno enunciatur Evangelio; sed tota aut fere tota Catholicae Ecclesiae *praedicatio,* quae a tempore saltem S. Gregorii M. (1), hac die haberi consuevit, est de eadem infinita pastorali excellentia et bonitate, seu de *Bono Pastore;* Bonum enim Pastorem praeclarissimis homiliis seu sermonibus hac die celebrarunt sanctiores et doctiores Ecclesiae Oratores. Sequentes praecipuos ordine chronologico (2) recensemus, quorum homiliae vel sermones ad nos usque pervenerunt;

---

(1) Quae fuerit de bono Pastore Patrum praedicatio ante S. Gregorium M., videsis apud cl. P. L. FONCK S. I. *Parabeln des Herrn in Evangelium.* Innsbruck 1909, pagg. 854 et 867, itemque pagg. 864-887.

(2) Uniuscuiusque mortis annum indicamus, prout indicatum invenimus in opere cl. P. H. HURTER, cui titulus: *Nomenclator Litterarius,* edit. III. Cum duae aut plures indicantur homiliae, ordinarie una saltem est de Epistola. Quandoque sunt dumtaxat homiliae aut sermonis schemata. Quamvis non semper sermones, qui citantur sint genuini, sunt tamen testimonium catholicae praedicationis illius aevi, cui adscribuntur.

et quos nos ipsi prae manibus habere potuimus et oculis nostris inspicere. Hi itaque sunt:

Beatus Rabanus Maurus, Abbas Fuldensis et postea Archiepiscopus Moguntinus, † 858 (1). - Rodulphus Ardens, † 1101 (2). - S. Anselmus Episcopus Cantuariae, † 1109 (3). - S. Bruno Episcopus Signiensis, † 1123 (4). - Wernerius Abbas S. Blasii in Silva Nigra, † 1126 (5). - Haymo Episcopus Alberstatensis, † 1139 (6). - Ven. Godefridus Abbas Admontensis, † 1165 (7). - S. Antonius Patavinus, † 1231 (8). - S. Thomas Aquinas, † 1274 (9). - S. Bonaventura Cardinalis, † 1274 (10). - Ioannes Thaulerus, O. P., † 1316 (11). - S. Vincentius Ferrerius, O. P., † 1419 (12). - Ioannes Gersonius, † 1429 (13). - S. Bernardinus Senensis, † 1444 (14). - V. Dionysius Carthusianus, † 1471 (15). - Bernardinus de Bustis, † 1500 (16). - Gabriel Biel, † 1519 (17).

(1) MIGNE, *P. L.*, CX, 186 et ss. Duas habet homilias.

(2) Id. ib. CLV, 1870 et ss. Item duas habet homilias.

(3) Id. ib. CLVIII, 670.

(4) Id. ib. CLXV, 810.

(5) Id. ib. CLVII, 939 et ss. Duos habet sermones ex Patrum verbis concinnatos.

(6) Id. ib. CXVIII, 498. Duas habet homilias.

(7) Id. ib. CLXXIV, 318. Duas item habet homilias.

(8) S. ANTONIUS PAT., *Sermones*, Patavii, 1895, vol. I, 145-160. Quatuor habet sermones vel sermonum partes.

(9) S. THOMAS AQ., *Opera omnia* tom. XV, *Opuscola*, serm. LXIV et LXV, Parmae, Fiaccadori, 1864, pag. 155 et ss.

(10) S. BONAVENTURA, *Opera omnia, Sermones*, t. IX, Ad Aquas Claras, 1901, pag. 293 et ss. Quinque habet sermones.

(11) IO. THAULERI, *Sermones*, Coloniae, s. d., pag. 226-232. Duos habet sermones.

(12) B. VINCENTII natione Hispani, etc., *Sermones Aestivales*, Lugduni, 1558, pag. 93 et ss. Tres habet sermones.

(13) MANSI, *Ad Concilia Veneto-Labbeana*, Supplementum, t. III, 786.

(14) S. BERNARDINI, *Opera omnia*, Lugduni, 1650, t. IV, pag. 153.

(15) D. DIONYSII CARTHUSIANI, *Opera omnia*, Tornaci, 1905, t. XXIX, pag. 570. Septem habet praeclarissimos sermones.

(16) BERNARDINI DE BUSTO, *Rosarium Sermonum*, t. II, serm. 26 et 27, Brixiae, 1588, pag. 627.

(17) GABRIEL BIEL, *Sermones*, Brixiae, 1583, pag. 153. Duos habet sermones.

- Ioannes Eckius, † 1543 (1). - S. Thomas a Villanova Archiepiscopus Valentinus, † 1555 (2). - Didacus de Payva, qui ad Patres Concilii Tridentini, Dominica secunda post Pascha, anno 1562 sermonem habuit de Bono Pastore (3). - Ludovicus Granatensis Ord. Praed., † 1588 (4). - Matthias Faber S. I., † 1653 (5). Plures alii recenseri potuissent; sed iam sufficit, ut ex sacrorum Oratorum testimonio constet, quaenam fuerit catholicae praedicationis obiectum in hac secunda Dominica.

In horum Sanctorum et illustrium Oratorum Catholicae Ecclesiae homiliis et sermonibus percurrendis, in iisque cum Oratorum recentioris aevi concionibus comparandis, non sine animi dolore animadvertimus, recentiores Oratores non ita frequenter, nec ita copiose et alte de Boni Pastoris mysteriis loqui, sicut vetustiores (6).

Quaenam sit talis silentii causa, est facile dictu: Sacri Oratores in suis concionibus de iis maxime loquuuntur, de quibus est festum; sed cum a saeculo circiter XVII coeperint in die Dominico festa duplicia occurrentia celebrari, ac pluribus in locis eo die quaedam alia particularia festa re-

(1) Ioannis Eckii, *Homiliae*. Sine indicatione loci, 1537, tom. II, pag. 94 et ss.

(2) Thomas a Villanova, *Opera omnia*, Salmanticae, 1762, tom. III, pag. 1 et ss. Duas habet conciones.

(4) Labbe, *Collectio Conciliorum*, Venetiis, 1733, t. XX, col. 580.

(5) L. Granatensis, *Conciones*, Mediolani, 1585, t. III, pag. 63 et ss. Duas habet devotissimas conciones.

(5) M. Faber, *Conciones*, Coloniae Agrippinae, 1672, pag. 51, etc. Novem habet in hac Dominica conciones, sed duae tantummodo sunt magis propriae de *Bono Pastore*.

(7) Differentia inter recentiores et vetustiores in hoc nobis reponenda videtur, quod illi in veritatibus moralibus quae Evangelio connectuntur exponendis et inculcandis se sistunt; dummodo isti in pastorali Christi bonitate celebranda et magnificanda libentius immorantur. Ex. gr. Bourdaloue asserit quidem in hac Dominica: « Celle (la qualité) de pasteur et de bon pasteur était sans doute une des plus glorieuses, que Jésus-Christ se fût attribuée dans l'Evangile »; nihilominus ipse agit « *du soin des domestiques* ». Bourdaloue, *Oeuvres Complètes*, Paris 1880. T. II, pag. 114.

poni consueverint; factum est, ut de Dominica nonnisi commemoratio et Evangelium in fine Missae legeretur; et pars praecipua liturgiae et cultus vel festo occurrenti, vel novo festo addito, reservata fuerit; ac propterea et de eodem fuerit praedicatio. Ex hoc etiam evenit, ut, sicut in Liturgia, divina Boni Pastoris mysteria secundario loco recolebantur, praedicatio quoque de iis nonnisi secundario ageret, vel penitus sileret (1).

Inter emolumenta a Const. *Divino afflatu* venientia, hoc profecto non ultimo loco erit recensendum, quod constitutum sit, ut in sacra Liturgia Missae antiquissimae de Dominicis infra annum locum suum recuperarent.

(*Sequitur*).

---

(1) Ex hoc colligere licet, quanta sit sacrae Liturgiae vis et influxus in sacram praedicationem. Non tantum praedicationis substantia seu materia a sacra pendet Liturgia, sed etiam *modus* seu *tonus* et *mensura*. Ex *ritu* enim quo Ecclesia sacra celebrat mysteria, eorumdem mysteriorum momentum et dignitatem arguit Orator, et iuxta maiorem vel minorem, quam in eis deprehendit excellentiam, maiori vel minori calore, profunditate, ac diligentia argumentum suum pertractat. A maiori itaque vel minori festivitatis ritu deprehendunt ordinarie Oratores, quae maior vel minor solemnitas in suis argumentis exponendis sibi adhibenda sit.

DISSERTATIO LITURGICA

De reformatione Romani Breviarii et Missalis.

Ad evulgationem novi Motu proprio Ss. D. N. Pii Pp. X, « *Abhinc duos annos* », d. 23 Octobris 1913 et Decreti generalis S. R. C., d. 28 Octobris eiusdem anni, plures ex Confratribus Sacerdotibus absque dubio exclamaverunt: « *Quanta denuo mutata sunt in rebus liturgicis! Quando tandem eiusmodi mutationibus finis imponetur!...* Hae exclamationes naturaliter fiunt ab iis qui dictas mutationes aliquantulum tantum examinaverunt, vel eas superficialiter solummodo legerunt.

Hinc in hisce Ephemeridibus aliquas animadversiones super dictas mutationes praebere mihi opportunum visum est, ut ita lectores nostri eas melius cognoscant, de iis rectius iudicent et tanquam necessarias habeant ad finem desideratum assequendum.

Ut autem lectores nostri de iis mutationibus rectum iudicium efformare valeant, necesse est ut examinemus:

1° Finem quem Summus Pontifex in reformatione Romani Breviarii et Missalis sibi proposuit;

2° Quaenam media idem Pontifex hucusque adhibuerit ad finem suum assequendum, et

3° Quaenam adhuc supersint ut finis a S. Pontifice propositus plene sit obtentus. — Sit igitur:

I.

De fine a Summo Pontifice proposito in reformatione Romani Breviarii et Missalis.

1. In Bulla de hac materia tractante, scilicet « *Divino afflatu* » diei 1 Novembris 1911, postquam Ss. D. N. Pius Pp. X excellentiam Psalmorum egregie monstraverit, ipse ita concludit:

« Iure igitur optimo provisum est antiquitus per Decreta Romanorum Pontificum, et per Canones Conciliorum, et per monasticas leges, ut homines ex utroque Clero integrum Psalterium per singulas hebdomades concinerent vel recitarent. Atque hanc quidem legem a Patribus traditam decessores nostri S. Pius V, Clemens VIII, Urbanus VIII, in recognoscendo Breviario Romano sancte servarunt. Unde etiam nunc Psalterium intra unius hebdomadae spatium recitandum foret integrum, nisi mutata rerum conditione talis recitatio frequenter impediretur ».

2. Quale autem illud impedimentum sit, ut Clerus nunc integrum Psalterium intra unius hebdomadae spatium non amplius recitare valeat, idem Pontifex illud indicat, dicens: « Etenim procedente tempore continenter crevit inter fideles eorum hominum numerus, quos Ecclesia, mortali vita defunctos, coelicolis accensere et populo Christiano patronos et vivendi duces consuevit proponere. In ipsorum vero honorem Officia de Sanctis sensim propagari coeperunt, unde fere factum est, ut de Dominicis, deque Feriis Officia silerent (1), ideoque non pauci negligerentur Psalmi, qui sunt tamen non secus ac ceteri, ut Ambrosius, ait (2): « *Benedictio populi, Dei laus, plebis laudatio, plausus omnium, sermo universorum, vox Ecclesiae, fidei canora confessio, auctoritatis plena devotio, libertatis laetitia, clamor iucunditatis, laetitiae resultatio* »,

(1) Revera tempore S. Pii V Kalendarium Ecclesiae universalis continebat tantummodo 235 Sanctos, et in praesenti tempore 348; nempe, in Kalendario S. Pii V:

Officia duplicia 75,
» semiduplicia 59,
» simplicia 101;

in Kalendario vero anni 1913:

Officia duplicia 186,
» semiduplicia 70,
» simplicia 92.

(2) Enarrat. in Ps. I, n. 9.

3. « De eiusmodi autem omissione *(prosequitur laudatus Pontifex)* non semel graves fuerunt prudentum piorumque virorum querimoniae, quod non modo hominibus Sacri Ordinis tot subtraherentur praesidia ad laudandum Dominum et ad intimos animi sensus ei significandos aptissima; sed etiam quod optabilis illa in orando varietas desideraretur, ad digne, attente ac devote precandum imbecillitati nostrae quam maxime opportuna... Minime igitur mirum, quod complures e diversis orbis partibus Sacrorum Antistites sua in hanc rem vota ad Apostolicam Sedem detulerunt, maximeque in Concilio Vaticano, cum hoc inter cetera postularunt, ut quoad posset, revocaretur consuetudo vetus recitandi per hebdomadam totum Psalterium, ita tamen ut Clero, in sacri ministerii vinea ob imminutum operariorum numerum iam gravius laboranti, non maius imponeretur onus ».

4. Deinde, omnibus mature perpensis et consilio peritorum adhibito, Summus Pontifex declarat, quomodo ipse praedictis votis satisfactionem praebere magis opportunum iudicat: « Hisce vero postulationibus et votis,... itemque precibus, quae deinceps ab aliis Venerabilibus Fratribus piisque viris admotae sunt, Nos equidem concedendum duximus, cauto tamen, ne recitatione integri Psalterii hebdomadae spatio conclusa, ex una parte quicquam de Sanctorum cultu decederet, neve ex altera molestius Divini Officii onus Clericis, imo temperatius evaderet. Quapropter... novam Psalterii dispositionem,... quam cum S. R. E. Cardinales Ss. Ritibus cognoscendis praepositi diligenter consideratam probassent, Nos, utpote cum mente nostra admodum congruentem, ratam habuimus in rebus omnibus, id est, quod ad ordinem ac partitionem Psalmorum, ad Antiphonas, ad Versiculos, ad Hymnos attinet cum suis Rubricis et Regulis, eisque editionem in Nostra typographia Vaticana adornari et indidem evulgari iussimus ».

Insuper, cum Officia de Sanctis sensim propagari coeperunt, unde factum est ut de Dominicis, deque Feriis Officia silerent, ideoque non pauci negligerentur Psalmi, id-

circo Summus Pontifex in eadem CONSTITUTIO sequentia verba addit: « Quoniam vero Psalterii dispositio intimam quamdam habet cum divino Officio et Liturgia coniunctionem, nemo non videt, per ea quae hic a Nobis decreta sunt, *primum nos fecisse gradum ad Romani Breviarii et Missalis emendationem;* sed super tali causa proprium mox Consilium seu Commissionem, ut aiunt, eruditorum constituemus. Interim, opportunitatem hanc nacti, nonnulla iam in praesenti instauranda censuimus, prout in appositis Rubricis praescribitur: atque imprimis quidem, ut in recitando divino Officio Lectionibus statutis Sacrae Scripturae cum Responsoriis de Tempore occurrentibus debitus honor frequentiore usu restitueretur; dein vero ut in sacra Liturgia Missae antiquissimae de Dominicis infra annum et de Feriis, praesertim quadragesimalibus, locum suum recuperarent ».

5. Ex praedictis omnibus manifeste patet in emendatione Romani Breviarii et Missalis Summi Pontificis mentem esse:

a) Ut revocetur vetus consuetudo recitandi per hebdomadam totum Psalterium, cauto tamen, ne recitatione integri Psalterii hebdomadae spatio conclusa, ex una parte quicquam de Sanctorum cultu decederet, neve ex altera molestius divini Officii onus Clericis, immo temperatius evaderet;

b) Ut in recitando divino Officio Lectionibus statutis Sacrae Scripturae cum Responsoriis de Tempore debitus honor frequentiore usu restituatur, et

c) Ut Missae antiquissimae de Dominicis infra annum et de Feriis, praesertim quadragesimalibus, locum suum recuperent.

II.

DE MEDIIS A SUMMO PONTIFICE HUCUSQUE ADHIBITIS AD PRAEDICTUM FINEM ASSEQUENDUM

A. *De I° gradu emendationis Rom. Breviarii et Missalis.*

1. Uti supra vidimus, Summus Pontifex in recitatione Psalterii tria desiderat: *a*) ne quicquam de Sanctorum cultu decedat; — *b*) ne molestius divini Officii onus Clericis, imo

temperatius evadat, et — *c*) ut integrum Psalterium in hebdomada recitetur.

2. Quomodo huic voto S. Pontificis per novam Psalterii dispositionem satis fuerit factum, cl. Dr. P. Piacenza (in Const. *Divino afflatu* Comment., pp. 21 et 28, edit. 2) egregie explicat. Ut ergo Officium brevius maneat *(ait hic auctor)*, et antiquae leges Psalterii Romani observentur, prout hucusque in Festis sunt observatae, oportet, quod habeantur ad Matutinum tantummodo 9 Psalmi, 4 ad Laudes (non computato Cantico), 12 pro quatuor Horis minoribus, 5 ad Vesperas et 3 ad Completorium, nempe Psalmi 33 in quolibet die et 231 pro tota hebdomada. Cum autem Psalmi sint 150, oportet omnino, ut ita dividantur prolixiores in duas vel plures partes, ut necessarius numerus obtineatur. Quapropter Psalmi, qui plus quam 20 Versus continent, aliquo tantum excepto, divisi apte fuerunt in duas vel plures partes; indeque ex huiusmodi divisione, Clerici psallentes non modo dicent totum Psalterium infra hebdomadam, sed absque ullo novo gravamine prolixitatis Officii, maiori quoque varietate delectabuntur. Item in hac nova Psalmorum divisione provisum quoque fuit, ut numquam sub una doxologia seu *Gloria Patri*, duo vel plures Psalmi dicerentur. In hoc itaque tota sita est ratio novae Psalterii distributionis, quam S. Pontifex ex sua plenitudine potestatis adprobavit ac servandam decrevit. Haec nova Psalterii dispositio, ait idem Pontifex non est nisi *primus gradus* ad Romani Breviarii et Missalis emendationem.

3. Deinde, ne quicquam de Sanctorum cultu decedat, ut et Clerus integrum Psalterium intra hebdomadam recitare valeat, a Rubricis, ad normam Bullae « *Divino afflatu* » servandis, sequentia potissimum praescribuntur:

a) Festa seu Officia, quae persolvenda sunt prout assi gnantur vel in Breviario vel in Proprio Dieecesis aut Instituti, sumptis tamen Psalmis ad Laudes, Horas et Compietorium ex Dominica Psalterii, sunt sequentia: Omnia Festa IX Lectionum Domini, B. Mariae Virginis, Angelorum,

S. Ioannis Baptistae, S. Ioseph, Apostolorum Evangelistarum, omnia Duplicia I et II classis aliorum Sanctorum, Vigiliae Epiphaniae et Pentecostes, Dominicae infra Octavas et integrae Octavae Domini, quae in universali Ecclesia recoluntur, et Feria VI post Octavam Ascensionis. — Item Vigilia Nativitatis Domini, tres ultimi dies Hebdomadae maioris et Commemorationis Omnium Fidelium Defunctorum Psalmi dicuntur proprio loco adnotati. — Tandem si aliquod ex Festis duplicibus aut semiduplicibus proprias vel peculiariter assignatas habeat Antiphonas in Aliqua Hora maiori, eas in eadem Hora cum suis Psalmis, et ad Matutinum etiam versibus, retinet: in ceteris Horis Psalmi et Antiphonae dicuntur de Feria Occurrenti

b) In quolibet alio Festo duplici, etiam maiori, vel semiduplici, vel simplici, et per omnes Octavas supra non exceptas, semper dicuntur Psalmi cum Antiphonis ad omnes Horas, et Versibus ad Matutinum, ut in Psalterio de occurrenti hebdomadae die; reliqua omnia, et Antiphona ad *Magnificat* et *Benedictus*, ut in Proprio aut Communi (*Vide nov. Rubr. ad normam Bullae « Divino afflatu », tit. I, nn. 2 et 3*).

4. Ut iuxta mentem Ss. Pontificis Lectionibus S. Scripturae frequentiore usu debitus honor restituatur, Rubricae (tit. I, n. 4) praescribunt: Lectiones in I Nocturno ab Matutinum semper legendae sunt de Scriptura occurrente, nisi sit Festum: *a*) quod habet Lectiones proprias (non de Communi assignatas); — *b*) quod occurrit in Feria, Lectiones de Scriptura non habente, et — *c*) in quo Lectiones hucusque erant de Communi cum Responsoriis propriis (1).

5. Demum, ut iuxta desideratum Summi Pontificis Missae antiquissimae de Dominicis per annum et de Feriis maioribus et Vigiliis Communibus suum locum recuperarent, praefatae Rubricae statuunt:

a) Dominicae *maiores* non cedunt Officium nisi occurenti duplici I classis in Dominica maiori II classis; Do-

(1) Haec rubrica in novo Decr. gener. S. R. C. 28 Oct. 1913 mutationes et additiones subiit.

minicae vero *minores* cedunt Officium tantum duplici I vel II classis aut cuivis Festo IX Lectionum Domini, non autem eorum diebus Octavis. Item excipiuntur aliae quaedam Dominicae (*V. nov. Rubr. reformatas, tit. IV, n. 2*).

b) In Feriis Quadragesimae, Quatuor Temporum, II Rogationum, et in Vigiliis, si occurrat fieri Officium alicuius duplicir (non tamen I vel II classis) aut semiduplicis, Missa privatae dici poterunt ad libitum, vel de Festo cum commemoratione ultimoque Evangelio Feriae aut Vigiliae, vel de Feria aut Vigilia cum com. Festi: prohibentur tamen Missae votivae privatae pro Defunctis, quae item prohibentur in Feria in qua anticipanda vel reponenda est Missa Dominica (tit. X, n. 2).

En primum gradum ad Romani Breviarii et Missalis emendationem, quem Summus Pontifex effecit per Bullam « *Divino afflatu* » cum annexis novis Rubricis.

(*Continuabitur*).

Varia de re liturgica.

De iis quae permittuntur et prohibentur in cultu Servorum Dei nondum beatificatorum vel canonizatorum.

(Continuatio. Vide num. 11 praeced. anni, pagg. 653-663).

CAPUT III.

De quibusdam abusibus per novissimum Decretum « De Servis Dei » proscriptis.

Sacrae Rituum Congregationis Decretum « De Servis Dei » editum sub die 26 Augusti 1912, quod infra in sua integritate ponimus (1), duas complectitur partes: prior, qua abusus quidam, occasione inchoationis Causarum Servorum Dei, aut eorumdem Causarum Introductionis, aliquibus in locis irrepti proscribuntur; altera, qua quaedam statuuntur

(1) De Servis Dei, quorum sanctitudo vitae legitime examinanda curatur, nonnullis maxime locis usu venit, ut, cum admovetur manus ordinariis processibus instruendis super eorum virtutibus vel martyrio, sacra quaedam solemnia in ecclesiis indicandur, ac signata *Commissione* ad causam pertractandam apud Rituum Congregationem, vulgo diffundatur nuntius, non aequo loquendi modo, Dei Servum, cuius causa introducta sit, *Venerabilem ab Apostolica Sede esse declaratum*, atque inter ea solemnia pro gratiarum actione panegyricae etiam orationes habeantur eaeque saepius adeo immonderatae, ut facile in errorem inducantur fideles, debitam putantes eisdem Dei Servis venerationem, quae solis beatificatis et canonizatis debetur. Haec animadvertens Ss.mus D. N. Pius Pp. X, ne quid Ecclesiae disciplina detrimenti capiat, primum omnium solemnia, quae contra pristinam consuetudinem celebrantur cum agitur de inchoandis processibus ordinariis, reprobavit et prohibuit: deinde recolendam mandavit declarationem additam die 19 februarii 1658 Decretis f. r. Urbani VIII, *Ne*,

circa testes excutiendos et circa documenta exquirenda, exhibenda aut compulsanda.

Cum prior pars tantummodo ad nostrum argumentum spectet, ad eam dumtaxat nostram circumscribimus explanationem.

---

scilicet, per Commissiones introductionis vel reassumptionis seu ulterius progressus causarum tum signatas tum signandas ullum beatitatis vel sanctitatis, aut indultae venerationis et cultus argumentum vel minimum desumi, nec aliud quodcumque ius, quantumvis modici aut fere nullius momenti, in eisdem causis quaesitum dici vel praetendi possit: denique, adhibito consilio gravium virorum et exquisito peculiari voto nonnullorum S. R. E. Cardinalium, vetuit Servos Dei quorum causae posthac introducentur, *Venerabiles* appellari, item solemnia peragi occasione decreti editi super causae introductione. Inhaerens autem sententiae f. r. Benedicti XIV, qui tutius fore censuit a panegyricis orationibus penitis abstinere in honorem Servorum Dei nondum beatificatorum, eas haberi orationes edixit in posterum non licere. Permisit vero ut Servi Dei tantummodo post editum decretum super heroicitate virtutum vel super martyrio *Venerabilis* titulo ornentur, ita tamen ut ex hac permissione nullum argumentum indultae venerationis item argui vel praetendi possit. Praeterea, consulens pietati fidelium, qui facile hisce in casibus sacrae occasione solemnitatis decipi possent, putantes fas esse ut beatum colere eum de cuius beatificatione iudicium adhuc apud S. R. C. pendeat, solemnia ad gratias Deo agendas etiam post editum decretum super heroicitate virtutum vel maryrio pariter prohibuit, qua tamen prohibitione impedire non intendit quominus in missis addatur, prout decet, collecta pro gratiarum actione.

Idem Ss.mus D. N. ad rectam tractationem Causarum beatificationis et canonizationis, earum praesertim quae partim historicis monumentis nituntur, vel earum quae subsidiariae probationis privilegio gaudent, illis ipsis in consilium adhibitis quos supra diximus, et exquisita sententia R.mi Patris Promotoris sanctae Fiedi, haec constituit:

I. In omnibus causis, praesertim recentioribus, R.mi Ordinarii in condendo informativo processu, praeter testes qui causae favent, eos etiam universos omnes qui causae adversantur excutiant, nemine excepto, idque sub poena nullitatis, onerata conscientia tum Ordinariorum tum Promotorum fiscalium.

II. In omnibus causis, praesertim antiquis, cum processu ardinario sive informativo, compulsentur omnia et singula historica documenta sive manuscripta, sive typis edita, quae quocumque modo causam respiciant quae agitatur. Ad hoc non modo monendi sunt detinentes iura compulsanda, ut ea Ordinario exhibeant; sed, si res postulaverit,

§ I. — *Summa et ratio primae partis Decreti « De Servis Dei ».*

Quatuor abusuum species numerantur, quae sunt:

a) Quorumdam solemnium in Ecclesiis celebratio, cum manus admovetur Ordinariis Processibus instruendis.

---

examini subiiciendi erunt sub religione sacramenti custodes cuiusvis archivi vel tabularii sive publici sive privati; summa quoque diligentia et industria curandum est ut cuiuslibet generis documenta ad causam conferentia conquirantur, quae omnia et singula cognoscenda sunt ad normas traditas a fel. rec. Benedicti XIV, lib. II, c. LII.

III. Antequam in Congregatione ordinaria discutiatur dubium super introductione Causae, sacrorum Rituum Congregationis erit exiquere, pro re nata, documenta apud Curias, uti vocant, generalitias Ordinum et Institutorum religiosorum tum virorum tum foeminarum, necnon in tabulariis sacrarum Romanarum Congregationum, et ubicumque iure praesumitur ea posse reperiri.

IV. Omnia et singula documenta, sive compulsata cum processu ordinario, sive a S. R. C. collecta, subiiciantur iudicio peritorum a S. R. C. eligendorum, qui scriptis doceant de eorum auctoritate et vi.

Promotori vero Fidei, antequam indicetur Congregatio ordinaria pro introductione causae, omnia documenta exhibeantur una cum sententia peritorum.

V. Documenta potiora praecipue ex integro typis edantur, praenotatis nomine auctoris, tempore, loco et ceteris id genus adiunctis, atque inserantur Positionibus super virtutibus vel martyrio, una cum relatione peritorum, quos supra memoravimus, de auctoritate et vi documentorum.

VI. In Positionibus pro Congregationibus Ordinaria, Antepraeparatoria et Praeparatoria, animadversionibus Promotoris Fidei praemittatur synopsis vitae Servi Dei cuius causa tractatur, breviter et lucide ex officio conscripta, desumpta tum ex testibus tum ex documentis.

VII. In singulis vero Causis beatificationis, quarum iudicium in praesens apud S. R. Congregationem quocumque modo pendeat, sacra ipsa Congregatio non procedat ad ulteriora, nisi exhibitis, ab interesse habentibus, et exquisitis ex officio documentis iisque omnibus examinatis quo modo supra dictum est.

Quae omnia et singula Sanctitas Sua decrevit et servari mandavit, curaeque et vigilantiae commisit praesertim Secretarii S. R. C. et Promotoris S. Fidei pro tempore, atque in Acta Apostolicae Sedis referri iussit, hac die 26 augusti 1913.

Ex Secretaria S. R. C.

b) Solemnis gratiarum actio, edito Decreto de Causae Introductione.

c) Modus enunciandi Decretum signaturae Commissionis de Causa introducta, dicendo Servum Dei « Venerabilem ab Apostolica Sede esse declaratum ».

d) Orationes panegyricae et adeo immoderatae, ut facile in errorem inducantur fideles, debitam putantes eisdem Dei Servis venerationem, quae solis beatificatis et canonizatis exhibetur.

Ad hos abusus proscribendos, quinque feruntur mandata. Summus enim Pontifex:

1° Solemnia reprobat et prohibet, quae contra pristinam consuetudinem celebrantur, cum agitur de inchoandis Processibus Ordinariis.

2° Recolendam mandat declarationem, qua edicitur, nullius momenti quoad cultum habendas esse Causarum Introductiones, Reassumptiones et progressus quoscumque.

3° *Venerabiles* appellari vetat Servos Dei, quorum Causae posthac introductae fuerint. Id permittit tantum, post editum Decretum super heroicitate virtutum et martyrio.

4° Solemnia pro gratiarum actione, tam si fiant post editum Decretum super Introductione Causae, quam si fiant post Decretum super heroicitate virtutum vel martyrio, prohibet.

5° Orationes panegyricas in Servorum Dei laudem haberi in posterum edixit non licere.

Ratio harum pontificiarum ordinationum duplex indicari licet: altera generalis, peculiaris altera. Prior ea est, quam semper Romani Pontifices in suis ferendis legibus sibi praestituerunt: *conservatio* nempe *Ecclesiasticae disciplinae,* quam rationem in praesenti quoque Decreto Pius PP. X expresse revocat, cum asserit, se ad mandata sua ferenda moveri « ne quid Ecclesiae disciplina detrimenti capiat ».

Ratione quoque peculiari in quibusdam solemniis proscribendis se moveri Pontifex significat, cum dicit, ea prohibuisse « consulens pietati fidelium, qui facile hisce in ca-

sibus, sacrae occasione solemnitatis, decipi possent, putantes fas esse, ut beatum colere cum, de cuius beatificatione iudicium apud S. R. C. pendeat »

Eadem fere ratione ductum fuisse in *Venerabilis* titulo a Servis Dei abiudicando et in prohibendis orationibus panegyricis in eorumdem Servorum Dei laudem, colligitur ex periculo quod ex iisdem sequi docet, fieri nempe, « ut facile in errorem inducantur fideles, debitam putantes eisdem Dei Servis venerationem, quae solis beatificatis et canonizatis debetur ».

Utraque rationum species nobis probat, quanti momenti et quam opportunae habendae sint praesentes Pontificis ordinationes. Semper quidem in Dei Ecclesia maximi habita fuit disciplina, qua divinum cultum moderatur; sedulis curis omni tempore cautum fuit, ne in eo aliquid incongruum irreperet: praesens quoque Decretum hoc idem cavet, ne legitimus Sanctorum et Beatorum cultus aliquo modo maculetur, neve Ecclesiae sententia in Causis Beatificationis et Canonizationis cum erroris periculo praeveniatur.

Abusus hic illicque gliscentes opportunitatem Decreti maxime probant, quam opportunitatem ea quoque ostendent, quae ad singulas praescriptiones explicandas, dicturi sumus.

Peculiarem sanctionem decretum non refert. Quia tamen lex lata est ad disciplinam tuendam Urbanianis decretis firmatam, sequitur quod, qui contra praesens Decretum deliquerint, delinquant quoque, saltem indirecte, contra Urbani VIII decreta, ac proinde poenis in iisdem Decretis statutis puniri possint.

Poenae autem ab Urbano VIII in suis decretis sancitae, ita enunciantur: « Transgressores vero, si Regulares fuerint, privationis suorum officiorum, ac vocis activae et passivae, necnon suspensionis a Divinis, si vero Clerici Saeculares, privationis pariter suorum officiorum, suspensionis a Divinis, et ab administratione Sacramentorum, executioneque suorum ordinum respective, aliisque arbitrio praedictorum Ordinario-

rum seu Inquisitorum pro modo culpae infligendis poenis plectendo » (1).

Hae poenae, utpote quarum executio Iudici demandatur, sunt *ferendae sententiae*, quapropter eas transgressores de facto non incurrunt, nisi post *sententiam Iudicis condemnatoriam*.

Sacra autem Rituum Congregatio in contumaces animadvertere potest poena *negationis audientiae*, ita ut non sit in posterum permittendus Causae Servi Dei, in qua delinquitur, ad ulteriora progressus: quae poena, cum feratur non proprie propter crimen, sed propter contumaciam, cessante contumacia, poena cessat (2).

§ II. — *In prmis solemnia prohibentur occasione Ordinarios Servorum Dei Processus inchoandi.*

« *Sanctissimus D. N. Pius Pp. X..... primum omnium solemnia, quae contra pristinam consuetudinem celebrantur, cum agitur de inchoandis Processibus Ordinariis, reprobavit et prohibuit* ».

Ad huius prohibitionis obiectum intelligendum, definire oportet, cuius naturae sint *solemnia*, quae prohibentur. Solemnia enim alia sunt sacra, alia civilia seu profana.

Pro certo statuere possumus, non agi in praesenti Decreto de solemniis civilibus seu profanis: de his enim nulla fit aperta mentio, nec ulla suspicari potest de iisdem tacita designatio.

Omnino autem abs re esset huc revocare *solemnitates iuridicas*, cum hae sub solemnium nomine venire non possint. Solemnitates enim iuridicae quaedam sunt requisita seu conditiones, seu etiam publicae agendi rationes, tum in iudiciis,

---

(1) Constit. *Coelestis Hierusalem* data sub die 5 Iulii 1634. Addit praefatus Pontifex: « contradictores quoslibet et rebelles ac praemissis non parentes per sententias, censuras et poenas ecclesiasticas aliaque opportuna iuris et facti remedia..... compescendos esse.

(2) Totum hoc argumentum de poenis contra decreta Urbani VIII violatores, luculenter et pro modo suo erudite, pertractat Benedictus XIV *De Servorum Dei Beatificatione etc.* L. II, cap. 16.

tum in contractibus, tum in quibusdam actibus publicis, stricte observandae ad actuum authenticitatem et validitatem consequendam.

Ob aliam quoque rationem de his solemnitatibus non potest esse sermo in praesenti Pontificis mandato, et est quod in eo prohiberi dicuntur *solemnia, quae contra pristinam consuetudinem celebrantur*; solemnitates autem iuridicae non proprie *celebrantur,* nec sunt contra pristinam consuetudinem; sed sunt antiquitati maxime conformes, et in Processibus Causarum Beatificationis et Canonizationis observandae (1).

Non restant itaque, nisi solemnia sacra, et de his est procul dubio prohibitio in Decreto lata: si quid enim verba significant; si quid per prohibitionem intenditur quod cultum respiciat et moderetur; profecto prohibitio nonnisi de solemniis sacris intelligenda est. Quod adeo manifestum et evidens putamus, ut nobis supervacaneum videatur in hoc demonstrando diutius immorari.

Solemnia autem sacra distinguenda sunt in *stricte liturgica,* seu solemnia *quoad ritum* et in *simpliciter ecclesiastica* seu solemnia *quoad modum.* Priora sunt illae sacrae functiones, in quibus Ministri, cantus, thurificationes et cetera omnia adhibentur, quae pro ritu solemni in rubricis praescribuntur. Altera sunt illae sacrae functiones, in quibus ritus quidem privatus adhibetur, sed extrinsecis exornatur ecclesiasticis solemnitatibus; puta publica populi convocatione, Cleri assistentia, praedicatione, campanarum sonitu, etc., etc.

Distinctio exemplo declarari potest: Missa, ex. gr., *solemnis quoad ritum,* ea est quae celebratur cum Ministris, cantu, thurificatione et caeremoniis in Missali praescriptis

(1) Ex tribus capitibus, potissimum, solemnitates iudiciales in Causis Servorum Dei servandae, constituuntur: 1° ex *persona iudicis,* quae est suprema in Dioecesi, sive auctoritate propria ordinaria, sive auctoritate a Summo Pontifice delegata, quae *pro Tribunali* sedeat; 2° ex *loco sacro,* in quo Processus sunt habendi, scilicet in Ecclesia, vel saltem Oratorio; 3° ex *forma sequenda,* quae omnia iudicialis ordinis praescripta complecti debet.

pro Missa solemni et cantata. Missa vero *solemnis quoad modum* ea est, quae ritu privata celebratur, sed externa circumdatur solemnitate, veluti populi convocatione, extraordinario Ecclesiae aut altaris apparatu, etc.

Tenendum, utrumque solemnium genus in Pontificis Decreto prohiberi. Nam Pontifex nullam distinctionem ponit, et iuxta tritum axioma: *Ubi lex non distinguit, neque nos distinguere debemus.* Item aliud axioma habet: *Ubi eadem est ratio, eadem est legis dispositio.* Iam animadvertimus, peculiarem Pontificiarum prohibitionum rationem esse: ne in errorem inducantur fideles, et ne talium solemnium specie decipiantur. Hoc autem per utrumque praefatorum solemnium genus evenire potest. Nullum igitur legitimum dubium moveri posse videtur circa omnimodam utrorumque solemnium comprehensionem in Pontificis Decreto, ideoque sacra solemnia quaecumque, sive a *ritu*, sive a *modo* solemnitatem accipiant, prohibita habenda sunt.

Quam ob rem, ex dictis sponte sua sequitur, in inchoandis, sive occasione vel respectu inchoandi Servorum Dei Ordinarios Processus, prohiberi:

a) Missam quacumque canere, sive de die, sive votivam pro re gravi et etiam *de Spiritu Sancto.*

b) SS. Sacramentum solemniter exponere, et ante illud *solemnes* fundere preces.

c) Processiones ducere ad instar litaniarum rogationum ad invocandam Spiritus Sancti gratiam.

d) Novemdiales sive triduanas instituere preces, quae sint veluti ad Processus inchoandos praeparatio.

e) Praedicationes item facere, vel etiam unam orationem habere quocumque de argumento, si ad hoc ordinantur, ut sint veluti ad Processus incipiendos praeparatio.

Prohibitum autem haberi non debet, antequam Ordinarii inchoentur Processus:

a) Unam Missam votivam *legere*, permittente ritu (1),

---

(1) Dicimus *permittente ritu* nempe in festis semiduplicibus aut simplicibus, in quibus Missae votivae cuique permittuntur.

de Spiritu Sancto aut *de Beata Virgine Maria*, aut de alio aliquo Sancto, assistentibus etiam qui Tribunal componere debent.

b) Talis Missa *legi* etiam poterit in Ecclesia Cathedrali, dummodo absit quodcumque solemnitatis signum.

c) Procul dubio licet Ordinario collectam *de Spiritu Sancto* imperare etiam pro tota Dioecesi et etiam pro toto tempore, quo perdurat Processus Ordinarius; id enim nullam indicat solemnitatem.

d) Item licet SS. Sacramentum *private* exponere; coram Eo hymnum *Veni, creator* canere, in cantu tamen et forma communi, et benedictionem cum Sanctissimo impertire.

e) Putamus posse etiam Litanias Sanctorum in forma ordinaria ante SS. Sacramentum cantari ad Sanctorum auxilium invocandum.

Quamvis haec etiam in Cathedrali Ecclesia licite peragi posse putemus, dummodo sine ulla solemnitate fiant, consultius tamen autumamus, id fieri in Sacello Palatii Episcopalis et sine ullo strepitu.

Si queeritur, quid sibi velit illa declarativa propositio, qua solemnia prohibita designantur utpote « quae contra pristinam consuetudinem celebrantur », respondemus, tali propositione dumtaxat significari solemnia, quae prohibentur, recentioris esse usus, et ea tantummodo quae talia sunt Summum Pontificem prohibere voluisse. De his enim tantum notitia Romam perlata fuerat, et ad haec peculiariter directa est praesens prohibitio.

In quo autem revera sita sint ea solemnia contra pristinam consuetudinem celebrata, dicere possumus, ea in Missarum solemnium celebratione, in solemni SS. Sacramenti expositione, ac in peculiari praedicatione circa Servi Dei gesta, de quo erat Processus inchoandus, posita fuisse.

Horum tamen solemnium usus nondum late vulgatus fuerat, et provide Summus Pontifex antequam praedictus usus radices ageret, per praesens Decretum, illum convellit.

Consultationes.

Q. De quibusnam Sanctis *celebrari possunt missae votivae*, et quaenam Sanctorum missae *pro votivis sumendae sunt?*

R. I. **De quibusnam?** De illis sanctis qui ex concessione Ecclesiae cultu publico universali coli possunt.

1. Ideoque *non de Beatis*. Quum, per beatificationem formalem aut aequipollentem, Ecclesia non velit iudicium definitivum ferre de sanctitate alicuius servi Dei, cultum publicum, quem ei exhiberi concedit, non permittit universalem, sed variis modis quoad locum et quoad actus restrictum. Non plus ergo permittitur quam quod in singulis casibus conceditur, et non licet « excedere limites verbales indultorum Sedis Apostolicae super Beatificationibus » (n. 942). Qui limites generales determinantur decreto Alexandri VII (n. 1130, coll. n. 1156), quo vetatur (sub n. 7), ne dies festi celebrentur nisi speciali indulto apostolico provisum fuerit « et (sub n. 6) ne missae Beatorum determinatis personis vel ecclesiis concessae alibi celebrentur (1). »

Non exstat autem generale indultum celebrandi de Beato missam votivam, et S. C. Rituum in casu particulari rogata negavit huiusmodi missam licere (n. 1568, 1). Ergo neque in iis locis, ubi officium et missa in die festi alicuius Beati conceditur (v. g. de B. Idesbaldo in dioecesi Brugensi), licet de eodem Beato celebrare missam votivam, nisi vi specialis indulti apostolici.

2. Petmittitur vero de *Sanctis*, formaliter aut aequipollenter canonizatis, quorum nomina in Martyrologio Ro-

(1) Haec restrictio hodie intelligi debet iuxta tenorem decr. 9 iul. 1895 (n. 3862), de missa celebranda in ecclesia aliena.

mano sunt inscripta (n. 3922, § III, 1), aut in quorum honorem « in ipsorum die missae festivae a Sede Apostolica sint concessae aut ab immemoriali fuerint recitatae » (1). De aliis vero, quorum cultum Ecclesia non positive approbavit, sed toleravit tantum, etiamsi eorum reliquiae religioso cultu asserventur, non permittitur celebrare missam votivam (decr. gen. n. 1853).

II. **Quaenam missae?**

1. Missae quae in fine Missalis ut *votivae* describuntur, nempe de SS. Angelis et de SS. Petro et Paulo; item de S. Ioseph, *Adiutor et protector*, quae olim inter votivas per annum, nunc autem in novis Missalibus additur ad Dom. III post Pascha (2).

2. Missae Sanctorum *propriae* quae in die festi in Proprio Sanctorum integre aut partim exhibentur vel saltem indicantur.

Nota tamen, missas Sanctorum proprias quae exstant in Appendice Missalis pro aliquibus locis vel in Proprio Dioeceseos, adhiberi tantum posse ut votivas in iis ecclesiis, in quibus conceditur has missas celebrare ut festivas in propriis diebus festis. Ita v. g. in dioecesi Mechliniensi, ubi non est concessum festum S. Godelivae, missa votiva in honorem huius Sanctae celebranda esset ut in Communi Virg. et Mart. 1° loco, *Loquebar* prout iacet, sed sine oratione propria dioecesi Brugensi concessa.

3. Si missa propria, vel partim vel imo ex integro deficiat, supplendum est per partes vel missam integram *de Communi* magis convenientem qualitati Sancti et tempori anni ecclesiastici. Si v. g. in corpore Missalis exstant solae orationes in honorem alicuius Sancti Confessoris Pontificis, ita tamen ut secreta et postcommunio sint desumptae ex missa de Communi *Statuit,* haec missa, non vero missa *Sacerdotes* erit dicenda. Si huiusmodi indicia inveniantur

(1) De Herdt, *S. Liturgiae praxis* t. I, n. 37.
(2) Cf. decr. n. 3764, 9; 23 ian. 1912.

iu Appendice aut in Proprio alicuius dioeceseos extraneae, utilia erunt ad seligendam missam maxime congruam, licet partes propriae non possint adhiberi nisi in locis pro quibus missa propria est concessa. Quod si tandem nullum suppeditatur in Missali indicium, sacerdos ipse iudicet de convenientia missae cum qualitate Sancti. Si v. g. sit celebrandum in honorem alicuius Sanctae nec Virginis nec Martyris, sed quae diu fuerit vidua, sumatur missa *Cognovi* cum epistola speciali *Viduas honora.*

III. **Mutationes inducendae.**

1. Missae propriae compositae sunt intuitu alicuius festi determinati, maxime diei anniversariae Natalis Sanctorum ad vitam aeternam. Verum illa festa dies, habens sedem fixam in mense, est independens a Proprio de Tempore, h. e. a logica et historica vitae Redemptoris repraesentatione per annum liturgicum.

Ex quo intelligitur, has missas posse celebrari etiam aliis diebus et extra ordinem officii — h. e. ut votivae — quin inde oriatur oppositio quaedam cum mysteriis vitae Christi quae successive recoluntur, qualis oppositio esset, si v. g. missa Nativitatis Domini celebraretur tempore passionis.

2. Aliunde tamen solent in his missis occurrere verba aut imo partes quae propria sunt *festo,* quia alludunt ad determinatam diem, aut ad factum quod recolitur, aut exprimunt indolem ac solemnitatem ipsius festi. Ut autem in missa extra hunc diem festum celebrata servetur veritas verborum, debent induci interdum quaedam mutationes in textu formularum. Quare:

a) Omitti debent verba: *hodie, hodierna dies, huius diei, annua dies* et alia huiusmodi.

b) Verbis: *natalitia, natalis, solemnitas, festivitas* debent substitui alia quae abstrahunt a die propria festi, v. g. *memoria, commemoratio* (nn. 3922, III, 1; 2427, 2; 3138; 3539, 1);

c) Si quae pars integra ita exprimat caracterem festi-

vum diei ut extra festum non possit verificari, ei substituatur formula respondens ex missa de communi magis convenienti. Ita v. g. loco Introitus « *Gaudeamus* omnes.., *diem festum* celebrantes sub honore... », dicatur pro S. Anna, Introitus ex missa *Cognovi*, pro S. Agatha, ex missa *Loquebar*.

3. In eligenda et celebranda missa votiva, diligens ratio est habenda *temporis anni ecclesiastici* in quo celebratur.

Ita missam propriam conceptam pro tempore post Pentecosten, si dicenda sit tempore paschali, celebrabit sacerdos cum duplici *Alleluia* ad antiphonam Introitus et unico *Alleluia* post Offertorium et Communionem, et loco Gradualis assignati dicet post Epistolam « magnum Alleluia » quod desumet ex missa respondente de Communi. Quod si hanc missam celebret post Septuagesimam, loco versus alleluiatici post Graduale dicet Tractum congruum de Communi. Item extra tempus paschale in missis votivis omittenda sunt « Alleluia ». Qui casus praesertim practitus est pro missa de SS. Corde Iesu (nn. 3137, 5; 3764, 10 (1); 2784, 3).

Quod spectat votivas de Martyribus, sedulo observandum est in Communi tam unius quam plurimorum martyrum exstare missas alias per annum, alias omnino diversas pro tempore paschali. Si igitur extra tempus paschale dicenda est in honorem S. Martyris missa quae in Proprio Sanctorum exstat tempore paschali, sumenda erit missa de communi per annum (aut vice versa), retentis tamen semper quae propria sunt Martyri in cuius honorem celebratur (nn. 2340, 3; 2839, 5).

4. Si dicenda sit votiva de *pluribus Sanctis non simul adscriptis in calendario:*

a) Si sint eiusdem qualitatis (v. g. de S. Antonio et de S. Francisco Assisiensi, confessoribus non pontificibus), sumatur missa de communi sanctorum huius qualitatis (conf. non pontif.), mutando in orationibus singulare in plurale et utrumque sanctum nominando.

(1) In hoc decreto n. 3764, 10, responsum est corrigendum, et loco « Negative » legendum est « Affirmative » ut authentice constat ex Indice Decretorum Authenticorum, t. V. p. 129. Cf. *Ephem. Liturg.*, t. XI, p. 164; 346; XVIII, 307 ss.

b) Si vero non sint eiusdem qualitatis aut dignitatis (v. g. S. Franciscus conf. non pont. et S. Clara virgo) dicatur missa de digniori (in casu de S. Francisco) et in orationibus nulla exprimatur qualitas, nisi quae conveniat omnibus, vel eligantur orationes quae indiscriminatim omnibus Sanctis apprime conveniunt, v. g ex missa S. Callisti (14 Octobris).

5. Si petatur missa in honorem *unius Sancti qui in calendario cum sociis est adscriptus,* videndum est utrum, recitatis orationibus in singulari et paucis forte mutatis vel demptis, servari possit missa propria. Hoc magis optandum est si in missa sint quaedam propria soli Sancto de quo celebratur (v. g. de S. Dionysio, 9 Octobris). Quod si omnia fere referantur ad plures, sumatur potius missa conveniens de communi.

6 Si petatur missa in *honorem Sancti* alicuius et simul *pro aliqua necessitate,* celebretur missa de Sancto iuxta regulas praedictas, cum intentione obtinendi gratiam specialiter intentam. Potest etiam, diebus ritus simplicis, addi oratio votiva (post tertiam orationem) pro dicta necessitate.

C. CALLEWAERT.

BREVIORA RESPONSA

Pro archidioecesi Olomucensi. — I. Ex apostolico indulto potest apud nos cantari Missa votiva de B. M. V. « Rorate » etiam in festis S. Andreae et S. Thomae Apostolorum, quorum festa gaudent ritu dupl. 2 cl. Quaeritur: Suntne hisce diebus in dicta Missa votiva Orationes imperatae addendae vel omittendae?

Resp. Si Missa *Rorate* concessa est celebranda ritu solemnium Missarum votivarum (quod alicubi reipsa constat), negative, ratione solemnitatis, si vero ritu semiduplici, etiam negative, ratione influxus duplicis classici commemorati.

II. Licetne in Missa votiva de S. Vincentio de Paulo, quae celebratur in die eius natalitia, die 27 septembris, addere hymnum angelicum, etsi festum S. Vincentii celebretur die quasinatalitia, 19 iulii?

Resp. Affirmative, uti enim diceretur hymnus in Missa votivo-festiva v. gr. Sanctae Hiltrudis Virginis, de qua nihil fit in loco, ita de S. Vincentio, quamvis de eo nihil fiat. Iure enim quasi dicerem nativo haec Missa ius habet ad *Gloria*. Similiter accidit die sabbati, in quo, quamvis nihil factum sit de S. Maria, haec, tali die, iure nativo ius habet ad illud festivitatis signum in Missa votiva. Neque dicatur, festivitate translata in quasi natalitium, nihil remanere die natalitio, quia reipsa aliquid manet: est vere dies natalis Sancti, qui reipsa, in Martyrologio liturgicam commemorationem adeptus est.

III. Licetne praesente corpore defuncti sive adulti sive parvuli dare benedictionem cum Venerabili?

Resp. De casu defuncti adulti nihil dicimus trita sunt nimis decreta quae obstant. De casu defuncti parvuli, non meminimus de aliqua positiva lege, sed nimis absonum id videtur a liturgicis dispositionibus, quid novi sapit et venerationi in Sacramentum debitae videtur adversari.

IV. Quid dicendum ad praxim sequentem: Finita Missa de Requie, quae in Anniversario depositionis vel uti quo-

tidiana celebratur, deponit Celebrans paramenta Missae in cornu Evangelii, collocat Calicem velo nigro coopertum ad latus Evangelii, et exponit Sanctissimum pro benedictione. Debetne potius in Sacristiam recedere et ibidem paramentis Missae depositis procedere ad benedictionem impertiendam?

Resp. Potius quam ad legem ullam liturgicam, appellamus ad leges decoris et elementarissimae convenientiae, quae talem rerum inconcinnitatem et praecipitationem condemnant.

V. Reducta die octava Ss. Innocentium ad ritum simplicem, estne S. Titus Ep. Conf. restituendus diei suae natalitiae, 4 ianuarii?

Resp. Negative; sed standum Martyrologio Romano, *usque dum de hoc aliquid aliud decernatur.* Agitur enim de re universam Ecclesiam tangente, in qua nemo vocem habet, sed una suprema auctoritas.

Pro dioecesi N. — I. Si, occurrente festo titularis Ecclesiae N. (Inventio s. Crucis) cum festo Solemnitatis s. Ioseph, transfertur festum titularis, uti dicitur in *Ephemer. Liturg.* huius anni, pag. 174; in die octava, scilicet dominica IV post Pascha, quid agendum?

Num de dominica cum comm. octavarum s. Ioseph et s. Crucis, an potius de octava s. Crucis (festum Domini) cum comm. dominicae et octavae s. Ioseph?

Resp. In casu fiet de die octava s. Crucis, quae non transfertur, quamvis Officium diei festi in feriam secundam translatum sit. Hic autem non valet regula de praestantia octavae consideranda in relationem ad festum, quia, in casu, est dominica quae utrique diei octavae praeferri debet; sed cum officium Domini, etiam de die octava, si occurrat, subrogetur oporteat ipsi Officio Dominicae, reviviscit et dignius evadit Officium diei octavae s. Crucis.

II. Quare in specimine calendarii Ecclesiae universalis pro anno 1914 in *Ephemer. Liturg.* exhibito, adnotatur Compl. Dom. in II Vesp. diei 1 augusti? Nonne si hoc verum est, error admittendus sit in II Vesp. diei 22 et 29 eiusdem

augusti, in quibus, cum iam nihil dicatur, Completorium de sabbato singulis locis sit praesumendum?

Resp. Est error in loco primo citato, qui corrigendus est, non est enim casus dicendi: in dubio, standum Calendario, quia, ut cuique patet, dubium nullum adest.

III. *a*) In Missa Vigiliae in qua commemoratur octava Apostoli vel B. M. V. quae praefatio est dicenda? Apostolorum vel B. M. aut communis?

b) Et in dominica infra octavam Assumptionis, recte ne ponitur praefatio Trinitatis?

Resp. *a*) Praefatio Apostolorum vel B. M., quia cum praefatio propria Missae nulla sit, praeferri debet alia propria commemorationis.

b) Affirmative, est enim haec propria Missae.

IV. In dominica infra octavam Assumptionis, recurrente s. Ioachim, et in dominica infra octavam Visitationis B. M. V. titulari ecclesiae T., recurrente festo Pretiosissimi Sanguinis conclusio hymnorum et ℣. ad Primam sunt de B. M. V. quamvis commemoratio eius octavae omittatur?

Resp. Affirmative; non enim, ut alias diximus in his Ephemeridibus, *cessat* octava, sed perdit commemorationem in illa parte quae duplici II classis repugnat, hoc est in antiphona, Versiculis et Oratione quae sunt additamentum ad Officium; non vero in illa parte quae non repugnat, nihil enim additur, sed tantum immutatur, hoc est in ℣. ad Primam, et in doxologia. Adverte tamen, quoad secundum casum, ℣. ad Primam haberi proprium de festo Pretiosi Sanguinis.

V. Debetne legi Evangelium Vigiliae s. Bartholomaei in fine Missae Octavae Assumptionis B. M. V.?

Resp. Affirmative, nihil enim obstat ut communi legi derogetur, in casu; et omissio illius indicationis in specimine Calendarii excusanda est, oblivionis causa.

Pro loco N. in Galicia. — Octava SS.mi Corporis Christi est privilegiata uti Octava Epiphaniae Domini; hinc infra eam bene fiet Officium de festo ritus duplicis I classis, cum commemoratione octavae.

CENSURA LITURGICA

CUM RELATIVIS RESPONSIONIBUS

Libenter vulgamus animadversiones quasdam, contra nostras nonnullas solutiones in nov. 1913 mensis fasciculo datas; gaudemus enim, nostros R.mos Consociatos peculiari studio S. Liturgiam prosequentes, nostrarum Ephemeridum cupere incrementum; et non contentos eas simpliciori sermone loqui, desiderare easdem auctoritate maiori se vestire, sive fusius argumentando, sive documenta exhibendo. Evidens quippe est, ex illorum observationibus, brevius responsum saepe peritos minus satis facere ob argumentationum carentiam; at, fatemur, spatii eramus forsan nimis avari, contenti quod responsum inquirenti praesertim satis fecisset; multi quidem, uti constat ex epistolis quae dubia comitantur, scire volunt quid *iuxta nostram sententiam* agendum, in hoc vel in alio casu, de ratiocinandi methodo non solliciti.

Uti aliquando et anteacto tempore nos fecisse constat, semper parati sumus a nostra sententia recedere, quum veritas probatur oppositae; ultro censuram admittimus, sed pariter ne conquerantur Censores, si iustae polemicae demus locum. Videamus igitur quid erga novissimos egregios Censores reponere fas sit.

Ex Eggenburg, in Austria. — I. In n. 11 *Ephem. Liturg.* pag. 682 *(pro Galicia)* exoritur dubium circa Responsum. Iuxta generale decretum 4025, IV et V, in hisce Oratoriis, semipublicis, quae solis Missis inserviunt, non sunt celebranda Titularia sub ritu dupl. I cl. cum octava, alioquin in omnibus Oratoriis Regularium intra clausuram, ubi as-

servatur Ss. Sacramentum, celebranda essent Titularia sub dupl. I cl. cum octava, quod mihi absonum videtur.

Resp. Decretum citatum apertissime docet, in oratoriis semipublicis, nempe in Aedibus episcopalibus, Seminariis, Hospitalibus, *Domibusque Regularium,* si aliqua ex his consecrata vel *benedicta solemniter* fuerit, relativum festum esse celebrandum. Nunc vero in casus expositione, Inquirens dixerat, uti legenti apparet, quod *hoc oratorium est* SOLEMNITER *benedictum.*

Dicit Censor, eiusmodi oratoria *solis Missis inservire.* Dato etiam et non facile concesso quod ita sit, quia saepe e contrario Regulares officium in interno oratorio persolvunt, id nihil probaret contra nostram sententiam. Idem esset in casu de ecclesia publica etiam consecrata, v. gr. Societatis Iesu, quae Officium publice non persolvit; iuxta nempe sententiam Censoris, non posset ibi recoli Titularis sub ritu dupl. I cl. cum octava, eo quod solis Missis inserviat; quid ipse respondet? Sed et decretum ipsum ait praecise, quod in defectu cleri celebrandum est festum titulare *per solas Missas.*

Asserit insuper Censor: alioquin in omnibus oratoriis Regularium intra clausuram ubi asservatur Ss. Sacramentum celebranda essent eadem ratione Titularia. Responsum datur ab ipso decreto citato, cum distinctione: si oratorium est *non solemniter* benedictum, negative; si est *solemniter* benedictum, affirmative. Ceterum difficile est inveniri oratoria semipublica *solemniter* benedicta.

Non est igitur absonum assertum nostrum, sed legi conforme.

II. Pag. 687, X, et pag. 688 *(pro Congr. Miss. in dit. Austr.),* quomodo dari potuit responsio a diametro diversa, cum rationes omnino sint pares?

Resp. En nostra enunciata (iuxta legem decreto diei 28 octobris 1913 anteriorem): 1. Congregatio SS.mi Redemptoris celebrare debet, in quacumque dioecesi domus eius inveniantur, Anniversarium dedicationis omnium eccle-

siarum Instituti Dominica III octobris, ipsis assignata, non obstante Anniversario dedicationis ecclesiae cathedralis, respectivae dioecesis, de quo die sequenti: 2. Congregatio a Missione celebrare debet, in quacumque natione inveniantur domus eiusdem, Anniversarium dedicationis omnium ecclesiarum Instituti Dominica II novembris, ipsis assignata, non obstante quod in domibus imperii Austriaci fieri debeat de Anniversario dedicationis cathedralis respectivae dioecesis Dominica III octobris. Ubi contradictio? Principium aeque applicatur, quod Ordines et Congregationes religiosae, quae celebrant Anniversarium dedicationis proprii Instituti, iuxta Decreta, non debent Anniversarium dedicationis ecclesiae loci celebrare quando illud celebrant aliae dioecesis ecclesiae, sed die ipso quo communiter in Ordine vel Congregatione recolitur. Hoc principium utroque in casu proposito applicavimus, et nescimus aliter applicare. Anniversarium dedicationis ecclesiae cathedralis, profecto, vel celebratur sua die, si distincta sit ab Anniversario Instituti, vel amandatur ad sequentem diem liberam, si non sit distinctae diei affixum, sed eidem quo illud ipsum Instituti.

E Lucana dioecesi. — I. Maluisset Censor, quod, in Responso ad pag. 681 *Ephemeridum* mensis novembris curr., Inquirens remissus fuerit ad *Mutationes,* pag. 42, sub titulo *Feria II,* circa lectionem *Initiorum* S. Scripturae.

Resp. Responsum dedimus opportunius visum, eo quod Mutationes *citatae* non essent definitivae; sciebamus enim alias parari typographis liturgicis tradendas, quae hodie revera ipsis traditae sunt, sed adhuc manent sub secreto. Ceterum sub titulo Feria II, loco citato, dicitur « Omittatur Rubrica post III responsorium posita », quod non facit ad rem; sed forte Censor scribere debebat: « Sabbato infra Hebdomadam II post Epiphaniam ».

II. Circa mutationem terti versus in hymno *Iste Confessor,* vide inferius sub titulo *E Vallendar.*

III. Dicitur ad pag. 697, n. II, Responsum esse sybillinum.

Resp. Convenimus cum cl. Censore, sed certi sumus quod, sicut ipse, ita et ceteri Lectores, satis solutionem intellexerint iuxta responsum secundo loco citatum. Evidens enim est, hanc responsionem conferendam esse cum alia eiusdem scriptoris in eodem fasciculo (pag. 682, VIII); facile quisquis intellexit, errorem nos percipere in loco primo citato, et non secundo loco; ceterum rationes adductae in hac postrema solutione a Censore citata id important. Ad maiorem rei claritudinem confirmamus: In casu legi debet Evangelium de alterutra Vigilia quia lex est: 1. In Missa Officio diei conformi, seu in ordine Officii, dici debet Evangelium feriae vel Vigiliae commemoratae; 2. In Missa Officio diei non conformi, seu extra ordinem Officii, dici debet Evangelium feriae vel Vigiliae; ergo quocumque in casu Evangelium esse debet de feria vel Vigilia commemorata. Quod si Mutationes (non iam amplius in hoc casu valiturae, ex mutato iure) dixerant Evangelium de Vigilia, vel interpretandum est de nova dispositione contra citatas leges, vel de simplici exceptione.

IV. Ad eandem pag. 697, n. III, asseritur errata sententia, quia contradicit n. 8 post Notanda in tabellis, iuxta *Mutationes*.

Resp. Rogamus cl. Censorem et benevolos Lectores, ut exspectare velint novam Breviarii editionem, in qua casus concurrentiae diei VII infra octavam Nativitatis S. Ioannis Bapt. cum festo Pretiosissimi Sanguinis fixe habebitur, inter dies 30 iunii et 1 iulii. Numerus 8 *Mutationum* nequit invocari, quia casus non est idem, et rationes a nobis allatae satis videntur validae, et non dubitamus nostram sententiam conformem textui novi Breviarii esse futuram.

E Vallendar. — I. Plerumque ea quae ratiocinando concluduntur, certitudine quam maxime increscerent, si ad ea confirmanda decreta vel (quando adsunt) rubricae invocarentur; id rarius quam oporteat fieri mihi videtur.

Resp. Confer quae diximus initio huius articuli. Ceterum, quantum possibile erit, RR. Consociatis morem gerere

parati sumus. Verumtamen in responsis quae inter breviora collocamus citationibus indulgere vix possumus.

II. Pluries iam factum est, et etiam in hoc fasciculo (novembris) occurrit, ut de eodem quaesito duo dentur responsa opposita. Quod sane mirum esse non potest rationes internas rimanti; at valde incongruum videtur quod Redactio (prioris forsan immemor responsionis) aliquam notam apponere non censuerit, praesertim quando rationes perspicuae mutatae sententiae non apparent seu non afferuntur. Huiusmodi vero notas putaverim esse apponendas v. g., exinde sententiam oppositam iam supra p. . . . . allatam minime destrui; nam...., vel hanc videri praeferendam, tenendam, esse improbabilem, vel utramque sententiam teneri posse, et similia prout casus ferat. Quibus innixus, haec in « Breviora responsa » fasc. 11 *Eph. Lit.* animadvertenda esse censui, quae forsan Redactio alteri fasciculo inserere velit, si ei videbitur.

Resp. Videtur nobis quaestio esse de forma, quia substantialiter convenimus cum cl. Censore. Etenim quando duae vel plures sententiae exhibentur sine ulla animadversione, id significat, iuxta iudicium (et forsan non oblivionem) Redactionis, indifferenter eas posse teneri, cum clare non appareat quid obiective sit tenendum; ceterum nihil obstat quominus declaretur quaenam sit Redactionis sententia, scilicet quid sentiat pars maior Redactorum; possunt enim in Redactione ipsa esse oppositae sententiae.

III. Ad primum dubium (pro Gallia, pag. 677 s.) solvendum, maxime facit decretum S. R. C., n. 4105, I, quod ita redditur in indice Decr. Auth. pag. 166, col. 2: « Regulares et Religiosi, nisi Calendario Cleri saecularis localis utantur, non tenentur ad Officia loci quo degunt, licet alicui regno vel dioecesi concessa fuerint cum clausula *praeceptiva* pro *universo* Clero saeculari et *regulari,* exceptis festis Titularium et Dedicationis Ecclesiae Cathedralis ac Patronorum. 4105, ad I. Et haec explicatio declarata est authentica in Decreto approbationis, Vol. VI Decr. Auth., 24

Apr. 1912. Decr. vero n. 1708 ad 2 interpretandum est secundum decreta posterius edita, nn. 3084, I, 3147, decr. 4105, I, aliaque.

Nota, istam declarationem esse factam antequam mutata disciplina festa minui coepta essent in calendariis particularibus. Quare a fortiori hodie regulares *non tenentur* addere huiusmodi festum proprio Calendario, immo neque possunt amplius, ut ex § 3 cit. Instr. (*Eph. Lit.* p. 677) satis constat.

Ad alterum dubium (p. 678 s.). Quae dicuntur de festis suppressis confirmantur egregie principio statuto in decreto S. R. C. n. 4236, II, atque aliis permultis responsis S. Sedis, v. g. S. C. C. 8 aug. 1911 (*Eph. Lit.* 1911, 518), S. R. C. nn. 2589, 3106, 2592, IV, 2593, II, 2594, etc., quibus cautum est, in his festis nihil omnino quoad iura liturgica mutari. Ergo non cessat obligatio Regularium eiusmodi festa concelebrandi cum dioecesi, sicuti celebranda erant ab eis, quando adhuc feriata erant.

Resp. Additiones has cl. Censoris libenter accipimus in confirmationem nostrae responsionis, et tamquam exempla illius claritudinis quam ipse cupit. Sed a brevioribus responsis eiusmodi solutiones subtrahere necesse esset.

IV. Ad pag. 680, n. III. Imperfecte citatur decretum 4033 hoc loco, et sic conclusio redditur *erronea*. Principium adamussim observatum est istud. Quoties Ss. Confessores extra diem natalem recoluntur, hymnus est mutandus. Sed si die immediate sequenti recoluntur, primae Vesperae incidunt adhuc in diem natalem. *In iis ergo, dummodo saltem a capitulo recitentur, hymnus dicitur sine mutatione.* Iam quaeritur, utrum dein ad Matutinum et II Vesperas hymnus mutandus sit necne? Et S. R. C. resp.: « In casu, sicut dicendum est *Meruit beatas* ad *primas Vesperas*, ita eodem modo *continuandum* ad Matutinum et Vesperas sequentis diei » (n. 4033). Et ita « Mutationes » disponunt, v. g. 3 dec., 13 nov., etc.

Si vero hymnus in I Vesperis dici non potuit, tunc in aliis horis m. t. v., quia in casu hymnus totaliter extra

diem natalem recitatur. Ita conseqnenter statutum est die 14 ian., 23 (febr., etc., v. « Mutationes ») et 26 aug. (iuxta anteriores dispositiones).

Falsum igitur est « in casu (sc. 14 ian.) agi de materiali errore involuntarie posito in Mutationibus Breviarii, quia decretum citatum (sc. 4033) abolitum non fuit ». Econtra « Mutationes » plane conveniunt cum citato decreto, ut probatum est. Decreto tamen 3892, I, partim derogatum est nova rubrica speciali diei 23 febr. apposita, quae tamen cum decreto 4033 concordat omnino.

Resp. Tota difficultas est in enunciato, quod distinctis typis in censura notavimus: *In iis ergo, etc.,* ac praecise in clausula: *dummodo saltem a capitulo recitentur* (Vesperae).

Haec clausula substantialiter invenitur in *Mutationibus,* pag. 81, die 23 februarii pro S. Petro Damiani, non autem alio loco, v. g. pag. 110, pro S. Ludovico, die 26 aug., pro S. Henrico, die 15 iulii, pro S. Hyacintho, die 16 augusti, pro S. Petro de Alcantara, die 19 octobris recolendis, qui possent habere primas Vesperas vel integras, vel aliquis eorum a capitulo; indicatur pro festis S. Caroli, S. Didaci et S. Francisci Xaverii, sed non invenitur in festo S. Alfonsi M. de Ligorio, neque in Communibus. Nunc autem ex hac agendi ratione apparet, non esse positum tamquam *principium,* illud criterium de Vesperis saltem a capitulo. Et cum praxis notata in Mutationibus non inveniatur sancita per ullum Decretum, nos eam, etiam ex consilio alterius periti in S. Liturgia, *dubitative* (diximus: *putamus*) notavimus de involuntario errore, et addidimus standum esse Mutationibus, *quasi ipsae exceptionem a regula generali indicarent* (intellige etiam aliis in locis, de quibus non erat quaestio).

Non enim satis ratiocinando explicari potest cur Officium compendifactum in Vesperis, hoc est tantummodo commemoratum, non debeat haberi tamquam principium festi diei sequentis, prout ratiocinari sinebat decretum 3892, I. Quod si dici velit cum Censore, huic decreto partim dero-

gatum esse *nova rubrica speciali* diei 23 februarii, nos arma deponimus, numquam enim auditum est, per exceptiones derogatum censeri legi universali !

Dicit insuper Censor, hanc rubricam peculiarem cum decreto 4033 concordare omnino. Hoc iterum negamus; decretum istud, enim, ita se habet: « Sicut dicendum est *meruit beatas* ad primas Vesperas, ita eodem modo continuandum ad Matutinum et Vesperas sequentis diei ». Casus propositus erat de hymno ad primas Vesperas dicendo, et responsio nequibat esse diversa; sed hoc non tollit quod habeatur alter casus, videlicet de sola commemoratione, sed de hoc nihil propositum erat et nihil responsum; nunc, si quis dicit a decreto citato considerari casum de commemoratione, fallit omnino: ergo etiam si Sanctus in I Vesperis tantum commemoratur, vere dicitur in ipsis Vesperis recoli, et vere supponit *meruit beatas;* insuper, quando, die sequenti pronuntiatur: *hac die laetus meruit etc.,* sermo reipsa est de die ecclesiastico, iam pridie incepto. Negandum igitur, si logicam sequi velimus, quod ait Censor: *in casu* (de sola commemoratione in primis Vesperis), *hymnus totaliter extra diem natalem recitatur!*

Dicit quidam, distinctioni locum esse: si Sanctus defunctus est ante Vesperas pridiani diei, tunc Officium subsequens haberi extra suum natalitium, si ad vel post Vesperas, haberi in natalitio. Proculdubio ratiocinium placet, sed placeret etiam videre, an hucusque illud secuti sint rubricarum peculiarium redactores. Dicimus hucusque, quia iuxta *Mutationes* novas, non illud, sed novum criterium (si ut criterium habendum est) indicatur, scilicet de Vesperis integris, vel saltem a capitulo, de Sancto, cuius est quaestio.

Patienter ergo feramus expectationem typici Breviarii, in quo norma se gerendi habebitur, etiam pro festo S. Alfonsi Mariae, quod decernet, utrum valeat criterium novum, aut alia interpretatio.

V. Ad pag. 680, V et 693, idem casus occurrentiae (Septem Dolorum et S. Matthaei) diversimode solvitur, si

recte intelligo. Sed quia hic casus attentis novissimis dispositionibus non iam occurret ad alia transeamus.

Resp. Vide superius dicta, ad n. II.

VI. Ad pag. 683, bene posset invocari insuper decretum 4025, § 4 et 5. Quae autem habentur in responso pro Hollandia, pag. 684, partim falsa sunt. Etenim decretum 4006, VII, et 4043, II, ideo vetant Commemorationem S. Michaelis Archangeli, in officio votivo Ss. Angelorum, *quia oratio est eadem;* id ipsum confirmatur responso ad quaestionem octavam eiusdem decreti 4006. At *Ephemerides* dicunt, in ipsis (sc. decretis citatis) agitur de officio Omnium Ss. Angelorum, quod profecto excludere debet Commemorationem peculiaris Angeli.

Ista igitur ratio quae opponitur etiam decreto 3400, II, 1, nullatenus est admittenda. Decreta vero citata plane concordant inter se et cum rubricis specialibus infra Octavam omnium Sanctorum.

Resp. Principium nimis elementare est, Officium *omnium*, non impedire commemorationem *unius*; hinc putamus, omnes RR. Lectores animadvertisse incompletam enunciationem *Ephemeridum* loco citato, quae ita compleri debet: Agitur de Officio omnium Sanctorum Angelorum, quod profecto excludere debet commemorationem peculiaris Angeli, omnium Angelorum orationem habentis, scilicet: *Deus, qui miro ordine* etc.

VII. Ad pag. 689 (pro Dioecesi Civitaten., II), non videtur esse locus optioni, attentis praesertim rubrica missalis (rit. serv. IV, 5) et decreto 2375, III. Similiter P. V. ab Appeltern, Manuale Liturg. I, p. 325, nota 1, qui citat Schober, Caeremoniae Missae sol., art. 1, c. 5, n. 6 (ed. 1894).

Resp. Distingue frequenter! Rubrica Missalis, loco citato, loquitur de Reliquiis seu Imaginibus a dextris et a sinistris positis, et Decretum ad hunc locum refertur. Nullam memoriam facit de Imagine principali, quae si esset (de regula ordinaria) incensanda, non cecidisset a mente Rubricarum compilatoris. Namque casus de Imagine prae-

cipua, praeter Crucem, in loco altaris principe, saltem de facto et fere ubique, non est limitatus ad quosdam dies, sicuti casus de Reliquiis et Imaginibus hinc et inde quasi ad ornatum. Pro illa igitur Imagine praecipua, ad summum invocari posset thurificatio, ratione convenientiae, quando in altari adsunt, iuxta Rubricas, aliae hinc et inde Reliquiae vel Imagines.

Praxis fere communis concordat cum sententia quam protulimus; numquam vidimus Celebrantem thurificantem praecipuam Imaginem, nisi peculiari veneratione habitam, sive ob eius peculiaria adiuncta, sive ob occurrentiam festivitatis ampliori cultui illam exhibentem.

VIII. Ad pag. 690 s., III. Cum non agatur de Missa votiva proprie dicta, certe dici potest; odiosa enim sunt restringenda; confirmatur aliqualiter decreto S. R. C., 6 decembris 1912 ad 5 (A. Ap. S. IV, 727), donec aliter statuatur.

Resp. « Certe » etiam Censor *dubitat;* supponit enim auctoritatem aliter statuere posse, profecto non ex arbitrio, sed ratiocinio. Gaudemus ceterum quod nostra sententia sit etiam illa cl. Censoris.

IX. Ad pag. 691, V. Ex decretis 4126, II et 4159, IV, certe admittitur criterium de quo in casu. En responsum decreti 4159, IV: « Hymni Passionis D. N. I. C., deficientibus propriis Vesperis, sunt transponendi in Officio tam festivo quam votivo; et si Officium utrisque Vesperis careat, ad Matutinum dicatur hymnus « Moerentes » omisso hymno « Aspice » *utpote minoris momenti,* iuxta decretum Congr. Eremit. Camald. M. C., n. 4126, 11 dec. 1903 ad II, pro hymnis S. Mariae Magdalenae. Dispositio vero decreti 4126, II, refertur in « Mutationibus », p. 101.

Nunc quaeritur, utrum praefatum principium praeter duos memoratos casus adhiberi possit, immo debeat? Et posse autumamus, sed debere negamus, ea etiam ratione innixi, quod in Mutationibus, quae sunt de praecepto, notantur propriis locis. Posse vero fieri nullum est dubium semel admisso isto principio, in privata saltem recitatione, cfr. 4262, IV.

Similiter scriptores *Ephemeridum* pluries defenderunt, partes proprias Officiorum esse transponendas, quoties impediuntur. Quam sententiam S. Congregatio fecit suam decreto 4141, I, iterumque 4262, IV, quoad hymnos. Sed illud est consectarium tantum, i. e., hymnos potiores esse ponendos loco hymnorum *minoris momenti* in casu impedimenti.

Resp. Cl. Censori constat de *duobus* casibus, et statim quaerimus: Duo casus efformare possunt regulam, seu *criterium?*

Idem Censor *posse* autumat principium adhiberi praeter memoratos casus, et quaerimus: Quo evolavit *criterium?* Num *criteria* seu *principia,* sunt facultativa?!!

Sequitur Censor: « in privata saltem recitatione »: ergo, quaerimus, iudicium, quod nos videmus incertum et difficile, relinquitur proferendum etiam imperitioribus? Quonam progrederemus, admittentes talia?

Ceterum confusio fit a censura, in comparatione partium propriarum, quae sunt transponendae, et nos non videmus legitime decurrere consectarium, quod illa deducit; aliquid esse *maioris* vel *minoris momenti,* non idem videtur ac *proprium* et *non proprium.*

Rursus dicimus: duo casus non faciunt criterium, seu regulam generalem; hinc ab illis non deducantur ampliora. Si porro Auctoritati placebit, dare simile criterium, dabit etiam opportunas normas, quibus res facile ducantur.

X. In decreta quandoque commentaria desiderantur, aut plane, aut quae difficiles locos revera elucident.

Resp. Difficile est, concedat cl. Censor, omnibus occurrere interesse habentium desideriis; attamen, quantum in nobis erit, in debita existimatione tenebimus animadversionem Rev. Censoris, cui hic in fine gratias agimus, prout et ceteris, tum de opportunis observationibus, tum de venia, quam illis petimus, et illi dabunt, si in his exarandis responsionibus aliquid minus rectum in eos commisimus.

Appendix
ad Caeremoniale Parochorum

cum parochus, speciali occasione, copiam sacrorum ministrorum habens, functiones praecipuas solemnes (hic in compendium redactas) aliquando peragere cupit.

(Continuatio. V. num. 11 anni 1913, pagg. 745-748).

CAPUT IV.

De missa solemni de requie.

NOTA. — *De iis quae praeparanda sunt* (vide *Caerem. paroch.* tom. II, pag. 94, n. 26).

ARTICULUS I.

De missae celebratione.

1. Celebrans et sacri ministri suo tempore manus lavant, et ab acolythis adiuti sacra induunt paramenta. Deinde, praemissis consuetis reverentiis, more solito ad altare se conferunt, praecedentibus ceroferariis candelabra cum candelis accensis ferentibus, ac thuriferario ad sinistram caeremoniarii.
2. Confessione peracta, diaconus et subdiaconus, quin suppedaneum ascendant, retro post celebrantem, unus post alium consistunt, et ad introitum ut in aliis missis solemnibus transeunt.
3. Ad orationem vel orationes, thuriferarius ac ceroferarii prope abacum genuflectunt, caeremoniarius vero librum epistolarum subdiacono praebet cum consuetis reverentiis.
4. Subdiaconus more solito, ante et post cantum epistolae, in medium super gradum genuflectit, non autem pergit ad osculandam manum celebrantis, sed statim librum tradit ministro.
5. Celebrans sequentiam solus legit, non vero alternatim cum sacris ministris (D. 2956[7]); et si ad cantum eius sedere

velit (1) simul ac eam legerit, caput cruci cum sacris ministris inclinat, et ad scamnum graditur. Ad versum *Preces meae, etc.* cum sacris ministris per breviorem ad medium altaris pergit, ubi profunde inclinatus dicit *Munda cor meum,* si autem asservetur Ss. Sacramentum, genuflexionem praemittit. Subdiaconus interea transfert missale ad cornu evangelii, et diaconus ad latus cornu epistolae sistit.

6. Dum celebrans evangelium legit, diaconus librum evangeliorum per longiorem ad altare more solito defert; et illico post evangelium ab ipso celebrante lecto, subdiaconus descendit in planum, diaconus autem in ora suppendanei, ubi genuflexus profert *Munda cor meum,* libro autem ex altari accepto, statim in planum ad dexteram subdiaconi descendit; quo tempore ceroferarii sine candelabris, manibus iunctis ante altare procedunt.

7. Facta ab omnibus genuflexione, pergunt ad cantandum evangelium, ceroferariis consistentibus, manibus iunctis, hinc inde ad latera subdiaconi librum sustinentis. Diaconus non incensat librum, neque in fine celebrantem, sicuti nec subdiaconus huic librum defert osculandum, sed expleto evangelio, et peracta ab omnibus ante altare genuflexione, librum caeremoniario praebet. Thuriferarius deinde in sacristiam pergit, accipit thuribulum et ad abacum revertitur.

8. Cantato ante offertorium *Oremus*, subdiaconus, quin induatur velo humerali, affert ut alias calicem suo velo et bursa coopertum, non dicit *Benedicite* ante aquae infusionem, neque tenet patenam, sed aqua in calicem fusa descendit, et facta in medio altaris genuflexione, ad sinistram celebrantis accedit eique assistit infra incensationem.

9. Diaconus explicat corporale; suo tempore patenam et calicem sine osculis porrigit, et post oblationem ponit patenam subtus corporale, eamque purificatorio cooperit. Tum naviculam pariter sine osculis celebranti ministrat, qui ex illa thus sumit, ac in thuribulum iniicit cum benedictione sub formula *Per intercessionem*, ac oblata thurificabit et altare, proferens verba solita, et in fine ipse solus, exclusis ceteris, incensabitur a diacono, cum consuetis inclinationibus.

---

(1) Non sufficit ut legatur a celebrante sequentia *Dies irae*, sed a choro cantari debet (D. 4054[7]).

10. Ad *Lavabo* diaconus et subdiaconus ad celebrantem accedunt, ut ipsi ministrent alter ampullam aquae cum pelvicula, alter manutergium. Postmodum ad sua loca se recipiunt post celebrantem, ubi ad *Orate, fratres*, uterque respondet *Suscipiat*.

11. Ad *Sanctus*, sacri ministri altare ut alias ascendunt dicturi trisagium: quo tempore accedunt ceroferarii funalia afferentes e sacristia, qui tamen ab altari non discedunt, nisi post sumptionem utriusque speciei.

12. Post trisagium, subdiaconus descendit ad locum suum in planum, diaconus vero, cum debita genuflexione in medio, se transfert ad sinistram celebrantis, ubi assistit usque ad verba *Quam oblationem*, quibus prolatis, descendit ad huius dexteram, in transitu genuflectens in medio.

13. Eodem tempore quo diaconus in transitu genuflectit, genuflectit et subdiaconus in loco suo, et per planum accedit ad cornu epistolae, ubi thuribulum, in quod a caeremoniario immissum iam fuit thus, a thuriferario accipit, et genuflexus, ad utramque elevationem Ss. Sacramentum adolet, mediocriter sese inclinans ante et post trinam incensationem uniuscuiusque sacrae speciei. Deinde surgit, reddit thuribulum, et ad medium altaris cum genuflexione regreditur (D. 4027 [2]), ubi iugiter usque ad *Pax Domini* sistit.

14. Diaconus vero, facta cum celebrante genuflexione post secundam elevationem, transit ad cornu evangelii, ubi genuflectit una cum subdiacono, cum ipse in medio pervenerit.

15. Suo tempore diaconus accedit ad dexteram celebrantis; et ad verba *Pax Domini* subdiaconus, praemissa genuflexione in plano, ascendit ad sinistram celebrantis, et peracta una cum ipso et diacono genuflexione, simul mediocriter inclinatus, dicit *Agnus Dei*.

16. Mox sacri ministri iterum genuflectunt, diaconus ad sinistram accedit celebrantis, subdiaconus autem ad dexteram.

17. Thuriferarius, post elevationem, thuribulo in sacristiam reportato, genuflexus perstat prope abacum, usquedum tempus adveniat ampullas ministrandi; tum surgit easque more solito ministrat. Peracta utriusque speciei sumptione, ceroferarii surgunt, et facta genuflexione, intorticia in sacristiam reportant; dein ad abacum redeunt, ubi cum thuriferario ad postcommunionem genuflectunt.

18. Diaconus loco *Ite, missa est*, ad altare conversus, cantat *Requiescant in pace*, quod celebrans submissa voce dicit (D. 2572[22]). Reliqua ut in aliis missis.

ARTICULUS II.

De absolutione defunctorum.

1. Exceptis duplicibus I classis, absolutio defunctorum vel ad tumbam extra presbyterium erectam, quae vocatur tumulus, castrum doloris etc., vel super pannum nigrum extensum in presbyterio ante gradus altaris, vel ante gradus presbyterii, aut lecticam mortuorum ibidem positam, fit finita missa de requie cantata vel non, non tamen ex obligatione, sed ad libitum celebrantis, nisi accedat consuetudo, legatum vel etiam speciale mandatum illius qui eleemosynam obtulit (D. 3369[2]). Post missam autem de die, vel cantatam vel votivam, quamvis applicatam pro defunctis, in qua paramenta nigra non induantur, peragi non potest (D. 3014[1]), nisi independenter ab ea (DD. 3780[8], 4081[2], 4215), idest non immediate post (DD. 2186, 3722[1], 3942). Verum in festo duplici etiam 2 classis, post nocturnum defunctorum absolutio facienda est immediate post, deinde legi vel cantari potest missa de die (D 4183).
2. Si absolutio extra presbyterium fiat, celebrans lecto ultimo evangelio, cum sacris ministris descendit in planum, factaque ibi debita reverentia (D. 4198[3]), ad scamnum descendit, uti exuta casula et manipulo, pluviale nigrum induit; sacri ministri vero manipulum deponunt.
3. Postea thuriferarius cum thuribulo, a dexteris alterius acolythi ferentis vas aquae benedictae cum aspersorio et rituale, ad medium presbyterii se confert. Hos sequitur subdiaconus crucem deferens, medius inter ceroferarios candelabra gestantes, deinde clerus cum cereis accensis manu extima: demum celebrans cum diacono a sinistris pluvialis fimbriam sublevante. Ad nutum caeremoniarii, peracta debita reverentia altari, praeter quam a subdiacono et ceroferariis, procedunt ad tumulum aperto capite, excepto celebrante et diacono.
4. Thuriferarius eiusque socius ferens vas aquae benedictae ac caeremoniarius consistunt in parte epistolae, subdiaconus vero cum ceroferariis, ex parte evangelii progrediendo, sistet semper inter

tumulum et ianuam ecclesiae: clerus hinc inde a lateribus tumuli faciem ad illum vertentes: diaconus tandem a sinistris stabit celebrantis, et prope thuriferarius aderit cum acolytho aquam lustralem et librum ferente.

5. Omnibus sic stantibus, primus cantor praecinit, et non prius (D. 3108[4]), ℟. *Libera me, Domine,* quod chorus prosequitur; versus autem a duobus cantoribus concinuntur.

6. Cum repetitur *Libera,* diaconus et thuriferarius ad dexteram celebrantis accedunt; diaconus incensum sine osculis ministrat dicens: *Benedicite, Pater reverende*: thuriferarius thuribulum sustinet, et celebrans ter incensum in thuribulum ingerit, dicens: *Ab illo benedicaris,* etc., ac postea super illud signum crucis producit.

7. Absoluto responsorio cum *Kyrie,* celebrans intonat *Pater noster,* quod omnes secreto prosequuntur; interim diaconus cum acolytho de aqua benedicta ac thuriferario ad dexteram celebrantis denuo se confert; ibique captum a clerico aspersorium, celebranti sine osculis porrigit. Celebrans, accepto aspersorio a diacono, ad dexteram illum comitante, et fimbriam pluvialis sustinente, incedens per latus suum dexterum, ante altaris medium se recipit, cui facta cum diacono debita reverentia (1), accedit ad partem dexteram tumuli, quem circumiens, celebrans ter feretrum aspergit, nempe ad pedes, ad medium et ad caput, semper incedens. Transiens ante crucem a subdiacono sustentam inclinat caput, diaconus vero genuflectit, et ad alterum latus feretri transit, eodem modo illud aspergens.

8. Cum ad pristinum locum celebrans redierit, aspersorium diacono tradit, et continuo ab eodem thuribulo accepto, tumulum rursum circumit, incensans illum eo prorsus modo quo eum aspersit, debitam non omittens reverentiam transeundo ante altare et crucem processionalem.

9. Rediens ad pristinum locum celebrans tradit thuribulum diacono et hic thuriferario.

---

(1) Ex generali regula, extra presbyterium, altari maiori facienda est a celebrante et ab omnibus ministris et clericis tantum inclinatio. Imo si tumulus non sit prope altaris septum, sed longius, in media ecclesia, nulla facienda est reverentia. Altare enim quod hoc in casu consideratur, effingitur a subdiacono, qui crucem sustinet, cum acolythis candelabra sustinentibus.

10. Deinde diaconus a clerico librum ritualem accipit, et a sinistris apertum ante celebrantem sustinet, qui manibus iunctis et ad crucem processionalem conversus, subdit versiculum *Et ne nos* etc. et alios versiculos et orationem *Absolve*, in tono feriali. et cum brevi conclusione (D. 2002), cantat (1).

11. Completa oratione, ac per chorum responso *Amen*, celebrans, sinistra pectori admota, dextera signum crucis super tumulum efformans, subiungit *Requiem aeternam* etc. Tunc cantores, non vero celebrans, cantat *Requiescat* vel *Requiescant in pace*, prout absolutio pro uno vel pluribus facta est (D. 1611 [10]). Deinde recitato a celebrante altero ℣. *Anima eius* (vel *Animae eorum*) *et animae omnium fidelium defunctorum, per misericordiam Dei, requiescant in pace* (D. 4014), diaconus librum claudit, redditque clerico, biretum celebrantis sumit eique porrigit, redit ad sinistram ipsius ac biretum suum recipit.

12. Quum subdiaconus cum cruce transierit, et celebrans sine cantu intonuerit antiphonam *Si iniquitates*, diaconus caput operit, et ad sinistram celebrantis incedens post clerum, ad sacristiam cum ipso revertitur, respondens alternatim cum choro ad psalmum *De profundis*: quo finito, et antiphona repetita, interrumpuntur preces.

13. Postea, omnibus locis suis dispositis, celebrans cum diacono caput denudat, et prosequitur *Kyrie*, etc. (Cfr. Caerem. Parochorum tom. II, pag. 68).

Monita: Si habendus sit sermo seu oratio funebris, non fit infra missam, sed postquam celebrans finita missa pluviale sumpsit, et ad scamnum cum sacris ministris perrexit (Cfr. Caer. Paroch., tom. II, pag. 66, in nota).

Chorales in missa defunctorum generatim se gerunt ut in ceteris missis solemnibus. Ad orationes tamen tum ante epistolam, tum post communionem, nec non post praefationem, dicto a celebrante *Sanctus*, usque ad *Pax Domini* inclusive, genuflectunt.

Si distribuendae sint candelae, id efficitur post epistolam, et accenduntur ad evangelium et ad ss. Sacramenti elevationem.

---

(1) Dicere tamen potest orationem quae dicta est in missa, vel aliam convenientem.

CAPUT V.

ARTICULUS UNICUS.

De missa solemni coram SS. Sacramento exposito.

Procedunt omnes iuxta ordinum consuetum ad altare. Acolythi cum in presbyterium pervenerint, apud balaustria hinc inde sistunt, ut sacris ministris liberum transitum relinquant. Isti, cum venerint in conspectum ss. Sacramenti, caput detegunt et biretum caeremoniario tradunt; et cum ad altare pervenerint, ante infimum gradum flectunt utrumque genu et caput profunde inclinant, se erigunt, et missam inchoant. Acolythi similiter genuflectunt, et accedunt ad abacum, seu hinc inde prope ministros, et genuflexi confessionem faciunt etc.

Expleta confessione, nulla prius facta genuflexione, ministri ascendent altare, ibique genuflectunt. Dicto subinde a celebrante *Oramus te, Domine,* etc. (1), sine genuflexione (D. 4194 [5]) aliquantulum se retrahunt versus cornu evangelii, et celebrans conversus ad cornu epistolae imponit incensum. Thuriferarius tamen advertat tam ante ascensionem ad altare, quam post descensionem de eodem, in plano genuflexionem facere debere (D. 3975 [2]); idem dicendum de aliis clericis in similibus casibus.

(1) Videtur principium esse tenendum, nulla facta distinctione, an ss. Sacramentum super altaris mensa inveniatur, an etiam in throno, genuflexionem faciendam esse tantum: *a)* Si stetur super suppedaneo: 1° in accessu ad medium ab alterutro latere, et in recessu; 2° in transitu *immediato* ante medium: 3° in transitu ministrorum post celebrantem, hinc et inde. *b)* Si ex plano presbyterii accedatur ad altare, in infimo gradu per ministros paratos, in plano per ceteros, sive a latere, sive in medio, iuxta casuum diversitatem.

Hinc est quod docente decreto n. 3975, 1, minister missae privatae non genuflectit semper in suppedaneo antequam transferat missale et postquam ad aliud latus pervenerit, sed in medio; quia de plano venit, et genuflectit antequam a latere ascendat et postquam descenderit (D. 3975, 2): dum subdiaconus et diaconus genuflexionem faciunt priusquam missale accipiant et postquam deposuerint, quia super suppedaneo inveniuntur.

PROPRIETAS LITERARIA
IMPRIMATUR
Fr. ALBERTUS LEPIDI O. P., S. P. A. Magister.
IMPRIMATUR
FRANCISCUS FABERJ, Vicariatus Urbis *Adsessor.*
AUGUSTUS ZUCCONI, Director Domus editricis Desclée et Soc., Romae, *Sponsor*
Ex Officina Polygraphica Latiali, Fratrum Tempesta, Via Boccaccio, 7 - Roma

ROMÆ . AD . S. APOLLINARIS
XVI . KAL. . MART. . AN. . MCMXIV.

ANTONIO . FIAT . SAC.

SUPREMO . MODERATORI
CONGR. PRESBYTERORUM . SAECULARIUM . MISSIONIS
ET . PUELLARUM . A . CHARITATE
TOTIDEM . DIES . MENSES . ANNOSQUE . REGIMINIS
VINCENTII . A PAULO . LEGIFERI . PATRIS
FAUSTE . RECENSENTI

EPIGRAMMA

Vincentî secura premens vestigia Patris,
ANTONI, FIAT laetior ista dies;

Namque dies, menses, annos feliciter exples,
Quot tuus explevit Legifer egregius!

Omnes certatim gratantes iure sodales,
Pro te persolvunt fervida vota Deo.

At precor, ut longae (id FIAT!) post gaudia vitae,
Assideas propius coelica in arce Patri.

B. VERGHETTI
SS. RR. C. Hymnographus

SPECIMEN

KALENDARII ECCLESIÆ UNIVERSALIS

PRO ANNO DOMINI 1914

Pascha occurrente die 4 Aprilis

NUMERI CURRENTES

Aureus Numerus	16	Littera Dominicalis	C
Epacta	XIV	Littera Martyrologii	p
Cyclus Solaris	20	Dom. post Epiphaniam	3
Indictio Romana	13	Dom. post Pentecosten	26

FESTA MOBILIA

SS.mi Nominis Iesu	3 Ian.	Ascensio Domini	13 Maii
Dom. Septuagesimae	31 »	Dom. Pentecostes	23 »
Dies Cinerum	17 Febr.	SS.mae Trinitatis	30 »
Sept. Dol. B. M.V.	26 Mart.	SS.mi Corp. Christi	3 Iun.
Pascha Resurrect.	4 Apr.	SS.mi Cordis Iesu	11 »
Solemn. S. Ioseph.	21 »	Dom. I Adventus	28 Nov.

QUATUOR ANNI TEMPORA

Verna	24, 26. 27 Febr.	Autumnalia	15, 17, 18 Sept.
Aestiva	26, 28, 29 Maii	Hiemalia	15, 17, 18 Dec.

NUPTIARUM SOLEMNIA

Nuptiae solemniter celebrari possunt a die 7 Ianuarii ad 16 Februarii, et a die 12 Aprilis ad 27 Novembris, semper inclusive.

IANUARIUS

✠ 1. Fer. VI. *Alb.* **CIRCUMCISIO DOMINI** *dupl. 2 cl.* — Vesp. sine com.

2. Sabb. *Rub.* **Octava S. Stephani Protomart.** *simpl.* — Com. Oct. S. Ioannis in Laud. et in Miss. privat. — Vesp. de seq. sine com.

✠ 3. **Dom.** (vacat) *Alb.* **SS. NOMINIS IESU** *dupl. 2. cl.* — Vesp. sine com.

4. Fer. II. *Rub.* **Octava Ss. Innocentium Mm.** *simpl.* — Vesp. de seq. (Ant. et Pss. ut in 1. Vesp. Circumcis. Cap. et rel. (pr. loc.) com. S. Telesphori P. M.

5. Fer. III. *Alb.* **Vigilia Epiphaniae** *2. cl. semid.* — Vesp. de seq. sine com.

✠ 6. Fer. IV. *Alb.* **EPIPHANIA DOMINI** *dupl. 1. cl. cum Oct. privil. 2. ord.* — Vesp. de festo sine com.

7. Fer. V. *Alb.* **De II. die infra Oct.** *semid.* — Vesp. de Oct.

8. Fer. VI. *Alb.* **De III. die infra Oct.** *semid.* — Vesp. de Oct.

9. Sabb. *Alb.* **De IV. die infra Oct.** *semid.* — Vesp. de seq. Dom. (Ant. et Pss. ut in I. Vesp. festi rel. pr.) com. Oct. (Ant. *Interrogabat* ℣. *Reges Tharsis.*

✠ 10. **Dom. infra Oct.** et **I. p. Epiph.** *Alb.* **De ea** *semid.* — Lectt. 1. Noct. *Incip. Epist. 1. ad Corinth.* cum ℟℟. tamen de Octava, et ℟. 1. *Hodie.* — Ad Laud. com. Oct. (Ant. *Hodie coelesti* ℣. *Adorate Deum*). — Vesp. de Dom. (pr. loc.) com. Oct. (Ant. *Magi videntes* ℣. *Reges Tharsis* ac S. Hygini P. M.

11. Fer. II. *Alb.* **De V. die infra Oct.** *semid.* — Vesp. de Oct.

12. Fer. III. *Alb.* **De VI. die infra Oct.** *semid.* — Vesp. de Oct. (ut in 1. Vesp. festi or. pr.)

13. Fer. IV. *Alb.* **Octava Epiphaniae** *dupl. mai.* — ℟. 1. *Hodie in Iordane.* — In Vesp. com. seq. ac S. Felicis M.

14. Fer. V. *Alb.* **S. Hilarii Ep. C. D.** *dupl.* — In 1. Noct. cum Lectt. de Scr. occ. leguntur ℟℟. fer. II. praec. — Vesp. a Cap. de seq. com. praec. et S. Mauri Abb.

15. Fer. VI. *Alb.* **S. Pauli primi Eremitae, C.** *dupl.* — In Vesp. com. seq.

16. Sabb. *Rub.* **S. Marcelli I. P. M.** *semid.* — Vesp. de seq. Dom. (Ant. et Pss. de Sabb. Cap. et rel. de Dom. ut in Psalt. et pr.) com. praec. et S. Antonii Abb.

✠ 17. **Dom. II. p. Epiph.** *Vir.* **De ea** *semid.* — Vesp. de Dom. com. seq. S. Pauli Ap. S. Antonii ac S. Priscae V. M.

18. Fer. II. *Alb.* **Cathedra S. Petri Ap. Romae** *dupl. mai.* — In Vesp. com. S. Pauli Ap. seq. ac S. Canuti Regis M.

19. Fer. III. *Rub.* **Ss. Marii et Soc. Mm.** *simpl.* — Vesp. de seq. sine com.

20. Fer. IV. *Rub.* **Ss. Fabiani P. et Sebastiani Mm.** *dupl.* — Vesp. a Cap. de seq. com. praec.

21. Fer. V. *Rub.* **S. Agnetis V. M.** *dupl.* — In Vesp. com. seq.

22. Fer. VI. *Rub.* **Ss. Vincentii et Anastasii Mm.** *semid.* — Vesp. a cap. de seq. com. seq., S. Emerentianae V. M. et Suffr.

23. Sabb. *Alb.* **S. Raymundi de Pennafort C.** *semid.* — Vesp. de seq. Dom. (Ant. et Pss. de Sabb. Cap. et rel. de Dom. ut in Psalt. et pr.) com. praec. et S. Timothei E. M.

✠ 24. **Dom. III. p. Epiph.** *Vir.* **De ea** *semid.* — Vesp. de Dom. (ut in Psalt. et pr.) com. seq. S. Petri Ap. ac. S. Timothei.

25. Fer. II. *Alb.* **Conversio S. Pauli Ap.** *dupl. mai.* — In Vesp. com. S. Petri Ap. et seq.

26. Fer. III. *Rub.* **S. Polycarpi E. M.** *dupl.* — Vesp. a Cap. de seq. com. praec.

27. Fer. IV. *Alb.* **S. Ioannis Chrysostomi Ep. C. D.** *dupl.* — In Vesp. com. seq.

28. Fer. V. *Rub.* **S. Agnetis secundo** *simpl.* — Vesp. de seq. sine com.

29. Fer. VI. *Alb.* **S. Francisci Salesii Ep. C. D.** *dupl.* — Vesp. (*Vir.*) de seq. Dom. rel. omn. de Vesp. Fer. VI. or. pr. de Dom. IV. p. Epiph. com. praec. ac S. Martinae V. M.

30. Sabb. *Vir.* **De Dom. IV. p. Epiph.** *semid.* — Ad Mat. omn. de Sabb. ut in Psalterio. Lectt. 1. Noct. 1. *Incip. Epist. ad Philippens* (de Dom. IV.) 2. *Incip. Epist. ad Coloss.* (de fer. III. p. Dom. IV.) 3. *Incip. Epist. prima ad Thessal.* (de fer. V. p. Dom. IV.) cum ℟℟. de Dom. IV. p. Epiph. — Lectt. 2. et 3. Noct. cum suis ℟℟. de Dom. IV. p. Epiph. et dicitur *Te Deum* — Ad Laud. omn. de Sabb. praeter Ant. ad *Bened.* et or. quae dicuntur de Dom. IV. com. S. Martinae et Suffr. — Ad Prim. omn. de Sabb. Cap. *Regi saeculorum* et Prec. — Ad Hor. omn. de Sabb. or. de Dom. IV. — Miss. de Dom. IV. p. Epiph. Gl. 2. or. S. Martinae 3. *Deus, qui salutis* Cr. Praef. Trinit. — Vesp. de seq. Dom.

(Ant. et Pss. de Sabb. Cap. et rel. de Dom. pr. loc.) com. S. Petri Nolasco C. et S. Martinae.

✠ 31. **DOM. SEPTUAGESIMAE** 2. cl. *Viol.* **De ea.** *semid.* — Vesp. de Dom. (ut in Psalt. et pr.) com. seq. et S. Petri Nolasco.

FEBRUARIUS

1. Fer. II. *Rub.* **S. Ignatii E. M.** *dupl.* — Vesp. de seq. com. praec.

† 2. Fer. III. *Alb.* **PURIFICATIO B. M. V.** *dupl. 2. cl.* — Vesp. sine com.

3. Fer. IV. *Rub.* **S. Blasii E. M.** *simpl.* — Vesp. de seq. sine com.

4. Fer. V. *Alb.* **S. Andreae Corsini E. C.** *dupl.* — Vesp. a Cap. de seq. com. praec.

5. Fer. VI. *Rub.* **S. Agathae V. M.** *dupl.* — Vesp. pr. loc. a Cap. de seq. com. praec. et S. Dorotheae V. M.

6. Sabb. *Alb.* **S. Titi E. C.** *dupl.* — Vesp. de seq. Dom. (Ant. et Pss. de Sabb. Cap. et rel. de Dom. pr. loc.) com. praec. ac S. Romualdi Abb.

✠ 7. **DOM. SEXAGESIMAE** 2. cl. *Viol.* **De ea** *semid.* — Vesp. de Dom. (ut in Psalt. et pr.) com. seq. ac S. Romualdi.

8. Fer. II. *Alb.* **S. Ioannis de Matha C.** *dupl.* — Vesp. a Cap. de seq. com. praec. ac S. Apolloniae V. M.

9. Fer. III. *Alb.* **S. Cyrilli Alexandrini E. C. D.** *dupl.* — Vesp. a Cap. de seq. com. praec.

10. Fer. IV. *Alb.* **S. Scholasticae V.** *dupl.* — Vesp. de seq. com. praec.

11. Fer. V. *Alb.* **Apparitio B. M. V. Immaculatae** *dupl. mai.* — In Vesp. com. seq.

12. Fer. VI. *Alb.* **Ss. Septem Fundatorum Ord. Servor. B. M. V.** *dupl.* — In Vesp. com. seq.

13. Sabb. *Alb.* **De S. Maria in Sabb.** *simpl.* — Vesp. de seq. Dom. (Ant. et Pss. de Sabb. Cap. et rel. de Dom. pr. loc.) com. S. Valentini Presb. M. et Suffr.

✠ 14. **DOM. QUINQUAGESIMAE** 2. cl. *Viol.* **De ea** *semid.* — Vesp. de Dom. (ut in Psalt. et pr.) com. seq. et Suffr.

15. Fer. II. *Rub.* **Ss. Faustini et Iovitae Mm.** *simpl.* — Vesp. de feria (or. Dom. praec.) et Suffr.

16. Fer. III. *Viol.* **De ea.** — Vesp. de fer. et Suffr.
17. Fer. IV. **CINERUM** *Viol.* **De ea** — Vesp. de Fer. (ut in Psalt. et pr.) Prec. ferial. com. S. Simeonis E. M. et Suffr.
18. Fer. V. *Viol.* **De ea** — Vesp. de fer. (ut in Psalt. et pr.) Prec. ferial. et Suffr.
19. Fer. VI. *Viol.* **De ea** — Vesp. de fer. (ut in Psalt. et pr.) Prec. ferial. et Suffr.
20. Sabb. *Viol.* **De ea** — Vesp. de seq. Dom. (Ant. et Pss. de Sabb. Cap. et rel. de Dom. pr. loc.) et Suffr.

✠ 21. **DOM. I. QUADRAGESIMAE** 1. cl. *Viol.* **De ea** *semid.* — Vesp. de Dom. (ut in Psalt. et pr.) com. seq. et S. Pauli Ap.

22. Fer. II. *Alb.* **Cathedra S. Petri Ap. Antiochiae** *dupl. mai.* — In Vesp. com. S. Pauli Ap. seq. et fer.
23. Fer. III. **Vigilia S. Matthiae Ap.** (de qua nihil in Off. *Alb.* **S. Petri Damiani Ep. C. D.** *dupl.* — Vesp. de seq. com. praec. et fer.

† 24. Fer. IV. **Quatuor Temporum** *Rub.* **S. MATTHIAE AP.** *dupl. 2. cl.* — In Vesp. com. fer.

25. Fer. V. *Viol.* **De ea** — Vesp. de fer. (ut in Psalt. et pr.) Prec. ferial. et Suffr.
26. Fer. VI. **Quatuor Temporum** *Viol.* **De ea** — Vesp. de fer. (ut in Psalt. et pr.) Prec. ferial. et Suffr.
27. Sabb. **Quatuor Temporum** *Viol.* **De ea** — Vesp. de seq. Dom. (Ant. et Pss. de Sabb. Cap. et rel. de Dom. pr. loc.) et Suffr.

✠ 28. **DOM. II. QUADRAGESIMAE** 1. cl. *Viol.* **De ea** *semid.* — Vesp. de Dom. (ut in Psalt. et pr.) et Suffr.

MARTIUS

1. Fer. II. *Viol.* **De ea** — Vesp. de fer. (ut in Psalt. et pr.) Prec. ferial. et Suffr.
2. Fer. III. *Viol.* **De ea** — Vesp. de fer. (ut in Psalt. et pr.) Prec. ferial. et Suffr.
3. Fer. IV. *Viol.* **De ea** — Vesp. de seq. com. fer. S. Lucii I. P. M. et Suffr.
4. Fer. V. *Alb.* **S. Casimiri C.** *semid.* — In Vesp. com. fer. et Suffr.
5. Fer. VI. *Viol.* **De ea** — Vesp. de seq. com. fer.

6. Sabb. *Rub.* **Ss. Perpetuae et Felicitatis Mm.** *dupl.* — Vesp. de seq. Dom. (Ant. et Pss. de Sabb. Cap. et rel. de Dom. pr. loc.) com. praec. ac S. Thomae C. D.

✠ 7. **DOM. III. QUADRAGESIMAE** 1. cl. *Viol.* **De ea** *semid.* — Vesp. de Dom. (ut in Psalt. et pr.) com. seq. et S. Thomae.

8. Fer. II. **S. Ioannis de Deo C.** *dupl.* — Vesp. a Cap. de seq. com. praec. et fer.

9. Fer. III. *Alb.* **S. Franciscae Romanae Vid.** *dupl.* — In Vesp. com. seq. et fer.

10. Fer. IV. *Rub.* **Ss. Quadraginta Mm.** *semid.* — In Vesp. com. fer. et Suffr.

11. Fer. V. *Viol.* **De ea** — Vesp. de seq. com. fer.

12. Fer. VI. *Alb.* **Ss. Gregorii I. P. C. D.** *dupl.* — In Vesp. com. fer.

13. Sabb. *Viol.* **De ea** — Vesp. de seq. Dom. (Ant. et Pss. de Sabb. Cap. et rel. de Dom. pr. loc.) et Suffr.

✠ 14. **DOM. IIII. QUADRAGESIMAE** 1. cl. *Viol.* **De ea** *semid.* — Vesp. de Dom. (ut in Psalt. et pr.) et Suffr.

15. Fer. II. *Viol.* **De ea** — Vesp. de fer. (ut in Psalt. et pr.) Prec. ferial. et Suffr.

16. Fer. III. *Viol.* **De ea** — Vesp. de seq. com. fer.

17. Fer. IV. *Alb.* **S. Patritii Ep. C.** *dupl.* — Vesp. a Cap. de seq. com. praec. et fer.

18. Fer. V. *Alb.* **S. Cyrilli Hierosolymitani Ep. C. D.** *dupl.* — Vesp. de seq. com. praec. et fer.

† 19. Fer. VI. *Alb.* **S. IOSEPH SPONSI B. M. V. CONF.** *dupl. 2. cl.* — In Vesp. com. fer.

20. Sabb. *Viol.* **De ea** — Vesp. de seq. Dom. (Ant. et Pss. de Sabb. Cap. et rel. de Dom. pr. loc.) com. S. Benedicti Ab.

✠ 21. **DOM. PASSIONIS** 1. cl. *Viol.* **De ea** *semid.* — Vesp. de Dom. (ut in Psalt. et pr.) com. S. Benedicti.

22. Fer. II. *Viol.* **De ea** — Vesp. de fer. (ut in Psalt. et pr.) et Prec. ferial.

23. Fer. III. *Viol.* **De ea** — Vesp. de fer. (ut in Psalt. et pr.) et Prec. ferial.

24. Fer. IV. *Viol.* **De ea.** — Vesp. de seq. com. fer.

† 25. Fer. V. *Alb.* **ANNUNTIATIO B. M. V.** *dupl. 1. cl.* — In Vesp. com. fer.

26. Fer. VI. *Alb.* **Septem Dolorum B. M. V.** *dupl. mai.* — In Vesp. com. seq. et fer.

27. Sabb. *Alb.* **S. Ioannis Damasceni C. D.** *dupl.* — Vesp. de seq. Dom. (Ant. et Pss. de Sabb. Cap. et rel. de Dom. pr. loc.) com. praec. et S. Ioannis a Capistrano C.

✠ 28. **DOM. PALMARUM** 1. cl. *Viol.* **De ea** *semid.* - Vesp. de Dom. (ut in Psalt. et pr.) com. S. Ioannis a Capistrano.

29. Fer. II. **Maior. Hebd.** *Viol.* **De ea.** — Vesp. de fer. (ut in Psalt. et pr.) et Prec. ferial.

30. Fer. III. **Maior. Hebd.** *Viol.* **De ea** — Vesp. de fer. (ut in Psalt. et. pr.) et Prec. ferial.

31. Fer. IV. **Maior. Hebd.** *Viol.* **De ea** — Vesp. de fer. (ut in Psalt. et pr.) et Prec. feral.

APRILIS

1. Fer. V. **IN COENA DOMINI** *Viol. in Off., Alb. in Miss,* **De ea** *dupl. 1. cl.* — Vesp. pr. loc. — Compl. pr. loc. cum Pss. de Dom.

De S. Francisco a Paula C. hoc anno nihll.

2. Fer. VI. **IN PARASCEVE** *Nig. in Funct. Praesanctif.* **De ea** *dupl. 1. cl.* — Vesp. pr. loc. — Compl. pr. loc. cum Pss. de Dom.

3. **SABBATUM SANCTUM** *Viol. in Off., Alb. in Miss.* **De ea** *dupl. 1. cl.* — Vesp. ut in Missali, additis ad *Ite, missa est* duobus *Alleluia.* — Extra Missam Vesp. dicuntur ut in Breviar. pr. pr. loc. — Compl. pr. loc. cum. Pss. de Dom.

De S. Isidoro E. C. D. hoc anno nihil.

✠ 4. **Dom. RESURRECTIONIS.** *Alb. dupl. 1. cl. cum Oct. privil. 1. ord.* — Vesp. pr. loc. — Compl. pr. loc. cum Pss. de Dom.

De S. Vincentio Ferrerio C. hoc anno nihil

† 5. Fer. II. **PASCHATIS.** *Alb. dupl. 1. cl.* — Vesp. ut in festo et pr. loc. — Compl. ut in festo.

† 6. Fer. III. **PASCHATIS.** *Alb. dupl. 1. cl.* — Vesp. ut in festo et pr. loc. — Compl. ut in festo.

7. Fer. IV. **Infra Oct.** *Alb. semid.* — Vesp. ut in festo et pr. loc. — Compl. ut in festo.

8. Fer. V. **Infra Oct.** *Alb. semid.* — Vesp. ut in festo et pr. loc. — Compl. ut in festo.

9. Fer. VI. **Infra Oct.** *Alb. semid.* — Vesp. ut in festo et pr. loc. — Compl. ut in festo.
10. Sabb. **In Albis et infra Oct.** *Alb. semid.* — Vesp. de seq. Dom. (Pss. de Sabb. sub una Ant. *Alleluia* Cap. et rel. de Dom. pr. loc.) com. S. Leonis I. P. C. D. *Bened. D.no* sine *Alleluia* et sic deinceps.
✠ 11. **DOM. IN ALBIS** *1. cl. Alb.* **De ea** *dupl. mai.* — Vesp. de Dom. (ut in Psalt. et pr.) com. S. Leonis (Ant. *O Doctor*).
12. Fer. II. *Alb.* **De ea.** — Vesp. de seq. com. de Cruce.
13. Fer. III. *Rub.* **S. Hermenegildi M.** *semid.* — Vesp. de seq. com. praec. ac Ss. Tiburtii et Soc. Mm.
14. Fer. IV. *Rub.* **S. Iustini M.** *dupl.* — In Vesp. nulla com.
15. Fer. V. *Alb.* **De ea** — Vesp. de fer. (ut in Psalt. et pr.) com. de Cruce.
16. Fer. VI. *Alb.* **De ea** — Vesp. de fer. (ut in Psalt.) a Cap. de seq. com. S. Aniceti P. M. et de Cruce.
17. Sabb. *Alb.* **De S. Maria in Sabbato** *simpl.* — Vesp. de seq. Dom. (Ant. et Pss. de Sabb. Cap. et rel. de Dom. ut in Psalt. et pr.) com. de Cruce.
✠ 18. **Dom. II. p. Pascha** *Alb.* **De ea** *semid.* — Vesp. de Dom. (ut in Psalt. et pr.) com. de Cruce.
19. Fer. II. *Alb.* **De ea.** — Vesp. de fer. (ut in Psalt. et pr.) com. de Cruce.
20. Fer. III. *Alb.* **De ea** — Vesp. de seq. sine com.
21. Fer. IV. *Alb.* **SOLEMNITAS S. IOSEPH Sponsi B. M. V. C. et Eccl. Univers. Patroni** *dupl. 1. cum Oct. comm.* — Com. S. Anselmi E. C. D. in Laud. tantum et in Missis privatis — In Vesp. com. seq.
22. Fer. V. *Rub.* **Ss. Soteris et Caii Pp. Mm.** *semid.* — Vesp. a cap. de seq. com. praec. et Oct.
23. Fer. VI. *Rub.* **S. Georgii M.** *semid.* — Vesp. de seq. com. praec. et Oct.
24. Sabb. *Rub.* **S. Fidelis a Sigmaringa M.** *dupl.* — Vesp. de seq. com. praec. et Dom.
✠ 25. **Dom. III. p. Pascha — Litaniae maiores** *Rub.* **S. MARCI EV.** *dupl. 2. cl.* — In Vesp. com. seq. et Dom.
26. Fer. II. *Rub.* **Ss. Cleti et Marcellini Pp. Mm.** *semid.* — Lectt. 1. Noct. *Incip. liber Apocalypsis* cum suis RR. (de Dom. praec.) — In Vesp. com. Oct. (ut in 1. Vesp. festi).
27. Fer. III. *Alb.* **De VII. die infra Oct. S. Ioseph.** *semid.* — Vesp.

de seq. (Ant. et Pss. de fer. rel. ut in 1. Vesp. festi) com. S. Pauli a Cruce C. ac S. Vitalis M.

28. Fer. IV. *Alb.* **Octava Solemnitatis S. Ioseph** *dupl. mai.* — — In Vesp. (Ant. et Pss. de fer. rel. ut in festo) com. seq. ac S. Pauli a Cruce.

29. Fer. V. *Rub.* **S. Petri M.** *dupl.* — Vesp. a cap. de seq. com. praec.

30. Fer. VI. *Alb.* **S. Catharinae Senen. V.** *dupl.* — Vesp. de seq. com. praec.

(Continuabitur)

Acta Sanctae Sedis
sacram Liturgiam spectantia.

SACRA CONGREGATIO RITUUM

BELLUNEN.

De baptismo domi collato.

Proposito dubio a R.mo Ordinario Bellunensi « An Baptismus de licentia Episcopi seu Ordinarii « domi collatus, extra mortis periculum et urgentem « necessitatem, cum omnibus caeremoniis Ritualis Ro- « mani sit administrandus », sacra Rituum Congregatio, audito Commissionis Liturgicae suffragio, respondendum censuit: *Affirmative.*

Atque ita rescripsit die 17 ianuarii 1914.

Fr. S. Card. MARTINELLI, *Praefectus.*

L. ✠ S.

† Petrus La Fontaine, Ep. Charystien., *Secret.*

COMMENTARIUM

in novissimas Rubricas iuxta Motu proprio SS. D. N. Pii Pp. X " Ab hinc duos annos „ et subsequens S. R. C. Decretum 28 Octobris emendatas.

(Continuatio. V. num. 1 curr. anni, pagg. 3-18).

5. Porro sic persolvendum est Officium in Festis Duplicibus et Semiduplicibus superius non exceptis, cauto quod ultimae tres Antiphonae cum Psalmis ad Matutinum Feriae IV, et omnes Antiphonae cum Psalmis ad Laudes cuiusque Feriae, semper sumuntur de 1° loco, et Versus Nocturnorum atque Antiphonae ad Horas, etiam Tempore Adventus, Quadragesimae et Passionis, dicuntur ut per Annum.

Ad Matutinum Invitatorium, Hymnus, Lectiones cum Responsoriis II et III Nocturni propria vel de Communi; Antiphonae vero, Psalmi et Versus trium Nocturnorum, nec non Lectiones cum Responsoriis I Nocturni de Feria occurrenti.

Ad Laudes et ad Vesperas Antiphonae cum Psalmis de Feria; Capitulum, Hymnus, Versus et Antiphonae ad *Benedictus* et ad *Magnificat* cum Oratione, aut ex Proprio, aut de Communi.

Ad Horas minores et Completorium Antiphonae cum Psalmis semper dicuntur de occurrenti Feria. Ad Primam pro Lectione brevi legitur Capitulum Nonae

ex Proprio aut de Communi. Ad Tertiam, Sextam et Nonam Capitulum, Responsorium breve et Oratio pariter sumuntur aut ex Proprio, aut de Communi (8).

(8) Huic Rubricae addita nunc fuit clausula: *cauto quod feria iv ad matutinum, et quotidie in laudibus, semper dicenda sunt Psalmi cum antiphonis e j loco,* et quandocumque in festis Sanctorum sumuntur psalmi e psalterio, semper dicuntur antiphonae et versus nocturnorum ut notantur per annum, etiam tempore Adventus, Quadragesimae et Passionis ita ut speciales versus vel antiphonae in psalterio indicati, dicantur tantummodo quanto officium est de Tempore. Huiusmodi additio ad maiorem claritatem et perfectionem inducta fuit, nam sufficienter dispositio ista in rubricis specialibus psalterii iam suis locis indicatur.

6. In Officio Sanctae Mariae in Sabbato et in Festis Simplicibus sic Officium persolvendum est: ad Matutinum Invitatorium et Hymnus dicuntur de eodem Officio vel de iisdem Festis; Psalmi cum suis Antiphonis et Versus de Feria occurrente; I et II Lectio de Feria, cum Resposoriis de Feria; III vero Lectio de Officio vel Festo; ad Laudes et Vesperas, Antiphonae cum Psalmis de Feria; Capitulum, Hymnus, Versus et Antiphona ad *Benedictus* vel ad *Magnificat* cum Oratione aut ex Proprio aut de Communi: ad reliquas autem Horas omnia dicuntur, ut supra de Festis Duplicibus et Semiduplicibus ordinatur (9).

(9) In editione huius Rubricae, quae prodiit simul cum Constitutione « Divino afflatu », legebatur, quod de duabus lectionibus historicis festi simplicis, una fieri deberet; in hac vero mutata rubrica dicitur: « Tertia vero Lectio de

Officio vel Festo », eo quod, cum hodie agatur de nova editione typica Breviarii, in qua, pro sanctis simplicibus, una tantum lectio historica posita fuit, non amplius est locus dictae praescriptioni, de addendis duabus Lectionibus, siquae haberentur, in unam. Alia additio invenitur circa capitulum etc. in laudibus et vesperis, quae ad maiorem perspicuitatem inducta est, nam sufficienter sub verbis « ad reliquas horas » idipsum dicebatur.

7. Similiter ordinatur Officium de omnibus Octavis num. 2 non exceptis, iuxta qualitatem ritus Duplicis vel Semiduplicis, aut Simplicis, sumptis tamen omnibus, quae propria vel de Communi sumenda edicuntur, de ipso die Festo, nisi tamen propria de Octava habeantur (10). Lectiones vero II et III Nocturni in diebus infra Octavam, quae proprias item non habeant, sumuntur aut ex Octavario aut de Communi iuxta Rubricas; sed quando non habeantur Lectiones de Homilia in Evangelium Festi, tam infra Octavam quam in die Octava, Lectiones III Nocturni dicuntur ut in Festo (11).

(10) *Similiter ordinatur Officium de omnibus Octavis num. 2 non exceptis, iuxta qualitatem ritus Duplicis vel Semiduplicis aut Simplicis.* Tota haec septima Rubrica noviter hic posita est; agitur enim de novissima dispositione circa officium per octavas et in die octava recitandum. Antea enim, per totam octavam officium de festo dicebatur, nunc vero officium, ut supra iam notavimus, dicitur de occurrenti feria, uti pro ceteris festis num. 5 notatur; sumptis tamen de festo quae sumenda sunt, nempe capitula, hymni, responsoria ij et iij nocturni, et antiphonae ad *Benedictus* et *Magnificat* cum versiculis et responsoriis brevibus. Quod si fortasse aliquid proprium habeatur, etiam diebus infra octavam,

vel in die octava, procul dubio haec erunt e suis locis sumenda.

(11) *Lectiones vero ij et iij Nocturni in diebus infra Octavam, quae proprias item non habeant, sumuntur aut ex Octavario, aut ex Communi iuxta Rubricas; sed quando non habeantur lectiones de Homilia in Evangelium Festi, tam infra Octavam quam in die Octava, lectiones iij nocturni dicuntur ut in Festo.* Per se patet huiusmodi dispositio circa lectiones dicendas in ij et iij nocturno infra octavas, quae non sunt in Breviario romano; etenim, pro octavis quae in ipso Breviario habentur, propriis locis ponuntur lectiones infra octavas dicendae.

Hoc loco prima mentio est Octavarii romani in rubricis, nam in revisione rubricarum, sub Urbano viij facta, praesente Gavanto, licet illustris iste rubricista dictum Octavarium iam perfecisset, et S. R. C. suo decreto 19 februarii 1622 illud adprobasset, nihilominus neque in Titulo de octavis, neque alibi, Breviarium aliquid dicit de ipso. Poterat quidem ad libitum illo quis uti, pro festis propriis et infra octavas, uti aperte permittit citatum decretum approbationis, imo et per alia decreta (2735, I; 2981, I; et 3876, IX) edicitur, ut recurratur ad Octavarium quandocumque desunt lectiones pro diebus infra octavas, et in die Octava; nihilominus nunquam rubricae de lectionibus Octavarii locutae erant.

Itaque ordinatores libelli pro officiis propriis alicuius dioecesis, vel instituti, hodie bene possunt ex Octavario sumere lectiones opportunas pro diebus liberis infra octavas, et pro die octava.

Attamen, ut suboscure innuit rubrica ista, faciliter pro octavis Sanctorum, et etiam b. Mariae virginis, inveniri possunt in Octavario lectiones aptae pro ij nocturno; e contra pro iij nocturno non semper habentur; proinde rubrica tradit, quod in casu repetendae sunt lectiones iij nocturni de die festo.

Aliquibus ergo fortasse videbitur, quod hodie non amplius in casu adoptari possit opinio Gavanti, de qua scrip-

simus in nostris Praelectionibus (*De Divino Officio*, n.° 204); ipse enim sic docet: « Quod si in iij nocturno communes non deserviant lectiones pro aliquibus festis, quae videlicet proprium habent evangelium, eo in casu, post diem festum (in quo legi debet proprium evangelium cum sua homilia), in sequentibus diebus infra octavam lege evangelium in missa et officio, vel primum, vel aliud congruentius, de communi, cum suis homiliis etc. ». Et reapse, in suo Octavario ponit homiliam in evangelium *Videte, vigilate, orate* pro Episcopo confessore, pro die octavo tantummodo; infra octavam autem, sumit evangelium *Vigilate* in missa, et in iij nocturno legere facit homilias super hoc ipsum mutatum evangelium.

Attamen, procul dubio adhuc sequi possumus hanc doctrinam, eo quod S. R. Congr. per citatum decretum anni 1622 Octavarium Gavanti adprobavit, in quo huiusmodi traditur sententia; mens enim est Ecclesiae, ut pro posse lectiones easdem non repetamus, nisi in casu verae necessitatis; nam pro quolibet die infra octavas, Breviarium distinctas lectiones habet pro unoquoque nocturno, et Gavantus ad rem exemplum ponit Octavam Ss. Petri et Pauli, (loc. cit.), infra quam non legitur in missa idem evangelium ut in die.

Ex. gr. qui tamquam Tilularem vel Patronum s. Franciscum Assisiensem colunt, ac proinde cum Octava, si non habent Octavarium romanum, bene possunt in die octava sumere lectiones iij nocturni ex officio s. Felicis a Cantalicio, in cuius missa legitur idem evangelium *Confiteor tibi Pater;* eo quod huiusmodi lectiones sumptae fuerunt ex dicto octavario. Quae nostra sententia cohaeret cum S. R. C. alio decreto (n. 3431 p. ij, d. 2) in quo conceditur: Lectiones proprias sanctorum, quae alibi in ij et iij nocturno recitantur, extendi posse ad Titulares ecclesiae. Unde errant qui tenent oppositum, inhaerentes plus aequo alio decreto n. 3876 ad ix; quia licet decretum istud praescribat quod lectiones in die octava alicuius Sancti, quae non reperiuntur in Breviario, sumi debeant de die festo, deficiente Octavario romano,

nihilominus si ego, in Officiis pro aliquibus locis, habeo lectiones in idem evangelium, eas pro meo Titulari applicare possum.

8. In omnibus Officiis ritus simplicis Psalmi ad Matutinum, qui in Psalterio in tres Nocturnos dispositi inveniuntur, sine interruptione dicuntur, cum suis novem Antiphonis extra Tempus Paschale, tempore autem Paschali sub una tantum Antiphona, usque ad tertium Versum inclusive, omissis Versibus primo et secundo (13).

(13) Locutio huius rubricae paululum mutata fuit, ut adderetur exceptio pro tempore paschali, in quo, sub una tantum antiphona, dicendi sunt continuatim novem psalmi cuiusvis feriae. Et bene, nam in psalterio, ante matutinum feriae ij, hoc idem dicitur, iuxta antiquam legem Breviarii Romani.

Tit. II. — De Festorum praestantia.

1. Ut recte dignoscatur quale ex pluribus Officiis sit nobilius, et proinde sive in occurrentia, sive in concurrentia, sive in ordine repositionis aut translationis praeferendum, cauto semper quod Duplicia I classis primaria universalis Ecclesiae praeferuntur cuilibet Festo particulari, et Festa Dedicationis et Tituli propriae Ecclesiae, et Patroni principalis loci, nec non Tituli et sancti Fundatoris Ordinis seu Congregationis, cedunt tantummodo praedictis Duplicibus I classis universalis Ecclesiae (14), sequentes praestantiae characteres considerandi sunt:

a) Ritus altior, nisi occurrat Dominica, vel ali-

qua ex Feriis, Vigiliis aut Octavis privilegiatis, iuxta Rubricas.

b) Maior solemnitas (15), scilicet si Festum celebretur cum feriatione etiam in foro reducta vel sublata, aut cum Octava. Ratio autem solemnitatis per Octavam inductae, consideranda tantum est in die Festo atque in die Octava; non vero in diebus infra Octavam (16).

c) Ratio Primarii aut *Secundarii*.

d) Dignitas Personalis, hoc ordine servato; Festa Domini, Beatae Mariae Virginis, Angelorum, Sancti Ioannis Baptistae, Sancti Ioseph, Sanctorum Apostolorum et Evangelistarum.

(14) Opportune hoc loco adiecta sunt verba ista, ut clarius appareret ius inhaerens festivitatibus j classis primariis universae Ecclesiae, nec non localibus, ut sunt Dedicatio et Titulus propriae ecclesiae (ideoque et Cathedralis pro tota dioecesi), Patroni principales locorum, nec non et Titulus et Fundator alicuius ordinis.

Aliquibus forte videbitur eadem iura Titulo et Fundatori Ordinis non competere, quibus gaudent Titulus et Patronus loci, eo quod explicite de eis tacent antiquae rubricae, attamen, quia in praxi, imo et ex decretis S. R. C. cum octava celebrantur, et commemorationes in suffragiis habebant, festivitatibus localibus solemnioribus aequiparantur. Hoc autem principium hodie admisere novae rubricae, quae eadem festa in catalogo duplicium j classis recenserunt.

(15) Circa praeferentiam festorum, in ultima novarum rubricarum revisione, iuxta votum plurimorum, elevatum fuit in ordine praelationis criterium *maioris solemnitatis*. Quod festum cum feriatione, aut cum octava, sit solemnius quam cetera, quae sive feriatione, sive octava carent, est principium hodie a Rubricis admissum.

Cum vero, re diligentius perpensa, commissio specialis pro rubricarum revisione animadvertisset, quod huiusmodi character praeferentiae in ordine suo non extaret, proposuit ut ante rationem Primarii et Secundarii poneretur; quod adprobante Sancta Sede factum est.

En ergo diversos modos quibus notae praelationis Festorum in Breviario positae fuere, in diversis aetatibus;

Brev. Antiq.	Ann. 1907	Nov. Rubricae	In hac ultima revisione
Ritus altor	Ritus altior	Ritus altior	Ritus altior
Dignitas	Qualitas Prim. et Secundarii.	Qualitas Prim. et Secundarii.	Maior solemnitas
Solemnitas	Dignitas	Dignitas	Ratio Prim. et Secundarii.
. . . . .	Qualitas fixi prae mobili	Solemnitas externa	Dignitas
Proprietas	Proprietas	Proprietas	Proprietas

Ex hac tabella manifestius apparet quibus rationibus evoluta sunt criteria circa praeferentiam festorum.

De expunctione qualitatis fixi prae mobili, vide quae disseruimus in nostro Commentario in Bullam « Divini afflatu » (nota 27), nec non ea, quae scripsimus iam ab anno 1902 in nostra Rubricarum expositione (nota 410). Vide Ephem. Liturg. an. 1902, pagg. 637 et seq., ubi propugnavimus erratum esse criterium, quo festum fixum praeferri deberet mobili, dum e contra, mobile potius est praeferendum.

In hac ultima rubricarum revisione igitur, positus est character maioris solemnitatis secundo loco, in antecedenti vero editione positus fuerat quarto loco. Ratio huiusce diversitatis in hoc sita est, quod festivitas externa, quae habetur aliquibus locis, tum ob feriationem, tum ob sequentem octavam, revera aliquid solemnioris constituit, sive apud populum idem festum celebrantem, sive etiam per li-

turgicos honores. Et sane, ratione feriationis, populus ad ecclesiam Sacrum auditurus accedit, prout in diebus dominicis, et ab operibus servilibus se abstinet; quod conceditur tantummodo maioribus et excellentioribus festivitatibus. Similiter dicatur de octava quae non aliud est, nisi prorogatio festi, et pariter huiusmodi honore non decorantur nisi festa solemniora per annum. Ergo criterium maioris solemnitatis, ex natura rei, constituit toto iure validissimam rationem praeferendi festum magis solemne, prae alio minus solemni. Hinc, cuiuscumque sit dignitatis aliquod festum, sitque vel non sit primarium aut secundarium, ante omnia, considerandum est, an cum feriatione, vel cum octava celebretur; quia si feriationem habet, aut octava decoratur, praeferri iure debet festis aliis, licet primariis, vel nobilioris dignitatis personalis.

Puta casum: Regii Lepidi celebratur cum feriatione festum secundarium Translationis Patroni s. Prosperi die 24 novembris, quia festum primarium eiusdem, die sua natalitia, 25 iunii, recolitur absque feriatione, ne eodem mense iunio nimia festa feriata haberentur in populo; ratione ergo qualitatis secundarii, secundas vesperas non habebat Translatio s. Prosperi, quia, ob concurrentiam cum festo primario s. Iucundae virginis eiusdem ritus, vesperae ea die, 24 novembris, fiebant de sequenti cum commemoratione praecedentis. Nunc vero, vigore huius reformatae rubricae, Regii Lepidi, vesperae dicendae sunt de s. Prospero, cum commemoratione sequentis s. Iucundae.

Pariter die 26 aprilis Placentiae, apud moniales Cistercienses agebatur festum s. Franchae virginis placentinae eiusdem ordinis, cum octava, eo quod dies hesterna, 25, natalis eiusdem virginis, impedita est a festo s. Marci Ev., hodie vero, in obsequium huius rubricae, festum s. Franchae, licet sit inferioris dignitatis personalis, celebrari debet die sua 25 aprilis, ratione octavae qua decoratur.

Agitur ergo de nova applicatione illius antiquae legis liturgicae, quae in solemnitate festorum, per se fundamentum recognoscebat, ut aliis minoris solemnitatis praeferri deberent.

(Continuabitur). Dr. P. PIACENZA.

Archaeologia Liturgica.

De Statione ad Sanctum Petrum

in secunda Dominica post Pascha

(Continuatio et finis, V. n. 1 curr. anni, pagg. 19-29).

5. Rerum liturgicarum Expositores, qui huius Dominicae sacram declarant Liturgiam, in hoc conveniunt, quod hodierna die Christus Pastor et Pastorum Princeps colendus et imitandus maxime proponitur, ut in eo, Ecclesiae Praelati formam habeant, quam sequantur et imitentur.

a) Rupertus Abbas Tuitiensis de hac Dominica scribit: « Quia Dominica hac Sanctae Romanae Ecclesiae solemne est agendis instare consiliis, bene forma quam sequi debeant Pastores animarum, per eiusdem Dominicae commendatur officium. Per Evangelium manifestissime id agitur... ». Quo demonstrato, prosequitur dicens: « Boni formam Pastoris ceterae collaudant partes officii », etc. (1).

b) Sicardus, Cremonensis Episcopus, postquam dixerit in hac Dominica celebrari Concilia, in quibus est forma, quam sequi debent animarum Pastores, prosequitur « Ideoque per hodiernum officium eis *forma* proponitur et *exemplum*. *Forma* ut sint misericordes, unde in Introitu: *Misericordia Domini plena est terra*; et sint constantes in verbo Dei, unde sequitur: *Verbo Domini coeli firmati sunt. Exemplum,* ut Christus, qui *passus est pro nobis, vobis reliquens exemplum, ut sequamini vestigia eius*, sicut legitur in Epistola; qui fuit

(1) Rupertus Abbas Tuitien. *De divinis officiis,* l. IX, cap. I. Migne, *P. L.*, CLXX, 239.

Pastor Bonus cognoscens oves suas, et ponens animam suam pro ovibus suis, sicut legitur in Evangelio, de quo ceterae partes officii pendent » (1).

c) Durandus in suo *Rationali divinorum officiorum* de hac Dominica inter alia habet: « Haec Dominica de pastoribus est, qui debent plene imitari Christum... et quia Petrus loquitur ad Pastores in Epistola: *Christus passus est pro nobis*, etc., ideo nunc fiunt synodi et fit statio apud Sanctum Petrum »; et ex aliis Missae partibus ostendit, quomodo revera haec Dominica sit de *Pastoribus* (2).

d) Sed alta huius Dominicae mysteria nemo alius inter recentiores iuxta venerandam Patrum traditionem melius est interpretatus, quam clarissimus D. Prosper Guéranger. Is iure animadvertit, hodiernam S. Evangelii lectionem divinis praesentis temporis mysteriis arctissimo vinculo uniri; scribit enim: « Un lieu mystérieux unit ce texte évangélique (Ego sum Pastor Bonus, etc) au temps où nous sommes; car c'est en ces jours, que le Sauveur des hommes, établissant et consolidant son Eglise, commença par lui donner le Pasteur qui devait la gouverner jusqu'à la consommation des siècles » (3). Id deinde pie sequi debent animarum Pastores, prosequitur: Ideoque per et large explanans, sollicitam Christi pastoralem curam in Petro Pastore sibi substituendo, devotis verbis, celebrat; vincula, quibus per Ecclesiae Pastores, ac praesertim per Petri successorem,

(1) SICARDUS, *Mitrale seu de officiis ecclesiasticis summa*, l. VII, cap. II. MIGNE, *P. L.*, CCXIII, 363.

(2) DURANDUS, *Rationale divini officii*. L. VI, cap. 98. In edit. Neap. 1859, pag. 600.

(3) GUÉRANGER, *L'Année Liturgique, Le temps Pascal*, t. II, 5me édit., Paris, 1908, pag. 106 et ss. — Quanta existimatione dignus sit hic *piissimus* et *clarissimus* rerum liturgicarum scriptor, quatuor Brevia comprobant, quibus Pius PP. IX, s. m., eius labores et opera collaudat. Cfr. eiusdem *Institut. Litur.*, 2me édit., Paris, 1878, tom. I, pag. VIII-XXI. Videsis etiam opus, cui titulus: *Dom Guéranger Abbé de Solesmes par un Moine Bénédictin*, in duobus tomis distributum. Hic vita et opera tanti viri optime exponuntur.

Christo summo Pastori coniungimur, indicat; et ut in dies arctiora haec vincula fiant, hortatur. Non facile, quae de tam dulci et pio argumento luculenter et in Dominica et in subsequenti hebdomada disserit, in compendium redigi possunt. Ideo ad eius legendam liturgicam expositionem libentius lectores humanissimos remittimus.

Neminem fugere putamus, hanc Dominicam ob sublimiora mysteria, quae in ea recoluntur, peculiarem sortiri dignitatem et excellentiam, quam quidem veneranda Ecclesiae traditio iure recognovit, diu custodivit, ac variis distinxit solemnitatis notis.

Quanto autem firmo et rationabili fundamento talis Ecclesiae usus nitatur, manifestissime elucet ex S. Leonis M. doctrina de diversa ratione et gradu servandis in variis festis recolendis. Iuxta hunc Sanctum Doctorem, « discernendae sunt causae solemnitatum »: cur autem hae causae discernendae sint, ita arguit, ad Siciliae Episcopos scribens: Notum sit dilectioni vestrae, universos Christi dies innumeris consecratos fuisse virtutibus, et in cunctis eius actionibus sacramentorum mysteria coruscasse,... si illa quae... a Domino gesta cognovimus, sub indiscreto honore colamus, omnia tempora continuatis erunt deputanda festis, quia omnia sunt plena miraculis ». In his autem discernendis causis solemnitatum normam sequendam assignat dicens: « Et in omnibus institutis, Patrum principumque nostrorum rationabilis servanda est distinctio ». Rationem vero, cur ea distinctio servanda sit, exhibet dicens: « Quia Spiritus Sapientiae et Intellectus ita Apostolos et totius Ecclesiae erudivit magistros, ut in Christiania observantia nihil inordinatum, nihil pateretur esse confusum (1) ».

---

(1) S. Leo M., *Epistolae,* XVI, cap. II. Migne, *P. L.,* LIV, pag. 697, 698. — Doctrinae S. Leonis Papae mirum in modum consonat doctrina B. Iosephi Mariae Card. Tomasi, qui circa *causas* festorum institutorum aut instituendorum recte diiudicandas dicit: « Consultius, omissis disputationum tricis, recurritur ad Maiorum Auctoritatem, qui tanto perspicacius videre, quae ad religionem pertinent

Quamvis mens nostra non sit, hanc doctrinam nimis urgere, ac undequaque nostrae thesi applicare, tamen in dubium revocari nequit, Patres principesque nostros hanc Dominicam, ut peculiare festum distinxisse ac per quasdam peculiares solemnitatis notas ab ordinariis Dominicis diebus discrevisse. Inter quas solemnitatis notas duae maxime eminent, *stationis* nempe *celebratio* et *synodalis indictio*. Prior, ut superius demonstravimus, a sanctissimis Pontificibus instituta fuit ac deinde per plura saecula universo interveniente romano clero et populo celebrata. Altera pariter a pluribus Ecclesiae Episcopis constituta, diu salutariter variis in locis observata fuit (1). Quapropter quid vetat dicere, quod Spiritus Sapientiae et Intellectus hos Ecclesiae magistros erudivit, ut huius Dominicae *causam*, seu obiectum vel terminum formalem discernerent, ac peculiari cultu et honore prosequerentur?...

Ratio autem intrinseca, cur hanc Dominicam ab aliis discreverint ac peculiaribus honoribus prosequuti sint Patres et principes nostri, in hoc maxime consistere putamus: In Paschatis solemnitate tria maxima Religionis nostrae mysteria recoluntur, nempe: *Resurrectio Domini, Baptismatis gratia* et *humani generis reparatio*. Dicere possumus quod, veluti in Epiphania (2), « *Tribus miraculis ornatum diem sanctum*

quanto propinquis fuere lucernae lucenti in hoc caliginoso loco, hoc est Apostolis Sanctis eorumque Discipulis, qui omnem nobis transfuderunt doctrinam Christianam scripto et ore ». TOMASI-VEZZOSI, *Opera Omnia* T. VII, pag. 172; vel apud BENEDICTUM XIV *De Servorum Dei Beatificatione*, L. IV, part. II, cap. XXXVII, n. 4. Videsis ibidem trium causarum indicationem ob quas Patres festa Domini instituerunt, quae causae praesentis quoque stationis institutioni iure vindicari possunt.

(1) Cfr. supra in his ipsis *Ephemeridibus*, anno elapso, pag. 337. Scriptoribus ibi citatis nota (6), adde: MARTENE *De antiquis Ecclesiae ritibus*, Antuerpiae 1736. T. II, pag. 876, 879, 883; quibus in locis extat quoque ad Bonum Pastorem invocatio ab Episcopo supra congregatos in synodo recitanda.

(2) Comparationem desumpsimus ex iis quae rerum liturgicarum Periti exponunt de secunda Dominica post Epiphaniam. Cfr. *Ephemerides*

colimus ». Cum vero eodem die non omnia ea mysteria aeque *primario modo* coli possint, cultus primarius singulis tribuendus, distinctis diebus festis assignatur; et sic in ipso die Paschatis primario loco *Resurrectio Domini* recolitur, ideoque Missa inchoatur: *Resurrexi.* Dominica in Albis primo loco ponitur *Gratia Baptismatis*, Missa exordiente: *Quasi modo geniti.* Dominica autem secunda post Pascha *humani generis reparatio* per pastorale Christi ministerium derivata, primario et praecipue celebratur; quapropter Missa incipit a *Misericordia Domini*, et tota ad hoc huius Dominicae tendit Sacra Liturgia, ut superius ostendimus. Placet tamen ed rem confirmandam, orationem referre, quae in statione, hac Dominica celebranda, olim recitabatur. Oratio haec est: *Deus, in cuius praecipuis mirabilibus est humana reparatio, solve opera diaboli, et mortifera peccati vincula disrumpe, ut destructa malignitate, quae nocuit, vincat misericordia, quae redemit. Per* (1).

Iam vero cum haec Dominica sit strictiori sensu Paschalis solemnitatis prosecutio ac veluti pars, ob Paschalia mysteria quae in ea celebrantur, merito Paschalibus quoque honoribus in veteri Romana Ecclesia decorata fuit.

Nonne congruens foret, ut illi honores huic Dominicae olim tributi, denuo instaurarentur?

Votum nostrum ab imo pectore denuo hic exprimimus; ut nempe, per quantum hodiernae Liturgiae conditio permittit, Patrum principumque nostrorum rationalis servetur aut melius instauretur distinctio: iterum haec Dominica suo fulgeat decore; divina, quae commemorat mysteria, iterum solemni cultu recolantur: *Pastor Bonus* iterum in ea primos habeat honores: Praelati et fideles hac die solemnius suum celebrent Principem,

---

Liturgicae curr. an. pag. 146, et potissimum pag. 226 et ss., de ea Dominica disserentibus cl.mis Petro Piacenza et Victorio ab Appeltern O. C.

(1) MURATORI, *Liturgia Romana Vetus*, t. I, pag. 583. — TOMASI-VEZZOSI, *Opera omnia*, t. II, pag. 472 et t. VI, pag. 86. — MIGNE, *P. L.*, LXXIV, pag. 1120.

Pastorem et Episcopum animarum nostrarum recognoscant; et per cultum, amorem et imitationem Summi Pastoris Iesu Christi, officia etiam erga Pastores Vicarios, maxime erga *Pastorem Pastorum* Romanum Pontificem, fidelius serventur, et per hoc tandem fiat *unum ovile et unus Pastor!*

FR. IOSEPHUS ANT. O. M. CAP.

FINIS.

DISSERTATIO LITURGICA

De reformatione Romani Breviarii et Missalis.

1. Ex supradictis constat in Bulla « *Divino afflatu* » summum Pontificem clare expressisse suum desideratum, ut non solum Lectiones statutae de Scriptura occurrente frequentius legerentur, sed etiam ut responsoria de Tempore eodem iure gauderent. « Nihilominus (ait cl. Dr. Piacenza, in Const. « *Divino afflatu* » Comment., p. 42, edit. 2) aliud ex necessitate statutum est in novis Rubricis (Const. « *Divino afflatu* » annexis); nam in usu Breviarii, usquedum non reformetur hac quoque in re, nonnulla incommoda obvenirent, hisce ex rationibus :

1) Quia Responsoria de Tempore rarissime inscribuntur per extensum post Lectiones de Scriptura in Feriis, sed citantur tantummodo ex alio loco.

2) Quia in hebdomada prima post Octavam Epiphaniae, atque in omnibus sabbatis tempore Paschali, desunt omnino Responsoria, et quia eodem tempore Paschali in ceteris Feriis duo tantummodo adnotantur Responsoria, omisso tertio, cuius loco dicitur *Te Deum*.

3) Quia saepe saepius Responsoria, quibusdam Feriis indicata post Lectiones feriales, omitti debent, ut resumantur Responsoria omissa in praecedenti Dominica.

4) Quia in Festis trium Lectionum, cum post tertiam Lectionem dici debeat *Te Deum*, necessario in fine secundi Responsorii addi deberet *Gloria Patri*.

« Nemo est ergo, qui non videat incommoda non pauca, quae haberentur, tum a recitantibus Officium in inveniendis

Responsoriis, tum a redactoribus Calendariorum in eis designandis; nam cuique notum est, quam difficilis intellectu sit Rubrica de Responsoriis ferialibus in Rubricis.

« His ergo ex rationibus satis gravibus, et ex necessitate practica nunc modo (scilicet in Rubr. « *Divino afflatu* » annexis) decretum est, quod in Festis dicantur Responsoria de Communi, vehementi ardore, exoptando ut, simul cum Breviarii definitiva correctione, quam primum fieri possit, in pristino suo honore redeant Responsoria de Tempore (Ita cl. Dr. Piacenza) ».

« Interea, ait SS. D. N. Pius Pp. X, in suo Motu Proprio « *Ab hinc duos annos* », d. 23 Octobris 1913, ex litteris et sermone multorum Venerabilium Fratrum cognovimus ipsis et permultis Sacerdotibus esse optatissimum, ut in Breviario una cum Psalterio nova ratione disposito suisque Rubricis adsint mutationes omnes, quae ipsum novum Psalterium vel iam secutae sunt vel sequi possunt. Quod cum instanter a Nobis peterent, simul significarunt se vehementer cupere, ut et Psalterium novum usurpetur frequentius, et Officia Dominicarum serventur eo studiosius, et incommodis Officiorum translationibus occurratur, et alia quaedam quae bonum videatur mutari, mutentur. Huiusmodi Nos vota, utpote rerum veritati innixa Nostraeque admodum consentanea voluntati, grate equidem accepimus: iis autem obsecundandi nunc esse tempus arbitramur. Certiores enim facti sumus, officinatores librarios, qui sacrorum Rituum Congregationi inserviunt, expectantes dum Breviarium Romanum decretorio modo ac definitivo corrigatur, in eo esse ut novam interim ipsius Breviarii editionem adornent. Hac uti occasione visum Nobis est; propterea, implorato divinae Sapientiae lumine, consultatione habita cum aliquot S. R. E. Cardinalibus, rogataque proprii cuiusdam Consilii sententia, haec Motu Proprio statuimus, edicimus:

I. Secundum priscam Ecclesiae consuetudinem, ne facile Officia Dominicarum praetermittantur. — Itaque nullum Festum, ne Domini quidem, statuatur posthac Dominicis ce-

lebrandum; ex his tamen excipiatur, ob peculiarem ipsius naturam, ea quae a die prima ad quintam Ianuarii occurrat: quam recolendo sanctissimo Nomini Iesu, propter coniunctionem quam habet cum mysterio Circumcisionis, assignamus. — Festa vero, quibus usque adhuc dies Dominica attributa erat, omnia, praeter Festum Sanctissimae Trinitatis, in aliam diem perpetuo transferantur (1). Ne forte forte autem per Quadragesimam aliquod omittatur ex Dominicarum Officiis, quae mire facta sunt ad excitandam in animis Christianam poenitentiam, eius temporis II, III et IV Dominicam ad gradum I classis promovemus.

II. Cum recitationi Psalterii, celebratio Octavarum sit impedimento, id ut rarius contingat, in posterum sola duplicia I classis, quae Octavas integras habent, eas conservent; verum in hisce ipsis Octavis, exceptis privilegiatis (2),

---

(1) Nimirum Festa Kalendarii Ecclesiae universalis, hucusque Dominicis affixa, sequentibus diebus assignantur, iuxta Decr. gener. S. R. C. d. 28 Oct. 1913:

1° *Feria IV infra hebdom. II post Octav. Paschae.* — Solemnitas S. Ioseph, Sponsi B. M. V. Conf. et Eccl. univers. Patroni, dupl. I classis cum Octava.

2° *Feria IV infra hebdom. III post Oct. Pasch.* — Octava S. Ioseph dupl. mai.

3° *Die 24 Iunii.* — Nativitas S. Ioannis Bapt. dupl. I class. cum Oct.

4° *Die I Iulii.* — Pretiosiss. Sanguinis D. N. I. C. dupl. II class. Com. diei Oct. S. Ioannis.

5° *Die 16 Augusti.* — S. Ioachim Patris B. M. V. dupl. II classis.

6° *Die 15 Septembris.* — Septem Dolorum B. M. V. dupl. II class. Com. S. Nicomedis Mart.

7° *Die 7 Octobris.* — Sacratiss. Rosarii B. M. V. dupl. II class. Com. S. Marci I Pap. et Conf., ac SS. Sergii et Soc. Mm.

(1) Octavae privilegiatae hinc sunt: Octava Paschae, Pentecostes, Epiphaniae, SS. Corporis Christi, Nativitatis Domini et Ascensionis.

Psalmi de Feria currenti usurpentur. — Octavae autem duplicium II classis solo Octavo die celebrentur, et quidem ritu simplici.

III. Lectionibus de Scriptura occurrenti semper adhaereant Responsoria de Tempcre.

IV. Nulla, ne perpetua quidem, Festorum, quae in Ecclesia universali cetebrantur, translatio fiat, nisi duplicium I et II classis (1) ».

Ex verbis itaque ipsius Ss. Pontificis constat, id quod antea ob graves rationes fieri non poterat, ipsum nunc occasione novae Romani Breviarii editionis statuere opportunum iudicare, ut scilicet Lectionibus de Scriptura cccurrenti semper deinceps adhaereant Responsoria de Tempore. Eodem tempore, iuxta vota plurimorum, et ut melius finis ab ipso Ss. Pontifice propositus obtineatur, idem Sanctissimus decrevit: ne facile deinceps Officia Dominicarum praetermittantur, et ut recitatio Psalterii frequentius locum habeat, et demum ut incommodis Officiorum translationibus melius occurratur.

Ex quibus omnibus satis liquet, praesentes mutationes M. P. « *Abhinc duos annos* », d. d. 23 Octobris 1913, proprie loquendo non esse alias quam illas quas sibi proposuerat Summus Pontifex in sua Bulla « *Divino afflatu* », easque censeri posse uti complementa primarum mutationum, seu, si vultis, uti *secundum gradum* emendationis Romani Breviarii et Missalis.

---

(2) Festa autem duplicia maiora vel minora aut semiduplicia, quae sunt propria alicuius Nationis, Dioecesis, Ordinis, Instituti vel particularis Ecclesiae, si in *tota* Natione, Dioecesi, Ordine, Instituto, vel in sua particulari Ecclesia *perpetuo* impediantur, reponantur in proximiorem diem, ab Officio duplici, semiduplici, Vigiliis privilegiatis et Octavis II Ordinis non impeditam (S. R. C. Decr. gener. 28 Oct. 1913, IV, 1 et 2).

III.

Quaenam adhuc supersint ut finis a Ss. Pontifice propositus plene sit obsentus.

1. Ut finis a Ss. Pontifice in Bulla « *Divino afflatu* » sit plene obtentus, non solum Missae antiquissimae de Dominicis, sed etiam de Feriis, praesertim *quadragesimalibus*, locum suum recuperare debent.

Dicitur *praesertim Missae de Feriis Quadragesimae*, quia aliae Feriae maiores, nempe Feriae Quatuor Temporum et II Rogationum, utpote habentes etiam Missam propriam, necnon Vigiliae communes eodem iure gaudent ad illas Missa ac Feriae quadragesimales.

2. Certe aliquo modo Ss. Pontifex praedicto iuri satis fecit per illam Rubricam, ad normam Bullae « *Divino afflatu* » servandam (tit. X, n. 2), qua permittitur: « In Feriis Quadragesimae, Quatuor Temporum, II Rogationum et in Vigiliis, si occurrat fieri Officium alicuius Festi duplicis (non tamen I vel II classis) aut semiduplicis, Missae privatae dici poterunt ad libitum, vel de Festo cum Commemoratione ultimoque Evangelio, Feriae aut Vigiliae, vel de Feria aut Vigilia cum Commemoratione Festi... ». — Sed cum hae Missae privatae de Feria vel Vigilia in duplici aut semiduplici sint tantummodo ad libitum sacerdotis, cumque Missae saltem in duplicibus iuxta antiquas Rubricas cum Officio recitato regulariter concordari debeant, eam ob causam dici potest, finem a Ss. Pontifice propositum integre nondum esse obtentum, praesertim cum tunc Officium de illa Feria vel Vigilia non recitetur.

3. Ut autem dictae Feriae maiores et Vigiliae ad modum Dominicarum suum ius antiquum obtineant, et ita fini a Ss. Pontifice plene sit satisfactum, plures modi excogitari possunt ad dictum finem assequendum :

a) Primus modus est, ut praedictae Feriae maiores et Vigiliae communes sint privilegiatae ad modum Dominica-

rum quae anticipantur; tunc enim illae saepe habebunt suum Officium et Missam.

b) Secundus modus est, ut Sancti, qui in dictis Feriis occurrere possunt, in perpetuum extra cursum Quadragesimae transferantur, vel in dictis Feriis vel Vigiliis commemorentur. Numerus tamen translationum Sanctorum in casu nimis magnus erit pro Feriis Quadragesimae, cum dies Cinerum occurrere possit a 4 Februarii et Festum Paschae in die 25 Aprilis (qui sunt, demptis Dominicis, 75 dies). Ad commemorandos autem illos Sanctos, plures in diversis Kalendariis invenientur qui habent ritum nimis altum vel sunt nimis solemnes, saltem apud populum, quod est alia causa incongruentiae (1).

c) Tertius modus, qui iuxta me optime congruens videtur, est sequens, ut Kalendarium Ecclesiasticum reddatur invariabile et Festum Paschae determinato die fixe assignetur, uti anno praeterito in hisce Ephemeridibus proposui. Tunc enim non solum omnes Dominicae, sed etiam dictae Feriae maiores et Vigiliae propriam Missam habentes, semel pro semper ita disponi possunt, ut nullo umquam tempore sit impedita, et ita plene satisfactum erit fini a Ss. Pontifice Pio Pp. X proposito. — Hoc sapientiorum iudicio relinquo (2).

P. V. ab A.

(1) Satis esset tranferre in perpetuum *solos* Sanctos *perpetuo* a Quadragesima cum octava Paschatis *impeditos*; scilicet occurrentes a die 10 ad 29 mensis martii.

NOTA ADDICTIONIS.

(2) Nos quod attinet, quamvis, ut alias diximus, iam a pluribus annis Kalendario invariabili propensi, rem iudicio S. Sedis remittimus.

NOTA REDACTIONIS.

SUPPLEMENTUM

ad dissertationem de quibusdam defectibus in praxi liturgico-pastorali supplendis ac reformandis item ad sequentes observationes Directionis (Eph. Lit. 1913, pag. 578 ss., 664 ss., 730 ss.)

I.

Imprimis animadvertere liceat, observationes Directionis versari solummodo circa accidentalia nempe circa circumstantias rerum discussarum, ut modi, temporis, loci, quae tamen statum singulae thesis rationumque pro demonstrandis illis allatarum vix infirmare videntur. Opportunum tamen videtur, ad rem melius dilucidandam, quasdam animadversiones etiam hic adiungere.

Quoad primam propositionem: de utilitate et necessitate antiquae consuetudinis celebrandi Officia divina in ecclesiis parochialibus, diebus dominicis et festivis.

Obi., *horam tardiorem* i. e. post solis occasum pro celebrandis primis Vesperis *incommodam* esse.

Resp.: *a*) Haec hora mori primaevae Ecclesiae magis est conformis.

b) Non omnes ac singulae parochiae constant solis ex operariis, qui cum familiis suis eo tempore obsonio vespertino domi occupantur.

c) Ut probari potest, variis in locis v. g. in dioecesibus Statuum foederatorum Americae viget praxis huiusmodi devotiones vespertinas hora tardiori i. e. post solis occasum, celebrandi, et quidem magno cum concursu populi, maxime operariorum, qui non solum non obdormiunt, sed e contra, cum pietate et fervore toto tempore devotionis, ut testantur, assistunt. Item aliud exemplum. In plurimis locis

Europae, maxime in civitatibus et oppidis, invecta est consuetudo toto mense Octobri devotionem Rosarianam *sero,* iam post solis occasum (h. 6 vel 7) celebrandi, et quidem valde solemniter cumque populi concursu. Si hoc mense Octobri possibile et commodum videtur, cur impossibile vel incommodum quovis Sabbato, eo magis pridie solemnitatum, existimaretur?

d) Huiusmodi praxis celebrandi Vesperas sive in genere devotiones vespertinas in sabbatis hanc praesefert utilitatem, quod permulti ex operariis, maxime in civitatibus et oppidis, accepta hebdomadaria pecunia, hoc modo hacque occasione abstrahi valent a visitatione cauponarum (ut communiter moris est apud illos), ubi fructus sui hebdomadarii laboris forte disperderent. Imo putandum videtur, eo probabiliter fine huiusmodi devotiones vespertinas in vigiliis festorum et sabbatis a sollicitudine pastorali aliquibus in locis introductas esse.

e) Circa tempus, quo Vesperae persolvendae essent difficultas oriri non potest, dum ex praxi notum est, Vesperas etiam solemnius cantatas, non diutius duobus quadrantibus horae protrahi.

Ceterum, animadvertendum est, non in circumstantia temporis neque horae rei essentiam consistere. Talis circumstantia, prout conditio accidentalis, minoris est momenti. Potest ergo, imo saepe debet, ut iuste observat Directio, pro diversitate loci aliter atque aliter ordinari, prout locales conditiones expostulant. Dum v. g. in civitatibus et oppidis hora pro primis Vesperis inchoandis tardior designari posset, per se patet, in parochiis ruralibus et dissitis multo melius esset, si ante solis occasum inchoandae essent, ita, ut ad solis occasum iam finiantur. Res in eo est, ut quocumque modo, sive per celebrationem Vesperarum, sive etiam per celebrationem alius devotionis, ubi Vesperae impossibiles essent (1), memoria vel saltem aliquod vestigium antiquae

(1) Non tamen facile Vesperae in aliam devotionem extra-liturgicam mutandae essent, cum notum sit, Vesperas, prout devo-

pietatis christianae pridie Dominicarum et solemnitatum, si non totaliter, saltem ex parte in fidelibus restituatur et retineatur. Tandem, etsi pro celebrandis praefatis diebus Vesperis hora tardior (quae est post solis occasum vel saltem ad ipsum occasum), traditioni ecclesiasticae magis consentanea esset, attamen principali scopo assequendo nil oberit, si ob conditiones locales magis tempestive inchoentur, eo magis, quod tempus solis occasus ubique locorum est diversus et tempori anni astronomici varie adaequatus.

Porro, consuetudo vel necessitas audiendarum confessionum fidelium in sabbatis difficultatem parere videtur (cfr. pag. 731). Respondendum tamen potius videtur: e contra, occasionem accedendi ad Vesperas, multis ex fidelibus fieri occasionem accedendi ad confessionem. En, ex praxi exemplum. In mea ecclesia parochiali viget consuetudo celebrandi Vesperas solummodo in vigiliis festorum sollemnium fori, in sabbatis vero loco Vesperarum (ut communiter hic mos observatur), cantantur ab organoedo una cum populo, Litaniae de Nomine Iesu vel B. M. V. (2). Iuxta ordinationem dioecesanam moderni Episcopi loci, circa eandem horam accedo in ecclesiam ad audiendas confessiones parochianorum. Quidque observare potui? En, diebus, quibus Vesperae omittuntur, vel neminem penitus, vel duos aut tres solummodo poenitentes adesse, dum e contra, diebus, quibus Vesperae celebrantur, triginta, quadraginta vel amplius homines paratos invenire.

Ceterum, ut supra iam dictum erat, totas Vesperas non diutius una dimidia parte horae protrahi, quod praecipue fatendum est, de novissime reformatis Vesperis Sabbatinis, cum suis psalmis hymnoque brevissimis. Porro, reformatis

---

tionem liturgicam, toto coelo praestantiores ac omni ex parte, prout orationem publicam *totius Ecclesiae*, omnibus devotionibus non liturgicis digniores esse.

(2) Litaniae, de quibus sermo, cantantur solemniter i. e. cum sonitu organi, duabus candelis in altari accensis et praevio pulsu campanae, sed sine assistentia activa sacerdotis.

rubricis, Vesperae in Sabbatis nunc fere semper de Sabbato sumuntur, facile ergo ac commode a fidelibus et minus etiam peritis organoedis vel choris fieri valent.

Ex praedictis patet, Vesperas in Sabbatis alias functiones ecclesiasticas vix impedire posse.

Quoad practicam difficultatem celebrandi *Matutinum* diebus festivis in ecclesiis parochialibus, neganda illa videtur in ecclesiis, ubi plures adsunt sacerdotes vel clerici. Quod vero spectat ecclesias minores, difficultas illa non videtur tam absoluta esse, cum praesto sint quaedam media ad hanc vincendam adhibenda, de quibus in num. 10 Ephem. anni decursi (pag. 551) dictum erat, nisi probetur illa menti s. Liturgiae vel decretis adversari. Porro sequens exemplum, lectoribus animadvertendum propono. Pluribus in dioecesibus regionum harum (1) viget immemorabilis, constitutionibus synodalibus vel ordinationibus episcopalibus firmata consuetudo, vi cuius omnibus in ecclesiis parochialibus (hora 6 vel 7 mane) omnibus Dominicis vel saltem diebus solemnibus de praecepto, Matutinum est celebrandum. Putandum est, alias etiam tali cum consuetudine provincias in Ecclesia nostri ritus dari. Matutinum tamen, de quo sermo, non completum, sed *unico ex Nocturno* (tertio) constat, praemisso semper Invitatorio, psalmo *Venite* et hymno. Quae consuetudo etiam in nocte Nativitatis Domini observatur. Specialiter autem animadvertendum est, consuetudinem istam nonnullis constitutionibus synodalibus vel aliquando legibus dioecesanis sancitam esse. Quidquid sit, argumentum pro liceitate praxis huiusmodi omnes parochi desumunt illa ex ratione, quod cantus horarum canonicarum ecclesias parochiales de iure communi non obligat, proinde et integritas Matutini, quod pro populo canitur, nimis urgenda non esset. Supponendum videtur, Ecclesiam ob inopiam cleri, cantorum aliasque sinistras conditiones libenter talem abbreviationem pro ecclesiis parochialibus, saltem minoribus, tolerare, hunc

(1) Russia, Polonia, Lithuania, Samogitia, Galicia, Silesia, prov. Gnesn. etc.

praecipue ob finem, ne memoria antiquae olim consuetudinis pereat, sed e contra, ut saltem aliqua in umbra permaneat. Secus enim omne vestigium antiquitatis in toto populo christiano in profundum oblivionis demergeretur, quod putandum non esse in mente Ecclesiae. Ceterum, ut supra (Ephem. 1913 a., pag. 551) dictum erat, difficultati, de qua sermo, usus alicuius Matutini votivi vel ex Officio parvo desumpti item bene succurreret. Matutinum, unico ex nocturno constans, diutius una dimidia parte horae protrahi non valet, ergo temporis ad alias functiones ecclesiasticas necessarii vix subtrahere posset.

Defectus copiae sacerdotum aut chori non videtur impedimentum vel difficultatem parere, dum *unico sacerdote* parato, quae ad Celebrantem spectat cantante et intonante, organoedo autem cum sonitu organi alias partes, quae ad chorum spectant, exequente, Matutinum rite absolvi valet. Tres autem lectiones nonne ipse celebrans cantabit?

Tandem, animadvertere liceat, quam aedificantem rem esse, fideles initio diei sacri ad Deum adorandum publice ab Ecclesiae ministro in nomine eiusdem Ecclesiae, invitari (quod fit in cantu invitatorii et ps. 94 *Venite*), eosque ad gratiarum actiones agendas (in hymno *Te Deum*) in fine, pro beneficiis creationis et redemptionis adhortari! Quid menti Ecclesiae et sensui s. Liturgiae magis consonum ac convenientius putandum?!

Pro coronide, una adhuc eaque ultima hac in re animadversio: introductio praxis et communis consuetudinis cantandi diebus festivis horas canonicas, vel saltem Vesperas et Matutinum ecclesiis in parochialibus, quanta causa fieret *promovendi et propagandi in Universa Ecclesia cantum gregorianum,* eiusdem cantus excellentiam et decorem manifestando, praecipue his temporibus, postquam Sedis Ap. auctoritate et cura traditionalis ille s. Gregorii antiquus cantus de novo reformatus et restitutus refulsit. Sane, cui bono praeclarum hoc opus reformationis cantus et librorum choralium tanto cum labore et studio perfectum est, si idem cantus

numquam a fidelibus audiendus esset, si in usu ecclesiastico non vigeret? Quando autem et quo modo fideles audituri sunt hunc cantum, si Missa nunquam cantetur (cum non obliget), sed semper lecta, etiam diebus dominicis et magnis solemnitatibus, celebretur, si nulla hora canonica iisdem diebus absolvatur? Nonne hoc esset perinde ac margaritas pretiosas abscondere, lumen sub modio tenere? Quid tandem tenendum esset de voluntate Sedis Ap. *scholas cantorum* ad ecclesias minores et rurales instituendi (Motu proprio SS. D. N. Pii Papae X. Instructio de Musica S. d. 22 Nov. 1903. § 27), si cantus Missae solemnis vel Officii divini in iisdem non obligaret et proinde nunquam exerceretur, etiam diebus dominicis et festivis?

Itaque omni ex parte, omni ex ratione aequum mentique Ecclesiae consonum videtur, ut in tanto opere reformationis sacri cantus non solum ecclesiae cathedrales et monachi, sed omnes quoque fideles, etiam rusticani, verbo, universa Ecclesia participet saltemque diebus Dominicis et festivis utilitatem tanto ex beneficio hauriat. Aequum est, ut fideles quoque omnes agnoscant excellentiam et pulchritudinem illius divinae psalmodiae, quae, ut ait Urbanus VIII papa, « est coelestis hymnodiae filia, quae canitur assidue ante Sedem Dei et Agni », utque nunc perfectum sit, quod Psalmista desiderat: « Cantate Domino *canticum novum*, cantate Domino *omnis terra!* » (Ps. 95).

AD IV. *De honore festis suppressis debito in ecclesiis parochialibus restituendo.*

Quidquid sit, omnia possibilia media adhibenda essent, ut mens Ecclesiae, Sedisque Apostolicae hac in re constitutiones, de quibus in num. 11 harum Ephemeridum ann. decursi (pag. 665) dictum erat, in praxim deducantur, non autem solis in paginis Iuris Canonici et Liturgici, velut mortua lex describantur. Certo Sedes Apostolica hac in re non urgeret, nisi rem gravioris momenti putaret. Si ergo quis alia, praeter proposita in pag. 666, media huic scopo utilia, demonstraret, sine dubio utendum his esset. Valde

dolendum esset, si praecipue illa festa suppressa, quae adhuc ab Ecclesia sub ritu primae classis recoluntur (Annunt. B. M. V., F. II et III Paschae et Pentec., Corp. Chr. et sic porro) ulla sine solemnitate in ecclesiis in posterum celebrentur, cum evidenti detrimento gloriae Dei in templis et utilitatis spiritualis in fidelibus.

AD V. *De frequentia expositionum SS. Sacramenti.* Oritur hic quaestio, nonne etiam in solemnitate Corporis Christi, item Dedicationis Ecclesiae et ss. Cordis, ut communior fert usus, expositio Sanctissimi in Missa et Officio (saltem in Vesperis) sit inconveniens? Et altera: an expositio Sanctissimi sensui s. Liturgiae adversari videtur in solemnitatibus Salvatoris, in quibus obiectum expositionis et solemnitatis est idem? Nonne potius in medio veritas stare videtur?

AD VI. *De cultu s. Ioannis Baptistae et s. Ioseph amplificando.*

Elapso nuper Motu proprio Summi Pontificis (de d. 23 Oct. anni decursi), ac Decreto generali S. R. C. super eodem (de d. 28 eiusd. m. et anni), quaestio haec de cultu s. Ioannis Bapt. et s. Ioseph magis urgens etiamnum videtur. Sane, si dies festi Sanctorum horum (F. IV ante Dominicam III post Pascha et die 24 Iunii) ad catalogum festorum suppressorum, reducantur, timendum est, ne cultus horum primorum in regno Dei principum de medio populi fidelis penitus tollatur et in pelagus oblivionis demergatur. Si itaque quaedam specialia media contra hoc periculum non adhibeantur, fortasse talis infelix exitus hac in re sperandus esset. Prae ceteris autem efficacissimum medium putandum esset inductio specialis obligationis solemniori, quo potest, modo praefatis diebus Missam parochialem celebrandi. Alia media huic fini utilia cfr. Ephem. 1913 a., pagg. 669 et 670.

AD VIII. *De altari Sepulchri Domini in Parasceve.* In pag. 671, Ephem. anni decursi in articulo de altari Sepulchri D. obrepsit error omissionis totius versus, qui ita corrigendus est: « Ineffabiles fructus spirituales ex continua adoratione ss. Sacramenti in Sepulchro expositi, provenientes,

magna pietas ex illa occasione populi fidelis, antiquitas pulchritudo et maiestas consuetudinis huius *videntur clamare pro restituenda ac ubique locorum eadem inducenda. Defectus sane, consuetudinis huius* induxit quandam inordinationem etc.

II.

Alia praeterea sunt mentione item digna, quae in praxi liturgico-pastorali obliviscenda et praetermittenda non essent, sed potius restauranda vel definienda, tum ratione magnae discrepantiae in ecclesiis parochialibus nostri ritus tollendae uniformitatisque inducendae, tum ratione promovendae dignitatis et decoris earundem ecclesiarum per cultus divini propagationem, tum denique ratione utilitatis spiritualis fidelium exinde proveniente. Functiones itaque parochiales et praxes huiusmodi sequentes enumerantur, quae praeprimis in cultu publico desiderantur ordinandae:

1) aspersio populi diebus Dominicis ante Missam parochialem de praecepto facienda;

2) secundae Vesperae vel (ob aliquod impedimentum celebrandi eas) aliqua devotio etiam extra-liturgica post-meridiana v. g. Litaniae, Rosarium, diebus Dominicis et festivis;

3) Officium cum Missa in nocte Nativitatis Domini;

4) benedictio candelarum cum processione in festo Purificationis B. M. V.;

5) benedictio cinerum;

6) Completorium (loco Vesperarum) in Sabbatis Quadragesimae;

7) benedictio palmarum cum processione;

8) Officium Tenebrarum in Triduo Sacro, vel ubi impossibile idem esset, aliqua solemnis devotio vespertina (in lingua vernacula) de Passione Domini;

9) functiones sollemnes Tridui Sacri;

10) recitatio publica, licet sine cantu, horarum minorum praecipue Vesperarum in eodem Triduo;

11) Completorium in Sabbato S. solemniter cantatum;

12) Processiones in f. s. Marci et Triduo Rogationum;

13) Cantus horae Tertiae ante soll. Missam parochialem in festo Pentecostes;

14) expositiones Sanctissimi per Oct. Corporis Christi, praecipue autem sollemnissima illa processio in festo Corporis Christi vel sequenti Dominica;

15) sollemnis functio vel pium exercitium coram Sanctissimo exposito in festo ss. Cordis Iesu;

16) Officium cum Missa solemni in die Comm. fidelium defunctorum;

17) Solemne *Te Deum* in Annivers. electionis et coronationis Summi Pontificis, post principalem Missam vel melius, Dominica sequenti, ob concursum populi, cantatum.

Praeter enumeratas functiones etiam sequentes, licet extra-liturgicae, desiderandae essent:

1) devotiones novendiales ante f. Nativitatis D. et Pentecostes vel per octavas;

2) devotio maiana erga B. M. V.;

3) devotio erga ss. Cor Iesu mense Iunio, vel saltem devotio novendialis (1). De devotione ss. Rosarii mense Octobri nil dicimus, cum haec expresse a Leone XIII papa ubique locorum sit introducta.

De aliis quibusdam, ut Matutino paschali, novendiali devotione ante festa: s. Ioseph et s. Ioannis Baptistae, vel per octavas et his similibus, iam supra dictum erat in Ephem. anni prateriti (num. 9-10 et 11).

Nemo non novit, omnes fere supra enumeratas functiones in ecclesiis parochialibus, iuxta vigentem disciplinam, vel omnino *omitti* vel *ad libitum* parochorum persolvi. Exinde exorta est *magna varietas et discrepantia* ubique locorum in cultu divino *per ecclesias parochiales* saepe eiusdem provinciae vel dioecesis, sane ob defectum certae alicuius legis definitivae in codice iuris liturgici, non raro cum admira-

(1) Cum omnes enumeratas functiones et devotiones non adeo gravioris esse momenti putemus, discussio specialis de iisdem non adeo opportuna videtur, nisi benevoli lectores discussionem aliquam de iis expostulent, libenter hoc faciendum promittimus.

tione populi fidelis. Nil tam efficaciter huic incommodo succurreret, quam continuatio operis Benedicti XIII Papae, qui egregio in libello, cui titulus: « *Memoriale rituum pro minoribus ecclesiis parochialibus* » eidem incommodo saltem ex parte voluit succurrere. Cum tamen opusculum hoc incompletum esse videatur, cum de nonnullis tantum functionibus anni liturgici tractet, desideranda valde esset editio similis, sed completi, officialis *Compendii Caeremonialis parochialis*, quod idem pro ecclesiis parochialibus fieret, ac Caeremoniale Episcoporum pro ecclesiis cathedralibus et collegiatis. Caeremoniale huiusmodi non solum parochis velut *Codex Liturgicus* inserviret, sed etiam in futuro omnem dissonantiam et varietatem in divinis tolleret, decoremque Liturgiae sacrae et in genere splendorem cultus in Ecclesia, non solum in civitatibus et oppidis, sed ubique locorum, promoveret. Dum in hodierna societate humana in temporalibus ad progressum et perfectionem de die in diem adeo tenditur, aequum est, ut in religiosis et ecclesiasticis quidam progressus observetur, opportunaque in melius reformatio adhibeatur, atque hoc sublime principium pontificatus feliciter nobis regnantis Summi Pontificis « *instaurare omnia in Christo* » in omni parte disciplinae ecclesiasticae ad exitum deducatur.

***

Conclusio. Nostris his luctuosis temporibus, frigescente de die in diem fide et pietate in cordibus humanis, plura externa media adhibenda essent, quae pietatem promovere quaeant et fidei nostrae excellentiam, decorem institutorum Ecclesiae, quantum fieri potest, expressius exhibeant et eo ipso charitatem Dei in cordibus foveant. Mutatis conditionibus, templa sacra fere ubique unicae scholae vitae spiritualis hodie permansisse videntur, proinde plus quam olim aequum et opportunum est, ut ecclesiae parochiales non solum pios, sed etiam pigros et frigidos fideles decore et maiestate cultus moveant et doceant. Proinde valde desiderandum esset, ut ecclesiae parochiales, ac praesertim matrices,

alias ecclesias filiales, minores et in genere non parochiales, sua dignitate et auctoritate praecedant, quae in solemniori modo celebrandi sacra, in ordine, uniformitate cultus publici, et splendore sacrorum rituum manifestaretur; ut, verbo, idem ecclesiae matrices et parochiales fierent pro populo, quod cathedrales sunt pro clero, ut de illis quoque dici posset: *Quam dilecta tabernacula tua Domine virtutum, concupiscit et deficit anima mea in atria Domini!*

Concludendo hanc totam dissertationem, vellem animadvertere: si forte in elaboratione mea S. Matris Ecclesiae eiusque Liturgiae mentem non sim assecutus, scripta mea illius iudicio, ea, qua par est reverentia, submitto, quippe cum aliud non proposui, nisi ut « *Deo sit gloria in Ecclesia et in Christo Iesu* » (Eph. 3. 21), sponsae autem eius, Ecclesiae, decoris maiestatisque augmentum, sincero ut corde ubique locorum dicatur, in civitatibus magnis et minimis pagis, quod canimus de ea:

« O sorte nupta prospera,
Dotata Patris gloria,
Respersa Sponsi gratia,
Regina formosissima,
Christo iugata principi,
Coeli corusca civitas! »

Parochus Stephanus Bernatowicz.

Varia de re liturgica.

De iis quae permittuntur et prohibentur in cultu Servorum Dei nondum beatificatroum vel canonizatorum.

(Continuatio. Vide num. I curr. anni, pagg. 30-38).

§ III. *Recolenda mandatur declaratio, qua statuitur quoscumque Causarum Processus nullius esse valoris quoad Servorum Dei cultum.*

« *SS. D. N. Pius Pp. X... recolendam mandavit declarationem additam die 19 februarii 1658 Decretis fel. rec. Urbani VIII,* (1) *Ne, scilicet, per Commissiones introductionis vel reassumptionis seu ulterius progressus causarum tum signatas tum signandas ullum beatitatis vel sanctitatis, aut indultae venerationis et cultus argumentum vel minimum desumi, nec aliud quodcumque ius, quantumvis modici aut fere nullius momenti, in eisdem causis quaesitum dici vel praetendi possit* ».

Pro comperto habendum est « quod in tota Ecclesiae gubernatione, nihil maius aut gravius sit, quam homines declarare pro Sanctis, eosque uti tales colendos et venerandos decernere » (2). Hoc gravissimum negotium « maximam,

(1) Hanc declarationem, quam integram non exhibet Benedictus XIV, reperimus per extensum in Tractatu *De Sanctorum Canonizatione* auctore Carolo Felice De Matta. Romae 1678, pag. 471

(2) In Decreto Innocentii XI, quod incipit: *Sanctissimus D. N.*, datum die 15 Octobris 1678. — De maxima huius negotii gravitate optime disseritur in Instructione S. Rituum Congregationis (1878) de Causis Beatificationis et Canonizationis lingua italica exarata quae incipit: *Altamente commendevole.* Apud FERRARIS, *Bibliotheca*, T. IX Suppl. Romae 1899, pag. 146.

scribit Iacobus Pignatelli, postulat maturitatem, diligentem scilicet rerum gestarum, vitaeque illius qui Catalogo Sanctorum est adscribendus non semel repetitam inquisitionem. Testes enim fallere et falli possunt aliquo indecenti affectu persuasi... Industriae igitur celeritas ac diligentiae tarditas, quae veram faciunt maturitatem; has ob causas in Canonizatione iure meritoque desiderantur: hoc est, ob sanctitatis et miraculorum veritatem operis arduitatem ac fidei firmitatem atque constantiam » (3).

Quae magna maturitas exigit, ut res veluti per quosdam gradus caute deducantur. Ipsa recolenda declaratio hos gradus innuit. Edicit enim « ne per Commissiones introductionis, vel reassumptionis vel ulterius progressus Causarum tum signatas tum signandas » etc. Ad quorum intelligentiam qui sint praecipui gradus, per quos Servorum Dei Causae progrediuntur, breviter dicimus (4).

Primus gradus complectitur processus Ordinarios, eorumdemque per S. R. Congregationem examen et excussionem. Unica tantum Congregatio habetur ad dubium excutiendum: *An sit signanda Commissio Introductionis Causae in casu et ad effectum de quo agitur.* Si E.mi Cardinales affirmantem sententiam ferre censent, respondent: *Affirmative, seu signandam esse Commissionem, si Sanctissimo placuerit.* Quibus Summo Pontifici relatis, prout censuerit, subscribet: *Placet.* Et S. Rituum Congregatio edit Decretum, quo, de Servi Dei vita et de peractis, brevi praemissa notitia, nunciat quod « *Sanctitas Sua... propria manu signare dignata est*

---

(3) PIGNATELLI, *Consultationes*, Venetiis 1696, Tom. X, Consul. 193. — Iterum cfr. praecitata *Instructio*.

(4) Qui ampliorem huiusmodi rerum expositionem exoptat, adeat BENEDICTUM XIV, *De Servorum Dei Beatificatione et Beatorum Canonizatione*, praesertim in libro II; DE AZEVEDO, *SS. DD. Benedicti XIV Synopsis operum omnium*, l. I et II. — TRAMA, *Manuale Theorico-Practicum pro conficiendts Processibus* etc. Neapoli, pluries impressum. — FORNARI, *Codex Postulatorum*, Romae, 1899.

Commissionem Introductionis Causae beatificationis et canonizationis Servi Dei N. N... »

Secundus gradus complectitur litterarum remissorialium et compulsorialium expeditionem, Processuum Apostolicorum confectionem et eorumdem in S. Congregatione excussionem. Dubium de virtutibus sic enunciatur: *An constet de virtutibus Theologalibus, Fide, Spe, Charitate tum in Deum tum in proximum; nec non de Cardinalibus Prudentia, Iustitia, Fortitudine, Temperantia, earumque adnexis in gradu heroico in casu et ad effectum de quo agitur?* Si res bene cedant, Responsum hoc datur: *Constare de virtutibus Theologalibus etc., ut procedi possit ad discussionem miraculorum.* Quae responsionis forma adhibetur, si probationes a testibus *ocularibus* desumptae fuerint; si vero a testibus ex auditu et ex historicis monumentis desumptae fuerint, sic responsum parum immutatur: *Ita constare de virtutibus* etc. », ut supra. De dubio isto disputari non potest, antequam ab obitu Servi Dei quinquaginta fuerint anni elapsi, nisi Summus Pontifex ab hac lege solverit: ter autem disputatur; primum in Congregatione, quae dicitur *Antepraeparatoria;* deinde in *Praeparatoria*, tertio in *Generali* coram Summo Pontifice, qui demum, si id indicaverit, Decretum publicari iubet, quo *Constare* aut *Ita constare* etc. pronunciatur.

Tertius gradus complectitur iudicium super miraculis, quod haberi non potest, nisi expleto iudicio de virtutibus. Dubium proponitur: *An et de quibus Miraculis constet in casu et ad effectum de quo agitur.* Hoc quoque dubium, sicut dubium de virtutibus, in tribus Congregationibus excutitur. Si Summus Pontifex proposita miracula adprobanda diiudicaverit, Decretum publicatur, uti supra de virtutibus, quo pronunciatur: *Constare de miraculis primi,* aut *secundi,* aut *tertii generis.* His accedit brevissimum iudicium super dubio: *An stante Virtutum et Miraculorum adprobatione, tuto procedi possit ad solemnem Beatificationem.* Latis suffragiis in Congregatione, Summus Pontifex non illico suam manifestat sententiam; sed, quando censuerit, Secreta-

rium S. R. Congregationis, Decretum conficere iubet, quo enunciatur *tuto procedi posse ad solemnem Beatificationem.* Postea per *Breve* Apostolicum Missa et Officium indulgentur et cetera constituuntur.

Ut Causa ad *Canonizationis* fastigium pervenire possit, *quartum gradum* praetergrediendum est. Si, edito Decreto Beatificationis, fama refert de uno saltem novo miraculo, et populorum veneratio erga Beatum in dies augetur. Summo Pontifici supplex libellus porrigitur, quo Commissio Reassumptionis Causae et antea in Comitiis Ordinariis S. R. Congregationis proponitur dubium: *An sit signanda Commissio reassumptionis Causae in casu et ad effectum de quo agitur?* Si affirmans responsum dederint E.mi Cardinales, Commissio a Summo Pontifice signatur, et editur Decretum. Petuntur et expediuntur Litterae Remissoriales ad condendum Processum super miraculis. De his fit matura discussio in triplici Congregatione, sicut in miraculis pro Beatificatione, et tandem, si Summus Pontifex ita iudicaverit, publicatur solemniter Decretum, quo de miraculis constare enunciatur. Sequitur ultimo iudicium de *Tuto*, sicut in Beatificatione, et, praemissis peculiaribus precationibus ac Consistoriis, cum Pontifex censuerit, Bulla Canonizationis edicitur et solemnia celebrantur.

Declaratio, de qua nobis est sermo, memorat *Commissiones... Reassumptionis Causae;* sed hoc loco sub nomine Commissionis Reassumptionis, non ea Commissio intelligenda est, quae a Pontificc signatur, cum alicuius Beati Causa reassumitur in ordine ad Canonizationem: sed de illis Causis intelligenda est, quae ante Urbani VIII Decreta introductae et prosecutae, per eadem Decreta interruptae, fuerunt ac praescriptum fuit, ne de iis agi posset, nisi habita prius et expressa licentia obtenta a Sanctitate Sua vel eius successoribus. Huic licentiae petendae substituta fuit *Commissio Reassumptionis Causae in statu ac terminis*, nempe in statu et terminis in quibus inveniebatur ante interruptionem. Quae *Commissio Reassumptionis* signanda erat a Summo

Pontifice, praehabito Congregationis voto, sicut aliae Commissiones (1). De hac itaque *Commissione Reassumptionis* in Declaratione fit mentio.

Olim disputabatur, narrat Benedictus XIV, an a signatura Commissionis aliquod publici cultus aut venerationis argumentum desumi posset: hodie, scribebat idem Pontifex, quaelibet cessat controversia, cum ex Decreto edito 19 Februarii 1658 colligatur, signaturam Commissionis nullum cultus initium importare (1); nihilominus ante praesentis Decreti publicationem, publice alicubi docebatur, Servum Dei per Commissionis signaturam *universi catholici orbis veneratione a Summo Pontifice dignum declarari.*

Quam erroneam doctrinam damnare et reprobare intendit Summus Pontifex, cum hanc, de qua loquimur, declarationem recolendam mandat. Duo enim continet ea Declaratio:

Primum, quod nullum argumentum in favorem cultus Servi Dei desumi possit ex eiusdem Causae Introductione, Reassumptione vel progressu; seu aliis verbis; ex eo quod alicuius Dei Servi Causa est introducta, vel reassumpta, aut quantumvis progressa, nullum argumentum deduci aut afferri potest ad affirmandum, quod Dei Servo aliquid vel parum aut minimum sit indultum venerationis, quae Beatis aut Sanctis exhibetur, quasi Ecclesia Causae progressum (sive Introductionem, sive Reassumptionem) decernens, aliquid vel minimum de cultu et veneratione Beatis vel Sanctis debito, in Dei Servo recognoscat et statuat. Igitur ex his, quae in Causis peraguntur, nihil, et omnino nihil, argui potest quod cultum probet aut significet.

Alterum est, quod nullum ius quantumvis modici aut fere nullius momenti ex Causarum introductione, Reassumptione aut progressu quocumque, pro iisdem Causis quaesitum dici aut praetendi possit; nempe ex eo quod Causa est introducta, reassumpta, aut quantumvis progressa, nullum

(1) De utraque Commissione Reassumptionis Causae, videsis in primis Benedictum XIV, L. II, cap. 38, nn. 1-5.

(1) BENEDICTUS XIV, *De Servorum Dei* etc. L. II, cap. XXXV. n. 11.

ius quaesitum afferri potest ad Beatificationem aut Canonizationem exigendam aut probandam: in Declaratione enim, de qua agimus, expresse dicitur quod « Ipsae Commissiones (Introductionis vel Reassumptionis) praeter finem et effectum obtinendi remissoriales et compulsoriales..., in reliquis effectu et viribus quibusvis careant ac destitutae penitus censeantur, nullamque propterea in ordine ad Beatificationem et Canonizationem probationis vim et gradum constituant » (1). In his omnimodam libertatem sibi vindicat Ecclesia, et nullum ius ex parte Causarum, quocumque progressae sint, agnoscit.

Per Declarationem igitur, quam Summus Pontifex recolendam mandat, omnino reprobata et damnata remanet erronea doctrina, de qua mox loquebamur; sed cum ea originem ducat ex praepostera interpretatione tituli *Venerabilis*, quo Servi Dei ex *consuetudine* post signatam Commissionem pro eorumdem Causae Introductione honestabantur, ratio dicendorum ad tertium Summi Pontificis mandatum declarandum sponte sua nos ducit.

---

(1) Apud Benedictum XVI, L. II, cap. XXXV, n. 11.

Consultationes.

Lucionen. — I. In novo Vesperali, initio Vesperarum, die Dominica, habetur Rubrica, iuxta quam verba Antiphonae, quando eadem sunt ac prima Psalmi verba, non repetuntur initio Psalmi. An haec regula exceptionem admittat pro Officio cantato?

Resp. In Psalterio ad I Nocturnum Matutini, die Dominica, post Antiphonam *Beatus vir,* habetur sequens Rubrica: « Et non repetitur in Psalmo, quod semper fit, quando Antiphona incipit a primis Psalmi verbis. Et Psalmus tunc incipitur ab eo verbo, ante quod vel inchoata vel integra desinit Antiphona; si tamen eadem sint verba, et continuetur Antiphona cum Psalmo, neque addatur in fine ipsius Antiphonae: *Alleluia* » *(Ita Rubr. reformata, iuxta Mutationes in Breviario, a S. R. C. 11 Iunii 1913 approbatas).* — Item in Antiphonali editionis Vaticanae, a S. R. C. 8 Dec. 1912 approbato, Dominica ad Vesperas, post prima verba Antiphonae *Dixit Dominus,* legitur in nota sequens Rubrica: « Et non repetitur in Psalmo: quod semper fit, quando Antiphona incipit a primo versu Psalmi, et Psalmus tunc incipitur ab eo verbo in quo desinit Antiphona, sive haec integra dicatur sive tantum inchoata: si tamen eadem sint verba, et continuetur Antiphona cum Psalmo ».

Ex citatis Rubricis duo sequuntur: 1° quodsi Antiphona incipiat a primis Psalmi verbis, Psalmus tunc incipitur ab eo verbo, in quo desinit Antiphona, sive haec integra dicatur sive tantum inchoata, dummodo eadem sint verba tum Antiphonae tum Psalmi; — 2° quod si verba Antiphonae et Psalmi non sint omnino eadem; vel si sint eadem, sed in fine Antiphonae addatur *Alleluia,* tunc Psalmus incipitur ab

initio, casu nempe quo haec Antiphona integra dicatur ante Psalmum.

Haec Rubrica non solum in recitatione privata divini Officii, sed etiam in eius publica seu chorali recitatione omnino servanda est.

II. Debetne etiam addi *Alleluia* Antiphonae *O sacrum convivium* tempore Paschali, quando ea Antiphona cantatur in expositione Ss. Sacramenti, imo omni tempore praeter tempus Septuagesimale?

Resp. Primo certum est iuxta Decretum S. R. C. 12 Iulii 1892 ad 7 (n. 3780) quod *Alleluia* semper recitari debeat ad Antiphonas quae habent in fine *Alleluia,* excepto tempore a Septuagesima ad Sabbatum Sanctum; sed hoc Decretum intelligendum est de casu, quo illae Antiphonae per se (seu ex S. Sedis praescripto seu indulto) habent *Alleluia* extra tempus Paschale, et non iuxta Rubricas et Decreta S. R. C. addendum est.

Deinde pariter certum est quod iuxta Decreta S. R. C. (nn. 1334 ad 6, et 3764 ad 8) *Alleluia* tempore Paschali non addatur Antiphonis et Versibus extra Officium de Praecepto, nec ad Officium parvum B. M. V., et quod iuxta aliud Decretum S. R. C. 3 Iunii 1892 ad 19 (apud *Ephemer. Liturg.*, Vol, VI, p. 482) usus addendi *Alleluia* tempore Paschali ad versus in exercitiis devotionis, quae extra Officium Canonicum, maxime coram Ss. Sacramento habentur, tolerari nequeat; sed ea Decreta intelligenda sunt de eo casu, quo dictae Antiphonae et Versus *per se* extra Officium Canonicum et Missam non habent *Alleluia* tempore Paschali, neque ex Rubricis neque ex Decretis S. R. C., quum nemo per se addere aliquid possit Antiphonis et Versibus ex libris liturgicis desumptis, nisi id a S. Sede concessum vel praescriptum sit.

Videndum igitur est, utrum Antiphona *O sacrum convivium* ex Rubricis vel ex S. R. C. Decretis extra Officium Canonicum et Missam *Alleluia* habent necne tempore Paschali. Porro in nova editione typica Ritualis Romani (an-

ni 1913), tit. II, cap. 2, n. 6, habetur, quod in administranda S. Communione extra Missam *Alleluia* addendum sit tum Antiphonae *O sacrum convivium* tum versui *Panem de coelo* cum suo Responsorio tempore Paschali et per Octavam Corporis Christi, non autem alio tempore. Pro tempore Paschali idem dicitur in Decreto S. R. C. 2 Iunii 1883 ad 11 (n. 3576); imo in Decreto S. R. C. 5 Martii 1898 (n. 3983) habetur quod *Alleluia* ad ℣. *Panem de coelo* in qualibet benedictione Ss. Sacramenti tempore Paschali addendum sit. Ex his omnibus satis manifeste constat quod si Antiphona *O sacrum convivium* in expositione Ss. Sacramenti cantetur, tempore Paschali et per Octavam Corporis Christi huic Antiphonae addendum sit *Alleluia*, versiculo *Panem de coelo* et Responsorio *Omne delectamentum*.

III. Iuxta *Ephemer. Liturg.* (anni 1913, p. 587, Resp. ad I) dicitur, in fine Missae de feria (Sabbato IV Temporum) legendum esse Evangelium Vigiliae S. Matthaei. — Attamen in Rubricis gener. Missae tit. XIII, 2, clare dicitur: In Vigiliis quae occurrunt in Quadragesima vel Quatuor Temporibus, non legitur Evangelium Vigiliae in fine Missae, cui Rubricae non mihi videtur contradicere novissima Rubrica tit. X, n. 3: Quoties extra ordinem Officii.... — Et merito in fine Missae omittitur Evangelium Vigiliae, de quo non legitur Homilia in Officio.

Resp. Auctor responsi in *Ephemer. Liturg.* anni 1913 (pag. 587) refert Oratorem ad ea quae ipse dixit in eisdem Ephemeridibus eiusdem anni pag. 223, ubi idem cl. Liturgista opinionem suam, iuxta me satis fundatam, sic exprimit: « Rubrica (nova tit. X, n. 3) videtur complenda verbo *etiam*, scilicet: *etiam quando Missa dicitur extra ordinem* ». Rationes autem quas idem auctor allegat sunt sequentes; 1° quia ratio videtur eadem sive Missa sit secundum ordinem vel extra ordinem Officii recitati. — 2° Nullimode intelligi potest exceptio, si Vigilia in Missa de Feria, de qua fit Officium, Evangelium in fine Missee requirere debeat, dum Vigilia in Missa de Feria, de qua fit sola Commemoratio in

Officio idem Evangelium debeat respuere. — 3° Falsum est principium: tunc tantum debere dici Evangelium proprium alicuius commemorationis Dominicae vel Feriae, quando Missa celebratur *extra Ordinem Officii;* quia Rubricae revera aliter disponunt, v. gr. in Missa de Festo duplici, quod cum integro Officio celebratur in Quadragesima et in quo tantum commemoratur feria, in ea Missa legendum est Evangelium Feriae in fine, quamvis haec Missa sit in ordine Officii seu secundum ordinem Officii.

Huic iure merito praefatus auctor (p. 587 ad 1) respondit: in fine Missae de feria (Sabbato IV Temporum) legendum esse Evangelium S. Matthaei, et consequenter tenendum esse quod per novam Rubricam (tit. X, n. 3) alia Rubrica generalis Missae (tit. XIII, n. 2) sit mutata et abolita.

IV. Specimen Kalendarii.... ab *Ephemer. Liturg.* datum pag. 154) indicat die 4 Iulii, in Vesp. de seq., com. Dom., Oct. S. Ioannis (*ut in 2 Vesp. festi*)... Attamen cum Festum sequens duplicis 2 classis excludit in concurrentia Commemorationem diei infra Octavam, videtur in hoc casu non esse concurrentiam cum die septimo infra Octavam, sed occurrentiam cum die Octava, et proinde commemorationem sumendam esse e I^{is} Vesperis. Quid tibi videtur?

Resp. Notanda in Tabellis occurrentiae et concurrentiae, n. 11, in novis Mutationibus Breviarii est sequentis tenoris: « De II Vesperis diei VII infra aliquam Octavam nihil fit, si die sequenti persolvendum sit Officium de die Octava: fit autem integrum Officium vel Commemoratio tantum iuxta Rubricas, si die sequenti nihil faciendum sit de die Octava, vel etiam si concurrens dies VII infra Octavam in tit. VII, n. 4 *de Commemorationibus* praescriptum, praeferri debeat diei Octavae, in Officio nobiliori commemorandae ». — Rubrica autem in tit. VII, n. 4 *de Commemorationibus* ita se habet: « Pro Commemoratione sequentis diei infra Octavam, etiam privilegiatam, quando sit facienda, sumuntur Antiphona et Versus e I Vesperis Festi, nisi habeantur propria per singulos dies infra Octavam, aut specialiter per totam Octavam

assignetur, aut denique nisi extra diem festum sit incongrua ».

Porro cum in casu dies octava S. Ioannis sequenti die commemoretur, et dies infra Octavam eiusdem sancti non habeant Antiphonas et Versus in Vesperis propria per singulos dies, nec per totam Octavam specialiter assignata, idcirco dies octava S. Ioannis, occurrens in Festo duplici II classis praeferenda est in Vesperis concurrenti diei VII infra Octavam eiusdem Sancti, et consequenter in die 4 Iulii (1914) Vesp. sunt de sequenti cum Com. Dom., diei Octavae S. Ioannis *(e I Vesp. Festi)*, etc. — Ita pariter habent Ordo.... pro Clero saeculari Romano, iussu E.mi Card. Pompili editus et Ordo iuxta novum Kalendarium Cleri Romani, pro anno 1914 a typographis DD. Desclée et Sociis evulgatus.

V. In Decreto generali super Motu Proprio « *Abhinc duos annos* » (I, ad 2) legitur: « Ubi solemnitas externa Festorum quae hucusque alicui Dominicae perpetuo affixa erant, in ipsa Dominica celebratur, de solemnitate.... permittuntur Missae omnes, praeter Conventualem et Parochialem... ». — Quaer.:

1° Quid intendatur per *Missam parochialem?*

2° An Missa *lecta,* quae celebratur mane in Dominica, et altera de solemnitate Festi in dictis Dominicis?

3° Ubi adest unus Sacerdos unam Missam celebrans, quomodo haec solemnitas externa celebrari possit?

Resp. ad I^{m}. Missa *parochialis* appellanda est ea quae diebus Dominicis, Festisque etiam abrogatis ab animarum Pastoribus *pro populo* est celebranda (S. R. C. 28 Nov. 1884 ad 1, n. 3623).

Ad II^{m}. Notandum est, animarum Pastores obligationem celebrandi *pro populo* adimplere teneri: *a*) *diebus statutis,* nisi legitima dispensatio intercesserit; — *b*) *loco statuto,* nempe in Ecclesia parochiali, nisi Parochus legitime sit absens vel impeditus; sed in casu impedimenti Parochus tenetur eam Missam die Festo per alium celebrare et applicare pro po-

pulo in Ecclesia parochiali (S. C. C. 14 Dec. 1859 et 14 Decembr. 1872, ap. Collect. S. C. P. F., vol. II, n. 1391); non requiritur tamen ut Missa solemnis applicetur, sufficit Missa *privata* seu lecta (S. R. C. 27 Febr. 1847 ad 4, n. 2939; cf. etiam n. 2967 et n. 3128); — *c*) *per Missam correspondentem Officio diei* (ita S. R. C. 21 Febr. 1896, n. 3887).

Hinc in casu Missa *lecta,* quae die Dominica a Parocho pro populo celebratur, dici potest Missa parochialis, dummodo sit conformis Officio diei; et tunc altera Missa de solemnitate Festi sine dubio celebrari potest iuxta praefatum Decretum S. R. C.

Ad III^{m}. In paroeciis ubi adest unus Sacerdos qui unam Missam solummodo celebrat, Parochus in dictis Dominicis, sine speciali indulto S. Sedis, eam Missam de solemnitate Festi celebrari nequit, sed ipse tenetur Missam parochialem pro populo celebrare, correspondentem Officio diei (S. R. C. 27 Maii 1911 ad 8, n. 4269).

VI. Estne totaliter suppressum Officium Ss. Rosarii, cum non indicetur translatio huius Festi?

Resp. Negative. Pro commoditate aliorum Confratrum Sacerdotum, hic indicare volumus, quibus diebus Festa et Officia hucusque Dominicis affixa Kalendarii Ecclesiae universalis iuxta Decretum generale S. R. C. d. 28 Oct. 1913 in posterum assignata sunt:

1. - Dominica inter Circumcisionem et Epiphaniam — SS.mi Nominis Iesu, dupl. II class.
2. - Feria IV infra Hebdomadam II post Octavam Paschae — Solemnitas S. Ioseph, Sponsi B. Mariae Virg., Conf. et Ecclesiae universalis Patroni, dupl. I class. cum Octava.
3. - Feria IV infra Hebdomadam III post Octavam Paschae — Octava S. Ioseph, dupl. maius.
4. - 24 Iunii — Nativitas S. Ioannis Baptistae, dupl. I class. cum Octava.
5. - 1 Iulii — Pretiosissimi Sanguinis D. N. I. C., dupl. II class. Com. diei Octavae S. Ioannis.

6. - 16 Augusti — S. Ioachim Patris B. M. V. Conf. II class.
7. - 12 Septembris — SS.mi Nominis Mariae, dupl. maius.
8. - 15 Septembris — Septem Dolorum B. M. V., dupl. II class. Com. S. Nicomedis Mart.
9. - 7 Octobris — Sacratissimi Rosarii B. M. V., dupl. II class. Com. S. Marci I Papae et Conf. ac Ss. Sergii et Sociorum Mm.

Alia autem Festa seu Officia, in Kalendario Dioecesis, vel Ordinis seu Instituti certis Dominicis post Pascha vel Pentecosten affixa, semel assignentur a respectivo Ordinario, audito suo Capitulo vel Consilio seu Definitorio respective, congruentiori Feriae infra hebdomadam immediate praecedentem (*Vide Decr. gener*, *S. R. C. 28 Oct. 1913, I, h*).

Ex Urbe. **Super Decr. gener. S. R. C. 28 Oct. 1913.** — Festum Ss. Nominis Iesu celebrandum est Dominica occurrente a die 2 ad 5 Ianuarii; et si Dominica non occurrat vel impedita fuerit officio nobiliori, die 2 Ianuarii (S. R. C. Decr. gener. 28 Oct. 1913, I, 1, *b*). — Hinc *quaer*. 1° quandonam hoc Festum celebrandum sit, si Dominica occurrat die 2 Ianuarii et hoc Festum impeditum sit ea Dominica festo nobiliori?

2°. Si Festum Ss. Nominis Iesu celebretur die 2 Ianuarii, an in II Vesperis Circumcisionis commemoratio facienda sit sequentis festi Ss. Nominis Iesu?

3°. Si Dominica venerit 5 Ianuarii, faciendane sit in I Vesperis Epiphaniae commemoratio Ss. Nominis Iesu?

Resp. ad I. Iuxta novissimas Rubricas Breviarii Festum Ss. Nominis Iesu celebratur die Dominica occurrenti in die 2, 3, 4, vel 5 Ianuarii, nisi iis diebus occurrat Festum nobilius, quo in casu de Ss. Nomine Iesu fit in 2 Ianuarii vel sequenti; item in 2 Ianuarii, si ea Dominica incidat in diem 1, 6 vel 7 Ianuarii.

Ad II. Cum Festum Ss. Nominis Iesu censeatur com-

plementum Festi Circumcisionis, idcirco in II Vesperis huius Festi omittenda est Commemoratio Ss. Nominis Iesu, casu quo hoc Festum occurrat die 2 Ianuarii.

Ad III. Cum in I Vesperis duplicis I classis fiat commemoratio de duplici II classis praecedentis, et Epiphania ac Festum Ss. Nominis Iesu censeantur Festa de diversis Domini Mysteriis, ideo in I Vesperis Epiphaniae commemoratio de Ss. Nomine Iesu facienda est casu quo Dominica venerit die 5 Ianuarii.

II. Festa omnia, hucusque Dominicis assignata, aliis diebus secundum regulas in Decr. gen. S. R. C. 28 Oct. 1913 traditas assignanda sunt. — *Quaer.:* An haec Festa, praeter Festum S. Ioannis Baptistae, amiserint suum charactcrem *feriationis* quem eis agnoscere videtur Decretum S. R. C. d. 11 Iunii 1913, tit. II, n. 1, *b*?

Resp. Omnino affirmandum est. In citato Decreto 11 Iunii 1913 (loc. cit.) 2^us^ praestantiae character ponitur: « *Maior solemnitas,* scilicet si Festum celebretur cum feriatione, etiam reducta vel sublata, aut cum Octava. Ad effectus autem huius Rubricae censentur Festa feriata etiam omnia Duplicia I aut II classis ac Festa Domini perpetuo Dominicis diebus assignata.... ». — In novis autem Rubricis (*in recitatione divini Officii servandis ad normam Bullae « Divino afflatu » et subsequentium Decretorum*) legitur tit. II, 1, *b*: « *Maior solemnitas,* scilicet si festum celebretur cum feriatione, etiam in foro reducta vel sublata, aut cum Octava. Ratio tamen maioris solemnitatis per Octavam inductae consideranda tantum est in die festo atque in die Octava, non vero in diebus infra Octavam ». — Ex omissione verborum « *ad effectus autem huius Rubricae censentur Festa feriata etiam omnia Duplicia I aut II classis ac Festa Domini perpetuo Dominicis diebus assignata* », in novis Rubricis, *ad normam Bullae « Divino afflatu » et subsequentium Decretorum servandis,* iure merito deducitur, Festa seu Officia duplicia I et II classis hucusque Dominicis affixa, praeter Festum S. Ioannis Baptistae (quod inter Festa feriata recensetur in Bulla « *Uni-*

versa » Urbani VIII), amisisse suum characterem feriationis. — Revera in novis Rubricis (*ad normam Bullae « Divino afflatu » et subsequentium Decretorum servandis*) ante Tabellas Occurrentiae et Concurrentiae datur elenchus Festorum quae *feriata* censentur. Porro in eo elencho inter *Festa feriata* ex iis duplicibus I aut II classis hucusque Dominicis affixis recensentur solummodo: Nativitas S. Ioannis Baptistae et Solemnitas S. Ioseph, Sponsi B. M. V. Conf. et Ecclesiae universalis Patroni. Ergo...

III. De Festis hucusque in Dominicis celebratis potest in ipsa Dominica servari solemnitas externa. *Quaer.:*

1°. An de iure hoc fieri possit de omnibus eiusmodi Festis; an vero ad hoc requiratur concursus populi, auctoritas Ordinarii?

2°. An Rubrica, annexa *Motu proprio* d. 1 Nov. 1911, tit. X, n. 3, adhuc valeat et praedictis Festis in casu applicari possit?

Resp. ad I. Ex Decreto generali S. R. C. d. 28 Octobris 1913, I, 2, sequentia deduci possunt:

1°. Quod non habeatur obligatio celebrandi solemnitatem istorum Festorum; dicitur enim in eo Decreto: « *Ubi... celebratur... permittuntur...* ».

2°. Quod solemnitas istorum Festorum celebrari possit etiam in Oratoriis publicis et semipublicis; non enim limitatur illud indultum ad Ecclesias tantum, dicitur « *Ubi... celebratur* ».

3°. Quod dictae Missae de solemnitate non debeant esse solemnes vel saltem cantatae; dicitur enim in eo Decreto: omnes Missae, praeter Conventualem et parochialem, de solemnitate Festi dupl. I classis et de Ss. Rosario permittuntur, et unica Missa de solemnitate cuiuslibet alius Festi dupl. II classis.

4°. Quod requiratur concursus populi vel Ordinarii licentia, ut dictae Missae celebrari possint, nullibi in eo Decreto habetur et consequenter eae conditiones non sunt supponendae.

Resp. ad II. Certe illud indultum Rubricae, annexae Bullae « *Divino afflatu* » d. 1 Nov. 1911, tit. X, n. 3, adhuc valet, cum nullibi revocatum sit, sed mihi videtur illud indultum praedictis Festis in casu applicari non posse, quia ibi agitur de Festo impedito a Dominica minore, et hic de Festis quae hucusque Dominicis erant affixa et nunc in perpetuum alii diei intra hebdomadam sunt assignata.

IV. Omnes Dominicae anticipatae gaudent in posterum omnibus iuribus ipsius Dominicae, tam in occurrentia quam in concurrentia ad I Vesperas (Decr. 28 Oct. 1913, I, 3). — Hinc *quaeritur:*

1°. An in I Nocturno eiusmodi Dominicae Lectiones sumendae sint de hac Dominica sola, vel potius addi debeant alia *Initia* infra eamdem hebdomadam occurrentia quae nondum recitata fuerunt?

2°. An in ea Dominica anticipata in Officio dicendae sint Preces Dominicales, an feriales; et in Missa legenda sint *Gloria, Credo* et Praefatio Ss. Trinitatis?

Resp. ad I. Rubrica novi Breviarii *de Dominica post Epiphaniam* anticipanda, quoad modum recitandi huiusmodi Officium, est sequens: « Si sequens Dominica II vel alia post Epiphaniam, Septuagesima superveniente, impediatur, nec sit ei locus post Pentecosten, iuxta Rubricas, de ea anticipatur Officium Sabbato sub ritu semiduplici, cum omnibus privilegiis Dominicae propriis, tam in occursu, quam in concursu ad I Vesperas. In II autem Vesperis nihil fit de ea, quamvis sequens Dominica Septuagesimae commemoranda tantum sit, iuxta Rubricas. — In Officio huius Dominicae anticipatae omnia dicuntur de Sabbato, et, in I Vesperis et Completorio eas sequenti, de Feria VI, ut in Psalterio, praeter Orationem, Lectiones cum suis Responsoriis et Antiphonam ad *Benedictus*, quae de ipsa Dominica dicuntur. In I autem Nocturno ponuntur Lectiones de Initio Epistolarum B. Pauli, quae in Dominica anticipata et duabus etiam ex sequentibus Feriis occurrant; et Initia Epistolarum sequentibus Feriis et Dominicis assignata, penitus omittuntur. Initium vero

Epistolae quod assignetur Sabbato, in quo anticipatur Officium Dominicae ut supra, ponitur in Feria proxime antecedenti, iuxta Rubricas ». De modo autem recitandi Officium de Dominica XXIII post Pentecosten anticipanda, Rubrica novi Breviarii habet sequentia: « In Officio huius Dominicae anticipatae omnia dicuntur de Sabbato, et in Vesperis et Completorio eas sequenti, de Feria VI, ut in Psalterio, praeter Antiphonam ad *Benedictus* et Orationem, quae dicuntur de Dominica, et Lectiones, quae in I Nocturno sumuntur de Scriptura in Sabbato occurrenti, iuxta Rubricas, cum Responsoriis tamen de I Nocturno Dominicae, in II autem et III Nocturno dicuntur ut infra ».

Advertendum est: 1°. ex Rubricis allatis et ex Decreto citato (28 Oct. 1913, I, 3) Dominicas anticipandas gaudere omnibus iuribus ipsius Dominicae in occurrentia et in concurrentia ad I Vesperas, non autem quoad II Vesperas. — 2°. Ex Rubricis supra allatis sequi quod Dominicae anticipandae (si de eis fiat Officium) in posterum fiant ritu semiduplici, tres Nocturnos habeant et primas Vesperas uti aliae Dominicae; item quod in Officio huius Dominicae omnia dicuntur de Sabbato, et in I Vesp. et Completorio eas sequenti, de Feria VI, ut in Psalterio, praeter Orationem, Lectiones cum suis Responsoriis et Antiph. ad *Benedictus*, quae de ipsa Dominica dicuntur.

Hinc in casu ad I. respondendum est: in Dominica post Epiphaniam anticipanda (si de ea fiat Officium) Lectiones I Noctnrni sumuntur de Initio Epistolarum B. Pauli, quae in Dominica anticipata et duabus etiam ex sequentibus Feriis occurrant, et Initia Epistolarum sequentibus Feriis et Dominicis assignata penitus omittuntur. Initium vero Epistolae quod assignetur Sabbato, in quo anticipatur Officium Dominicae, ponitur in Feria antecedenti iuxta Rubricas. — In Dominica autem XXIII post Pentecosten anticipanda (si de ea fiat Officium), Lectiones in I Nocturno sumantur de Scriptura in Sabbato occurrenti, iuxta Rubricas, cum Responsoriis tamen de I Nocturno Dominicae.

Resp. ad II. Cum Dominica anticipata fiat ritu semiduplici et omnibus privilegiis Dominicae gaudeat (praeter excepta in Rubricis) in ea dicendae sunt Preces *Dominicales*, nisi in Laudibus facta sit commemoratio Duplicis aut Octavae, et in Missa recitantur *Gloria, Credo* et Praefatio SS.mae Trinitatis.

V. Iuxta Decr. S. R. C. 28 Oct. 1913, II, 1, Octava Ascensionis Domini ad gradum Octavae privilegiatae evecta est. — Hinc *quaer.:* 1°. An haec Octava sit privilegiata III Ordinis ad instar Octavae Nativitatis Domini.

2°. An dies Octava Ascensionis inde maiori fruatur privilegio in occurrentia quam ceterae dies octavae ritus duplicis maioris?

3°. An infra hanc Octavam prohibeantur Missae privatae votivae et *de Requie?*

4°. An inde modus dicendi Officium in Feria VI post Octavam Ascensionis et in Vigilia Pentecostes sit diversus ab illo ante citatum Decretum praescripto?

Resp. ad I. Iuxta novas *Rubricas... servandas ad normam Bullae « Divino afflatu » et subsequentium Decretorum,* ante Tabellas occurrentiae et concurrentiae, *in elencho Octavarum,* recensetur Octava Ascensionis Domini privilegiata III Ordinis, ad instar Octavae Nativitatis Domini.

Ad II. Negative, quum, iuxta eumdem *elenchum Octavarum,* Octavae III Ordinis in occurrentia praeferantur iisdem Festis ac Octavae communes, quae infra Octavam praeferuntur tantum Officiis simplicibus et in die Octava duplicibus quae non sint I aut II classis.

Ad III. Quum infra Octavam Nativitatis Domini Missae privatae votivae et *de Requie* prohibeantur (nisi Missae de Requie sint in die aut pro die obitus, vel fiant in Ecclesiis aut sacellis sepulcreti), quumque Octava Ascensionis sit privilegiata ad instar Nativitatis Domini, idcirco dicendum est quod in posterum Missae privatae votivae et de Requie infra Octavam Ascensionis eodem modo prohibitae censendae sunt.

Ad IV. Modus dicendi Officium in Feria VI post Octa-

vam Ascensionis et in Vigilia Pentecostes non est diversus ab illo ante citatum Decretum praescripto; solummodo in II Vesperis Octavae Ascensionis non fit commemoratio Feriae sequentis, nisi in die Octavae Ascensionis occurrerit Festum duplex II classis et die sequenti faciendum sit Officium de Feria, tunc in II Vesperis Festi, omissa Commemoratione diei Octavae, fit Commemoratio sequentis: Antiphona *Cum venerit*, Versus *Ascendit*, Oratio *Omnipotens*. Insuper ad Vesperas Feriae VI post Octavam Ascensionis, in omnibus Officiis quae non sint duplicia I classis, fit Commemoratio Sabbati sequentis: Antiphona *Cum venerit*, Versus *Ascendit*, ut supra.

VI. De Octavis duplicium II classis nihil fit, nisi in die Octava et quidem sub ritu simplici (Decretum cit. S. R. C. 28 Oct. 1913, II, 3). Hinc *quaer.*:

1°. An infra eiusmodi Octavas et in die Octava adhibenda sit doxologia propria Festi et Versus proprius in Responsorio brevi ad Primam?

2°. An in iisdem diebus dici debeant Suffragium et Preces ad Primam?

5°. An in dictis diebus addi debeat in Missa *Credo*, si Festum illud requirat, necnon legenda Praefatio propria Festi?

Resp. ad I. In noviss. Rubr. ad normam Bullae « *Divino afflatu* » tit. VIII, n. 1, explicite dicitur: « Conclusio *(Hymnorum)* et Versus *(ad Primam)*, quae sit propria Octavae simplicis (1), dicuntur tantum a Vesperis usque ad Nonam in ipsa die Octava, etiam si ea in Officio nobiliori solam habeat Commemorationem: non dicuntur vero infra Octavam. In Officiis tamen de Tempore Adventus,... numquam adhibetur conclusio *Iesu, tibi sit gloria, Qui natus es de Virgine*. Neque dicentur conclusio et versus Octavae aut alterius officii impediti, praeterquam de die infra octavam, si

(1) Octava *simplex* dicitur illa Festi II classis, vide elenchum Octavarum ante Tabellas occurrentiae et concurrentiae.

in occursu aut concursu omnino omittenda sit eius Commemoratio ».

Consequenter infra eiusmodi Octavas omittenda est doxologia propria Festi et Versus proprius ad Primam; in die autem Octava ea adhibenda sunt, dummodo haec dies octava in Officio nobiliori habeat Commemorationem.

Ad II. Item in noviss. Rubr., loc. cit., dicitur: « Quando in Dominica fit Commemoratio duplicis, vel *cuiusvis Octavae*, omittuntur Suffragium, Preces et Symbolum Athanasium. In Feriis vero in quibus item fit Commemoratio duplicis, aut Octavae, omittuntur Suffragium et Preces Dominicales ad Primam et Completorium, non autem Preces feriales, si sint dicendae ». Idem habetur aliis verbis in novis Rubricis de Suffragio et Precibus Dominicalibus, ita ut sufficiens sit Commemoratio *cuiusvis Octavae* ad omittenda Suffragium et Preces Dominicales.

Ergo in casu quo fit Commemoratio diei Octavae duplicis II classis omittenda sunt Suffragium de Sanctis et Preces Dominicales.

Ad III. Eodem iure hoc applicandum est ad Symbolum et Praefationem propriam Festi, ita ut in Missa, in qua eiusmodi dies octava saltem commemoretur, addendum sit *Credo*, si illius Festum Symbolo gaudeat, dummodo illud Symbolum non sit contra naturam Missae, uti in Missa de Feria, Vigilia aut in Missa votiva privata; necnon in Missa, in qua saltem fiat Commemoratio eiusmodi diei Octavae, dicenda est Praefatio Festi propria (si habeat), nisi primo commemoretur aliud Festum seu Octava propriam Praefationem habens.

P. V. ab A.

Opera ad Directionem transmissa

Librerie Ianin Frères, Lyon.

AMÉDÉE GASTOUÉ, **Le Graduel et l'Antiphonaire Romains,** histoire et description. Un fort volume in-4° de plus de 300 pages. Couronné par l'Académie des Inscriptions et Belles-Lettres.

Le Chanoine L. PERRUCHOT, **Quatre Motets** à 2 voix inégales (ou duos pour soprano et baryton):

N.° 1. *Ave Maria* . . . . net. Fr. 1,75
2. *O salutaris* . . . . » » 1,00
3. *Tantum ergo* . . . . » » 1,35
4. *Tu es Petrus* . . . . » » 1,00

L. SAINT-REQUIER, **Salut bref,** à 2 voix égales:

N.° 1. *O Salutaris*
2. *Beata Mater*
3. *Tu es Petrus*
4. *Tantum ergo*
5. *Laudate Dominum*

Partition avec accompagnement . . . . . . L. 2,50
Partition des voix seules » 0,50

L'Abbé F. BRUN, **Petit Mariale.**

N.° 1. *O Maria, Mater pia* à 2 voix égales
2. *O Virgo pulcherrima* cantilène à 2 chœurs
3. *Ave mundi gloria* à 2 voix égales
4. *Mater Christi* Nöel latin à 2 voix égales
5. *Ave Maria* Motet à 2 voix égales
6. *Virgo clemens* Cantilène à 2 voix égales

Partition avec accompagnement . . Fr. 2,50
Partition des voix seules . . . . . Fr. 0,50

G. BERRUYER, Deux Motets Grégoriens à la T. S.te Vièrge à 2 et 3 voix égales (ou mixtes):

N. 1. *Ave maris stella*: net: avec accomp. 1,35; part. des voix 0.25
2. *O gloriosa Virginum* net: » » 1,35; » » 0,25

PROPRIETAS LITERARIA

IMPRIMATUR
Fr. ALBERTUS LEPIDI O. P., S. P. A. Magister.
IMPRIMATUR
FRANCISCUS FABERJ, Vicariatus Urbis *Adsessor.*

AUGUSTUS ZUCCONI, Director Domus editricis Desclée et Soc., Romae, *Sponsor.*
Ex Officina Polygraphica Latiali, Fratrum Tempesta, Via Boccaccio, 7 - Roma

DIE XIX . MARTII ANNO MCMXIV.

IN FESTO S. IOSEPH SPONSI B. M. V.

Ad celebrandum faustissimum diem nominalem Pii Papae X, Moderatores Ephemeridum, poeticam hanc inscriptionem referendam duxerunt, marmori incisam, super pariete scalarum, unde proxime patet accessus ad templum S. Apollinaris.

IOSEPHUS . SARTO . VENETI . LUX . INCLITA . COELI

AD . NOSTRAS . AEDES . SECESSIT . DIGNA . PRIUSQUAM

IPSIUS . ORNARET . VENERANDOS . INFULA . CRINES

PROXIMA . IN . AEDE . DATA . NOBIS . MODO . LARGITER . UNA

UM . PROPIORE . DOMO . SACRATO . EST . CHRISMATE . INUNCTUS

ILLE . IDEM . TOTI . PASTOR . DIVINITUS . ORBI

QUI . DATUS . ATQUE . PII . DECIMI . IAM . NOMINE . GAUDET

GRATI . ANIMI . TESTEM . SINCERI . PIGNUS . AMORIS

LUCE . SACRA . IOSEPH . CUSTODI . VIRGINIS . ALMAE

PONTIFICIS . SUMMI . SPECIALI . IURE . PATRONO

CURAVIT . PONI . TITULUM . HUNC . ALOISIUS . ALPI

ANNO . DOMINI . MCMXIV .

B. VERGHETTI

SS. RR. C. Hymnographus

Acta Sanctae Sedis
sacram Liturgiam spectantia.

S. CONGREGATIO RITUUM

I.

VERSALIEN.

De baptismo extra ecclesiam collato.

R.mus D.nus Episcopus Versaliensis sequentes quaestiones de administratione Baptismi a sacra Congregatione Sacramentorum ad sacrorum Rituum Congregationem transmissas pro opportuna solutione humillime proposuit:

I. An, in administratione Baptismi, quando imminet periculum mortis, post infusionem aquae, urgeat sub gravi Ritualis Romani praescriptum quoad unctionem Chrismatis, traditionem linteoli et cerei?

II. Quum in Versaliensi dioecesi et, uti fertur, nonnullis circumstantibus locis, obsoleverit usus addendi hos ritus in casu enunciato, nonne curandum est ut isti ritus stricte adimpleantur, et sacerdos in casu sanctum Chrisma, linteolum cereumque secum deferre atque adhibere debeat?

III. An, quando extra casum necessitatis, quum Ordinarius, ob rationes ipsi expositas, licentiam concesserit administrandi domi Baptismum, urgeat praescriptio Ritualis explendi ritus unctionis Chrismatis et traditionis linteoli et cerei?

Et sacra eadem Congregatio, audito Commissionis Liturgicae suffragio, omnibus accurate perpensis, respondendum censuit:

Ad I et II. Standum Rituali Romano.

Ad III. Detur Decretum Bellunen. 17 ian. 1914.

Atque ita rescripsit, die 23 ianuarii 1914.

Fr. S. Card. Martinelli, *Praefectus*.

L. ✠ S.

† Petrus La Fontaine, Ep. Charyst., *Secretarius*.

Commentarium.

Collatio baptismi procul dubio facienda est solummodo in ecclesia, et solummodo quibusdam in casibus sacri canones concedunt facultatem administrandi baptismum in privatis domibus regum et principum; eo quod in istis aedibus principum extat semper oratorium, quasi ecclesia. Dantur tamen aliquando aliae causae ex quibus, permittente Episcopo, parochus potest accedere ad privatas domos, ut conferat baptismum; hisce tamen in casibus, parochus conferre debet baptismum, prout in sua ecclesia administraret, cum omnibus scilicet praecedentibus et consequentibus precibus et caeremoniis, quae in Rituali habentur.

Ita respondit S. R. C. in suo decreto Bellunen., diei 17 ianuarii nuper elapsi (V. *Ephem. Lit.*, n. 2, p. 75), et similiter in hoc decreto ad iij, eamdem responsionem confirmavit. Re quidem vera, si parochus, iustis ex causis ab Episcopo suo cognoscendis, quaerit facultatem administrandi baptismum in aliqua domo, tunc omnia parari possunt et debent prout fit in ecclesia; ideoque, si non habeatur in domo oratorium, disponi debet in decenti cubiculo, aliqua mensa, cum luminibus, et devota imagine, ut aliquomodo locus sacer videatur; ibique omnes caeremoniae explendae sunt prout Rituale praescribit pro baptismo in ecclesia collato.

Quando vero urgente necessitate, ne infans moriatur sine gratia sacramentali, vocatur parochus ad conferendum baptisma, nulla facultate indiget episcopi sui, et tunc exequendae sunt regulae a Rituali datae, nempe, omissis omnibus precibus et caeremoniis, quae baptismum praecedunt, puerum baptizet, ter, vel etiam semel, infundens aquam. Et statim Rituale subiungit: « *Si non habeatur aqua baptismalis et periculum immineat, sacerdos utatur aqua simplici* ». Itemque, sequitur Rituale dicens: *Deinde si habeat Chrisma, liniat eum « .... postea dat ei linteolum.... ac demum dat ei ceream candelam accensam....* ».

Igitur non sunt de praecepto unctio Chrismatis, et traditio linteoli et cerei; quae non solent haberi ad manus; sed potest dari, ut notat Baruffaldus (ad hunc locum), quod providus sacerdos vocatus ad baptizandum in casu necessitatis, res illas secum ferat.

Quapropter, ad i et ij quaesitum, respondit S. R. C.: « *Standum Rituali Romano* », nempe, si commode habeantur, Chrisma, linteolum et cereus, illis utatur parochus, alioquin tamen non exquiruntur.

II.

DUBIA

De festo dedicationis et de octavis.

A sacra Rituum Congregatione, pro opportuna declaratione reverenter expostulatum est, nimirum:

I. An Festum anniversarium Dedicationis omnium ecclesiarum alicuius dioeceseos ita sit intelligendum, ut, ob enunciatum Festum, singulae eccclesiae suam propriam Dedicationem celebrent?

II. An reviviscant Octavae de iure vel ex privilegio concessae Festis, a die 19 ad diem 23 decembris

occurrentibus, quum ipsae deinceps a Festo Nativitatis D. N. I. C. haud amplius impediantur?

Et sacra eadem Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, omnibus mature perpensis, respondendum censuit:

Ad I. Affirmative: nempe ut in singulis ecclesiis consecratis agatur Festum Dedicationis propriae ecclesiae.

Ad II. Affirmative.

Atque ita rescripsit, die 12 februarii 1914.

Fr. S. Card. MARTINELLI, *Praefectus.*

L. ✠ S.

† PETRUS LA FONTAINE, Ep. Charystien., *Secret.*

Commentarium.

Ad I. In nonnullis dioecesibus concessum olim fuit, ut una eademque die celebraretur anniversarium Dedicationis Cathedralis omniumque ecclesiarum consecratarum. Tunc, etiam in ecclesiis non consecratis, officium agebatur revera de Dedicatione Cathedralis et omnium simul ecclesiarum. Hodie vero, cum opportunissime S. R. C. disposuerit, quod Dedicatio Ecclesiae Cathedralis celebretur omnino separatim ab aliis, et quidem in sua propria die, si agnoscatur; in ecclesiis omnibus, consecratis vel non, officium ipsum dedicationis Cathedralis persolvitur, imo et in ecclesiis regularium, agitur enim de ecclesia matrice ac principali totius dioecesis, quae pertinet ad omnes, qui in ipsa dioecesi commorantur.

Cum autem Dedicatio Cathedralis separata sit, in die qua celebratur dedicatio aliarum ecclesiarum consecratarum, si res bene attendatur, non amplius celebrantur Dedicationes omnium ecclesiarum, sed unaquaeque ecclesia in tali die, celebrat Dedicationem propriam, nulla cum relatione ad De-

dicationem aliarum. Ergo in calendariis inscribendum est huiusmodi festum hoc modo:

In ecclesiis consecratis dioecesis (excepta ecclesia cathedrali) *Anniversarium Dedicationis propriae Ecclesiae, dupl. I clas. cum oct.*

Ad II. Circa secundam quaestionem, vide quae infra dicuntur in nostro Commentario, nota 25.

P. P.

S. CONGREGATIO CONCILII.

De translatione festorum dierum statuta Motu proprio « Supremi Disciplinae » d. d. 2 iulii 1911, a sacra Congregatione Concilii quaesitum fuit:

1) An quando festum aliquod suppressum incidat in diem Dominicam, aut impeditam festo maioris ritus, curam animarum gerentes teneantur applicare missam pro populo die, in quam idem festum transfertur?

2) An quando festum aliquod transfertur, quoad officium et missam tamquam in sedem propriam, in aliam diem, in ecclesiis in quibus servitium chorale hebdomadis praestatur, obligatio chori *communis*, et distributiones, si quae pro eo festo sint, pariter transferantur in eamdem diem?

Et in plenariis comitiis, diei 12, loco diei 13, decembris 1913, E.mi Patres respondendum censuerunt:

Ad I Negative.

Ad II Negative, nisi, quoad distributiones, obstet expressa fundatorum voluntas, statutum particulare, aut legitima consuetudo.

Hisce autem relatis Ss.mo Domino nostro Pio PP. X, in audientia habita ab infrascripto S. C. Secretario, die 15 eiusdem mensis et anni, Sanctitas Sua sententiam E.morum Patrum in omnibus approbavit.

(Act. Ap. Sed. 19 ian. 1914, pag. 9)

SPECIMEN

KALENDARII ECCLESIÆ UNIVERSALIS

PRO ANNO DOMINI 1915

Pascha occurrente die 4 Aprilis

MAIUS

† 1. Sabb. *Rub.* **SS. PHILIPPI ET IACOBI APP.** *dupl. 2. cl.* — Lect. 1. Noct. *Incip. Epist. B. Iacobi Ap.* (de Dom IV. p. Pascha) — In Vesp. com. seq. Dom. et S. Athanasii E. C.

✠ 2. **Dom. IV. p. Pascha** *Alb.* **De ea** *semid.* — Lectt. 1. Noct. *Omne datum optimum* de fer. II. seq.) cum ℟℟. tamen de Dom. — Vesp. de seq. com. Dom. et S. Athanasii.

† 3. Fer. II. *Rub.* **INVENTIO S. CRUCIS** *dupl. 2. cl.* — In Vesp. com. seq.

4. Fer. III. *Alb.* **S. Monicae Vid.** *dupl.* — Vesp. a Cap. de seq. com. praec.

5. Fer. IV. *Alb.* **S. Pii V. P. C.** *dupl.* — Vesp. de seq. com. praec.

6. Fer. V. *Rub.* **S. Ioannis ante Portam Latinam** *dupl. mai.* — Lectt. 1. Noct. *Incip. Epist. 1. B. Ioannis* (de Dom. infra Oct. Ascens.) — In Vesp. com. seq.

7. Fer. VI. *Rub.* **S. Stanislai Ep. M.** *dupl.* — Vesp. de seq. com. praec.

8. Sabb. *Alb.* **Apparitio S. Michaelis Arch.** *dupl. mai.* — Vesp. de seq. Dom. (Ant. et Pss. de Sabb. Cap. et rel. de Dom. ut in Psalt. et pr.) com. praec. ac S. Gregorii Nazianzeni E. C. D.

✠ 9. **Dom. V. p. Pascha** *Alb.* **De ea** *semid.* — Vesp. de Dom. (ut in Psalt. et pr.) com. seq. S. Gregorii ac Ss. Gordiani et Epimachi Mm.

10. Fer. II. **Rogationum — Litaniae Minores** *Alb.* **S. Antonini E. C.** *dupl.* — Lect. 1. Noct. *Fidelis sermo* cum suis ℟℟. — In Vesp. nulla com.

11. Fer. III. **Rogationum — Litaniae Minores** *Alb. in Off. Viol. in Miss.* **De ea** — Vesp. de seq. com. de Cruce.

12. Fer. IV. **Rogationum** (de qua nihil in Off.) et **Vigilia Ascensionis — Litaniae Minores** — *Rub.* **Ss. Nerei et Soc. Mm.** *semid.* — Lect. 1. Noct. *Fratres, debitores* cum suis ℟℟. — Vesp. de seq. sine com.

✠ 13. Fer. V. *Alb.* **ASCENSIO D. N. I. C.** *dupl. 1. cl. cum Oct. privil. 3. ord.* — In Vesp. nulla com.

14. Fer. VI. **Infra Oct.** *Alb. semid.* — Vesp. de seq. com. Oct.

15. Sabb. *Alb.* **S. Ioannis Baptistae de la Salle C.** *dupl.* — Vesp. de seq. Dom. (Ant. et Pss. de Oct. Cap. et rel. de Dom. pr. loc. ℣. *Dominus in coelo* Ant. ad *Magnif. Cum venerit* or. pr.) com. praec., S. Ubaldi E. C. et Oct. (Ant. *O Rex* ℣. *Ascendit Deus.*

✠ 16. **Dom. infra Oct.** *Alb.* **De ea** *semid.* — Ad Laud. com. S. Ubaldi et Oct. (Ant. *Ascendo* ℣. *Dominus in coelo*) — Vesp. de Dom. com. seq. S. Ubaldi et Oct. (Ant. *O Rex* ℣. *Ascendit*).

17. Fer. II. *Alb.* **S. Paschalis Baylon C.** *dupl.* — Lectt. 1. Noct. de Scr. occ. cum ℟℟. de Oct. — Vesp. a cap. de seq. com. praec. et Oct.

18. Fer. III. *Rub.* **S. Venantii M.** *dupl.* — Lectt. 1. Noct. de Scr. occ. cum ℟℟. de Oct. — Vesp. a cap. de seq. com. praec. Oct. ac S. Pudentianae V.

19. Fer. IV. *Alb.* **S. Petri Coelestini P. C.** *dupl.* — Lect. 1. Noct. de Scr. occ. cum ℟℟. de Oct. — Vesp. de seq. (ut in 1. Vesp. Festi) cum praec. et S. Bernardini Senen. C.

20. Fer. V. *Alb.* **Octava Ascensionis** *dupl. mai.* — In Vesp. com. S. Bernardini.

21. Fer. VI. *Alb.* **De ea** *semid.* — Vesp. de eadem fer. (ut in II. Vesp. Ascens. exceptis Cap. Ant. ad *Magnif.* et or. quae sunt de Dom. infra Oct.) sine ulla com.

22. Sabb. **VIGILIA PENTECOSTES** *1. cl. Alb. in Off. Viol. ad Prophet. Rub. in Miss.* — **De ea** *semid.* — Vesp. de seq. sine com.

✠ 23. **DOM. PENTECOSTES** *Rub. dupl. 1. cl. cum Oct. privil. 1. ord.* — Vesp. sine com.

† 24. **FER. II. PENTECOSTES** *Rub. dupl. I. cl.* — Vesp. ut in Festo et pr. loc.

De S. Gregorio VII. P. C. et de S. Urbano I. P. M. hoc anno nihil.

† 25. **FER. III. PENTECOSTES** *Rub. dupl. I. cl.* — Vesp. ut in Festo et pr. loc. com. S. Philippi Nerii C.

26. Fer. IV. **Quatuor Temporum infra Oct.** *Rub. semid.* — Vesp. ut in festo et pr. loc. com. S. Bedae Venerabilis C. D. S. Philippi ac S. Ioannis I. P. M.

27. Fer. V. **Infra Oct.** *Rub. Semid.* — Vesp. ut in festo et pr. loc. com. S. Augustini E. C. et S. Bedae.

28. Fer. VI. **Quatuor Temporum infra Oct.** *Rub. semid.* — Vesp. ut in festo et pr. loc. com. S. Augustini ac S. Mariae Magdalenae de Pazzis V.

29. Sabb. **Quatuor Temporum infra Oct.** *Rub. semid.* — Vesp. de seq. com. Dom.

De S. Felice I. P. M. hoc anno nihil.

✠ 30. **Dom. I. p. Pent.** *Alb.* **SS. TRINITATIS** *dupl. I. cl.* — In Vesp. com. seq. et Dom.

31. Fer. II. *Alb.* **S. Angelae Mericiae V.** *dupl.* — In Vesp. nulla com.

IUNIUS

1. Fer. III. *Vir.* **De ea** — Vesp. de fer. a Cap. de seq. et Suffr.
2. Fer. IV. *Rub.* **Ss. Marcellini Petri atque Erasmi Mm.** *simpl.* — Vesp. de seq. sine com.

✠ 3. Fer. V. *Alb.* **SS. CORPORIS D. N. I. C.** *dupl. I. cl. cum Oct. privil. 2. ord.* — In Vesp. com. S. Francisci Caracciolo C.

4. Fer. VI. **Infra Oct.** *Alb. semid.* — Vesp. de Oct. com. S. Bonifatii E. M. ac S. Francisci Caracciolo.

5. Sabb. **Infra Oct.** *Alb. semid.* — Vesp. de seq. Dom. (Ant. et Pss. ut in 1. Vesp. festi, Cap. et rel. de Dom.) com. Oct. (Ant. *O Sacrum* ℣. *Panem de Coelo*) S. Norberti E. C. et S. Bonifatii.

✠ 6. **Dom. II. p. Pent. et Infra Oct.** *Alb.* **De ea** *semid.* — Ad

Laud. com. Oct. (Ant. *Ego sum* ℣. *Posuit*) ac S. Norberti — Vesp. de Dom. com. Oct. (ut in 1. Vesp. festi) ac S. Norberti.

7. Fer. II. **Infra Oct.** *Alb. semid.* — Vesp. de Oct. sine com.
8. Fer. III. **Infra Oct.** *Alb. semid.* — Vesp. de Oct. com. Ss. Primi et Feliciani Mm.
9. Fer. IV. **Infra Oct.** *Alb. semid.* — Vesp. de Oct. (ut in 1. Vesp. festi) com. S. Margaritae Reg. Vid.
10. Fer. V. *Alb.* **Octava Ss. Corporis Christi** *dupl. mai.* — Vesp. de Oct. sine com.
11. Fer. VI. *Alb.* **SS. CORDIS IESU** *dupl. I. cl.* — Com. S. Barnabae Ap. in Laud et in Miss. privat. tantum — In Vesp. com. seq.
12. Sabb. *Alb.* **S. Ioannis a S. Facundo C.** *dupl.* — Vesp. de seq. Dom. (Ant. et Pss. de Sabb. Cap. et rel. de Dom. ut in Psalt. et pr.) com. praec. ac S. Antonii de Padua C.

✠ 13. **Dom. III. p. Pent.** *Vir.* **De ea** *semid.* — Vesp. de Dom. (ut in Psalt. et pr.) com. seq. ac S. Antonii.

14. Fer. II. *Alb.* **S. Basilii E. C. D.** *dupl.* — In Vesp. com. seq.
15. Fer. III. *Rub.* **Ss. Viti, Modesti atque Crescentiae Mm.** *simpl.* — Vesp. de fer. (ut in Psalt.) et Suffr.
16. Fer. IV. *Vir.* **De ea** — Vesp. de fer. (ut in Psalt.) et Suffr.
17. Fer. V. *Vir.* **De ea** — Vesp. de fer. (ut in Psalt.) a Cap. de seq. et Suffr.
18. Fer. VI. *Rub.* **Ss. Marci et Marcelliani Mm.** *simpl.* — Vesp. de seq. com. Ss. Gervasii et Protasii Mm.
19. Sabb. *Alb.* **S. Iulianae de Falconeriis V.** *dupl.* — Vesp. de seq. Dom. (Ant. et Pss. de Sabb. Cap. et rel. de Dom. ut in Psalt. et pr.) com. praec. ac S. Silverii P. M.

✠ 20. **Dom. IV. p. Pent.** *Vir.* **De ea** *semid.* — Vesp. de Dom. (ut in Psalt. et pr.) com. seq.

21. Fer. III. **S. Aloisii Gonzagae C.** *dupl.* — Vesp. a Cap. de seq.
22. Fer. III. *Alb.* **S. Paulini E. C.** *dupl.* — In Vesp. nulla com.
23. Fer. IV. **Vigilia S. Ioannis Bapt.** *Viol.* **De ea** — Vesp. de seq. sine com.
24. Fer. V. *Alb.* **NATIVITAS S. IOANNIS BAPTISTAE** *dupl. 1. cl. cum Oct. comm.* — In Vesp. com. seq.
25. Fer. VI. *Alb.* **S. Gulielmi Abb.** *dupl.* — Vesp. a Cap. de seq. com. praec. et Oct.

26. Sabb. *Rub.* **Ss. Ioannis et Pauli Mm.** *dupl.* — Vesp. de seq. Dom. (Ant. et Pss. de Sabb. Cap. et rel. de Dom. ut in Psalt. et pr. com. praec.) et Oct.

✠ 27. **Dom. V. p. Pent.** *Vir.* **De ea** *semid.* — Vesp. de Dom. (ut in Psalt. et pr.) com. seq. et Oct.

28. Fer. II. **Vigilia Ss. Petri et Pauli Ap.** *Alb.* **S. Leonis II P. C.** *semid.* — Vesp. de seq. sine com.

✠ 29. Fer. II. *Rub.* **SS. PETRI et PAULI APP.** *dupl. 1. cl. cum Oct. comm.* — In Vesp. nulla com.

30. Fer. IV. *Rub.* **Commemoratio S. Pauli Ap.** *dupl. mai.* — Vesp. de seq. com. praec. S. Petri Ap. et Oct. S. Ioannis (ut in 1. Vesp. festi).

IULIUS

1. Fer. V. *Rub.* **Pretiosissimi Sanguinis D. N. J. C.** *dupl. 2. cl.* — Vesp. de seq. com. praec. et Oct. S. Ioannis.

2. Fer. VI. *Alb.* **VISITATIO B. M. V.** *dupl. 2. cl.* — In Vesp. nulla com.

3. Sab. *Rub.* **De V. die infra Oct. Ss. Petri et Pauli App.** *semid.* — Vesp. de seq. Dom. (Ant. et Pss. de Sabb. Cap. et rel. de Dom. ut in Psalt. et pr.) com. Oct.

✠ 4. **DOM. VI. p. Pent.** *Vir.* **De ea** *semid.* — Vesp. de Dom. (ut in Psalt. et Pr.) com. seq. et Oct.

5. Fer. II. *Alb.* **S. Antonii Mariae Zaccaria C.** *dupl.* — Vesp. de seq. (Ant. et Pss. de fer. rel. de Comm. et pr. loc. com. praec.

6. Fer. III. *Rub.* **Octava Ss. Petri et Pauli App.** *dupl. mai.* — In Vesp. (Ant. et Pss. de fer. rel. de Comm. et pr. loc.) com. seq.

7. Fer. IV. *Alb.* **Ss. Cyrilli et Methodii Epp. Cc.** *dupl.* — In Vesp. com. seq.

8. Fer. V. *Alb.* **S. Elisabeth Reg. Vid.** *semid.* — In Vesp. Suffr.

9. Fer. V. *Vir.* **De ea** – Vesp. de seq. et Suffr.

10. Sabb. *Rub.* **Ss. Septem Fratrum et Soc. Mm.** *semid.* — Vesp. de seq. Dom. (Ant. et Pss. de Sab. Cap. et rel. de Dom. ut in Psalt. et pr.) com. praec. S. Pii I P. M. et Suff.

✠ 11. **Dom. VII. p. Pent.** *Vir.* **De ea** *semid.* — Vesp. de Dom. (ut in Psalt. et Pr.) com. seq. ac Ss. Naboris et Felicis Mm.

12. Fer. II. *Alb.* **S. Ioannis Gualberti Abb.** *dupl.* — In Vesp. com. seq.
13. Fer. III. *Rub.* **S. Anacleti P. M.** *semid.* — Vesp. de seq. com. praec.
14. Fer. IV. *Alb.* **S. Bonaventurae E. C. D.** *dupl.* — In Vesp. com. seq.
15. Fer. V. *Alb.* **S. Henrici Imp. C.** *semid.* — Vesp. de seq. com. praec.
16. Fer. VI. *Alb.* **B. M. V. de Monte Carmelo** *dupl. mai.* — In Vesp. com. seq.
17. Fer. VII. *Alb.* **S. Alexii C.** *semid.* — Vesp. (*Vir.*) de seq. Dom. (Ant. et Pss. de Sabb. Cap. et rel. de Dom. ut in Psalt. et pr.) com. praec. S. Camilli de Lellis C. ac Ss. Symphorosae et Filiorum Mm.

✠ 18. **Dom. VIII. p. Pent.** *Vir.* **De ea** *semid.* — Vesp. de Dom. (ut in Psalt. et pr.) com. seq. ac S. Camilli.

19. Fer. II. *Alb.* **S. Vincentii a Paulo C.** *dupl.* — Vesp. a cap. de seq. com. praec. ac S. Margaritae V. M.
20. Fer. III. *Alb.* **S. Hieromyni Aemiliani C.** *dupl.* — In Vesp. com. seq.
21. Fer. IV. *Alb.* **S. Praxedis V.** *simpl.* — Vesp. de seq. sine com.
22. Fer. V. *Alb.* **S. Mariae Magdalenae Poenit.** *dupl.* — Vesp. a Cap. de seq. com. praec. ac S. Liborii Ep. C.
23. Fer. V. *Rub.* **S. Apollinaris Ep. M.** *dupl.* — In Vesp. com. S. Christinae V. M.
24. Sabb. **Vigilia S. Iacobi Ap.** *Viol.* **De ea** — Vesp. de seq.

✠ 25. **Dom. IX p. Pent.** *Rub.* **S. IACOBI AP.** *dupl. 2. cl.* — In Vesp. com. seq. et Dom.

† 26. Fer. II. *Alb.* **S. ANNAE MATRIS B. M. V.** *dupl. 2. cl.* — In Vesp. nulla com.

27. Fer. III. *Rub.* **S. Pantaleonis M.** *simpl.* — Vesp. de seq. et Suffr.
28. Fer. IV. *Rub.* **Ss. Nazarii et Celsi Mm. Victoris I. P. M. ac Innocentii I. P. C.** *semid.* — Vesp. a Cap. de seq. com. praec., Ss. Felicis et Soc. Mm. et Suffr.
29. Fer. V. *Alb.* **S. Marthae V.** *semid.* — In Vesp. com. seq. et Suffr.
30. Fer. VI. *Rub.* **Ss. Abdon et Sennen Mm.** *simpl.* — Vesp. de seq. sine com.

31. Sabb. *Alb.* **S. Ignatii C.** *dupl.* — Vesp. de seq. Dom. (Ant. et Pss. de Sabb. Cap. et rel. de Dom. ut in Psalt. et pr.) com. prec. S. Petri ad Vincula S. Pauli Ap. ac Ss. Machabeorum Mm.

AUGUSTUS

✠ 1. **Dom. X. p. Pent. I. Aug.** *Vir.* **De ea** *semid.* — Vesp. de Dom. (ut in Psalt. et pr.) com. seq. S. Petri ad Vincula S. Pauli ac S. Stephani I. P. M.

2. Fer. II. *Alb.* **S. Alphonsi Mariae de Ligorio E. C. D.** *dupl.* — In Vesp. com. seq.

3. Fer. III. *Rub.* **Inventio S. Stephani Protom.** *semid.* — Vesp. de seq. com. praec.

4. Fer. IV. *Alb.* **S. Dominici C.** *dupl. mai.* — Vesp. de seq. com. praec.

5. Fer. V. *Alb.* **Dedicatio S. Mariae ad Nives** *dupl. mai.* — Vesp. de seq. com. praec.

6. Fer. VI. *Alb.* **TRANSFIGURATIO D. N. I. C. Titul. Basil. Lateran. quae Omn. Ecclesiar. Urbis et Orbis est Mater et Caput** *dupl. 2. cl.* — In Vesp. com. seq. et S. Donati Ep. M.

7. Sabb. *Alb.* **S. Caietani C.** *dupl.* — Vesp. de seq. Dom. (Ant. Pss. de Sabb. Cap. et rel. de Dom. ut in Psalt. et pr.) com. praec. ac. Ss. Cyriaci, Largi et Smaragdi Mm.

✠ 8. **Dom. XI. p. Pent. II. Aug.** *Vir.* **De ea** *semid.* — Vesp. de Dom. (ut in Psalt. et pr.) com. Ss. Mm. S. Romani M. et Suffr.

9. Fer. II. **Vigilia S. Laurentii M.** *Viol.* **De ea** — Vesp. de seq. sine com.

† 10. Fer. III. *Rub.* **S. LAURENTII M.** *dupl. 2. cl. cum Oct. simpl.* — In Vesp. nulla com.

11. Fer. IV. *Rub.* **Ss. Tiburtii et Susannae Mm.** *simpl.* — Vesp. de seq. sine com.

12. Fer. V. *Alb.* **S. Clarae V.** *dupl.* — In Vesp. com. seq.

13. Fer. VI. *Rub.* **Ss. Hippolyti et Cassiani Mm.** *simpl.* — Vesp. de fer. (ut in Psalt.) com. Eusebii C. et Suffr.

14. Sabb. **Vigilia Assumptionis B. M. V.** *Viol.* **De ea** — Vesp. de seq. com. Dom.

✠ 15. **Dom. XII. p. Pent. III. Aug.** *Alb.* **ASSUMPTIO B. M. V.** *dupl. 1. cl. cum Oct. comm.* — In Vesp. com. seq. et Dom.

16. Fer. II. *Alb.* **S. Ioachim Patris B. M. V. C.** *dupl. 2. cl.* — In Vesp. com. seq.
17. Fer. III. *Rub.* **S. Hyacinthi C.** *dupl.* m. t. v. — Lectt. 1. Noct. *Incip. liber Sapientiae* (de Dom. praec.) cum suis ℟℟. com. Oct. Assumpt. et diei Oct. S. Laurentii in Laud. et Miss. — In Vesp. com. Oct. Assumpt. (ut in 1. Vesp. festi) ac S. Agapiti M.
18. Fer. IV. *Alb.* **De IV. die infra Oct. Assumpt.** *semid.* — Vesp. de Oct. (ant. et Pss. de fer. rel. ut in 2. Vesp. festi) sine com.
19. Fer. V. *Alb.* **De V. die infra Oct. Assumpt.** *semid.* — Vesp. de seq. com. Oct.
20. Fer. VI. *Alb.* **S. Bernardi Abb. C. D.** *dupl.* — Vesp. a Cap. de seq. com. praec. et Oct.
21. Sabb. *Alb.* **S. Ioannae Franciscae Fremiot de Chantal. Vid.** *dupl.* — Vesp. de seq. Dom. (Ant. et Pss. de Sabb. Cap. et rel. de Dom. ut in Psal. et pr.) com. praec. Oct. (ut in 1. Vesp. festi) com. praec. ac Ss. Timothei et Soc. M.

✠ 22. **Dom. XIII. p. Pent. IV. Aug.** *Vir.* **De ea** *semid.* — Vesp. de Dom. ut in Psalt. et pr. com. seq. et Oct.

23. Fer. II. **Vigilia S. Bartholomaei Ap.** *Alb.* **S. Philippi Benitii C.** *dupl.* — Vesp. de seq. com. praec.

† 24. Fer. III. *Rub.* **S. BARTHOLOMAEI AP.** *dupl. 2. cl.* — In Vesp. com. seq.

25. Fer. IV. *Alb.* **S. Ludovici Reg. C.** — In Vesp. com. seq. et Suffr.
26. Fer. V. *Rub.* **S. Zephirini P. M.** *simpl.* — Vesp. de seq. sine com.
27. Fer. VI. *Alb.* **S. Iosephi Calasanctii C.** *dupl.* — Vesp. a Cap. de seq. com. praec. et S. Hermetis M.
28. Sabb. *Alb.* **S. Augustini Ep. C. D.** *dupl.* — Vesp. de seq. Dom. (Ant. et Pss. de Sabb. Cap. et rel. de Dom. ut in Psalt. et pr.) com. praec. Decollationis S. Ioannis Baptistae ac S. Sabinae M.

Dominica V. Augusti cum sua hebdomada hoc anno omittitur.

✠ 29. **Dom. XIV. p. Pent. I. Sept.** *Vir.* **De ea** *semid.* — Vesp. de Dom. (ut in Psalt. et pr.) com. seq. Decollat. S. Ioannis (pr. loc.) ac Ss. Felicis et Adaucti Mm.

30. Fer. V. *Alb.* **S. Rosae Limanae V.** *dupl.* — Vesp. a Cap. de seq. com. praec.
31. Fer. III. *Alb.* **S. Raymundi Nonnati C.** *dupl.* — In Vesp. com. seq. et Ss. Duodecim Fratrum Mm.

(Continuabitur)

Expositio Rubricarum.

COMMENTARIUM

in novissimas Rubricas iuxta Motu proprio SS. D. N. Pii Pp. X " Ab hinc duos annos „ et subsequens S. R. C. Decretum 28 Octobris 1913 emendatas.

(Continuatio. V. num. 2 curr. anni, pagg. 76-84).

(16) *Scilicet si Festum celebretur cum feriatione etiam in foro reducta vel sublata.* In huius rubricae reformatione, positum fuerat, quod, ad effectum applicandi criterium praelationis, quod ex *maiori solemnitate* exurgit, censeri debebant tamquam feriata etiam duplicia 1 et 2 classis ac festa Domini perpetuo dominicis diebus affixa; cum vero ex novissima dispositione, in Motu Proprio contenta, qua nullum festum, ne Domini quidem, in dominicis celebrari potest, reformari necessario debuit rubrica ista.

Procul dubio festa dominicis perpetuo affixa, de feriatione ipsius dominicae participabant, ideo enim in dominica assignabantur festa, ut feriatio adnexa, in honorem accederet festis ipsis.

Sed non tantum feriatio adhuc existens character est solemnitatis, ut patet; sed etiam feriatio *in foro reducta,* vel *sublata.* Dicitur feriatio *reducta,* quando alicubi quaedam festa, olim de praecepto servanda, iustis ex causis, sancta mater Ecclesia concedit ut in eis opera servilia exerceri possint, relinquens tantummodo onus audiendi sacrum. Dicitur vero feriatio *sublata,* quando utrumque praeceptum, et abstinendi ab operibus servilibus, et sacrum audiendi, omnino abrogatur.

Notandum tamen est, quod in suppressione festorum dierum, quam operata est Apostolica Sedes ultimis nostris aetatibus, ab Urbano viij usque ad Pium x, semper disposuit, ut in eis festivitatis externae signa liturgica, nempe so-

lemnioris apparatus, luminum, sonitus aeris campani, et coeremoniarum in choro, nimi esset immutandum. Scopus enim abrogationis festorum is fuit praecipue, ne « commercia et negotiorum tractationes ex interposita frequentium festorum mora aliquod pati; neque populus christianus plus aequo opera servilia saepius intermittere deberet »; ut legitur in decreto suppressionis festorum.

Igitur iis in festis, in quibus reducta vel ex quibus sublata fuit feriatio, adhuc manet excellentia quaedam solemnitatis, ius illis tribuens, ut ceteris festis, quae numquam feriata fuerunt, praeferri adhuc debeant, quasi adhuc ipsa feriatione plenissime gauderent.

Fatendum est quod antiquitus feriatio non semper habita fuit tamquam nota praeferentiae; imo, ut notavimus in nostro Commentario in bullam « Divino afflatu » (nota 27), non unum extat S. R. C. decretum quo aperte declaratur quod feriatio ullam maiorem qualitatem adiungit festivitati. Attamen eadem Congregatio in decreto generali n. 3881, quo disponitur ut Dedicatio ecclesiae tamquam festum Domini consideretur, declaravit etiam, ut, hoc non obstante, cedat locum festo sancti Patroni, quia cum feriatione celebrabatur. Et bene; feriatio enim vocat populum ad ecclesiam ut Patronum suum colat et veneretur; inconveniens ergo esset quod populus ad ecclesiam accederet ad Patronum colendum, et in ea aliud festum celebraretur.

(17) .... *aut cum Octava.* Antiquitus octava alicui festo adnexa nullam praeferentiae vim impertiebatur super festa octavam non habentia; per novas autem has rubricas huiusmodi ius praelationis concessum est; octava enim, procul dubio addit solemnitatem festo, ita ut tantummodo festa nobiliora gaudeant octava; ideo, ceteris paribus, festum habens octavam, nobilius consideratur, etiam ex hoc, ne octava ipsa suis diebus perturbetur.

Addit autem opportunissime rubrica ista: *Ratio solemnitatis per octavam inductae, consideranda est tantum in die festo, atque in die octavo, non vero in diebus infra octavam;* scilicet,

in paritate ritus, festum habens octavam, praefertur aliis festis octavam non habentibus, et item dies octavus praefertur ceteris duplicibus maioribus. Quod si agatur de octavis simplicibus festorum 2 classis, huiusmodi octava praefertur ceteris festis ritus simplicis nec non officio b. Mariae in sabbato; dies vero infra octavam (exceptis octavis privilegiatis) cedunt in occurrentia, non tantum festis maioris ritus vel dignitatis, sed etiam quibuscumque festis ritus semiduplicis; nam, si etiam dies omnes infra octavas praeferri deberent, festa semiduplicia locum numquam habere amplius potuissent infra octavas, quod noluit legislator, et bene.

Quod autem attinet ad diem octavum, qui praeferentia gaudet super festa eiusdem ritus, vide quae disseruimus in nostris Commentariis in Bullam « Divino afflatu » (nota 55), et in *Tres tabellas* (nota 50).

Nunc, adhuc expectamus opusculum clarissimi liturgici viri P. Paschalis Brugnani Fr. M., regulas novi psalterii illustrans, in quo rationem promisit huiusmodi praeferentiae diei octavi, super festa eiusdem ritus. Procul dubio tamen, per verba huius rubricae, quae hic exponimus, privilegium praelationis, quo gaudent festa cum octava, tribuitur quoque relativo diei octavo.

(18) *Ratio Primarii et Secundarii.* Nota huiusmodi invecta est in rubricis in praedicta ultima emendatione, et adhuc attendenda est. Cum de qualitate primarii et secundarii satis superque disputatum sit, et cum in breviario, ante tabellas occurrentiae et concurrentiae distincte recenseantur, supervacaneum putamus in eis immorari.

(19) *Dignitas personalis.* Haec etiam nota praeferentiae addita fuit in emendatione rubricarum anni 1879, et non est, nisi ordo dignitatis festorum, qui legitur loco rubricarum citato (Tit. xj, n. 2). Hinc ratione dignitatis personae, quae obiectum speciale est officii recitandi, festa Domini, ceteris paribus, praeferuntur festis b. Mariae virg. et sic per ordinem festa eiusdem Deiparae praeferuntur festis Angelorum,

s. Ioannis baptistae, s. Ioseph, et Apostolorum ac Evangelistarum. Ceteri autem sancti, martyres, confessores, virgines et non virgines nulla diversitate, quoad dignitatem personalem, gaudent.

Nihilominus, uti tradunt nonnulli scriptores cum Aloisio a Carpo (*Biblioth.* p. 2, c. 10, n. 148, vij), quando plures sancti eadem die occurrunt, et eorum festa inscribenda sunt in kalendario perpetuo, tunc alia dignitas, ut vocant, *exigua*, prae oculis habenda est; tunc enim, ordo quo sancti inscribuntur in litaniis, teneri potest, nempe martyr prae confessore; confessor pontifex, prae non pontifice; virgo martyr, prae non martyre.

2. In occurrentia, et in ordine repositionis aut translationis, alius quoque character considerandus est, nempe:

e) *Proprietas Festorum.* Dicitur Festum alicuius loci proprium, si agatur, praeterquam de Dedicatione et Titulo Ecclesiae propriae de Patrono principali, loci, de Titulo et Sancto Fundatore Ordinis seu Congregationis, ut supra (20), etiam de loci Patrono secundario, de Sancto in Martyrologio vel in eius Appendice approbata descripto, cuius habetur corpus vel aliqua insignis reliquia, vel de Sancto, qui ad Ecclesiam, vel locum, vel personarum coetum specialem habeat rationem. Igitur Festum quodvis istiusmodi proprium, ceteris paribus, praefertur Festo universalis Ecclesiae. Excipiuntur tamen Dominicae, Feriae, Vigiliae et Octavae privilegiatae, quae, sicut etiam Festa primaria Duplicia I classis universalis Ecclesiae, de quibus supra, uniuscuiusque loci propria considerantur et sunt. Festum autem universalis Ecclesiae, cuiusvis ritus, quia est praeceptivum, ceteris paribus, praeferri debet Fe-

stis quae aliquibus locis ex mero Indulto Sanctae Sedis sunt concessa, quin tamen propria sensu quo supra, dici queant (21).

(20) In hac Rubrica aliquid mutari debuit, non quoad substantiam legis, sed quoad maiorem eius luciditatem; nam, cum in paragrapho 1 huius capitis, adiecta fuerit clausula: « cauto semper quod festa primaria 1 classis universalis ecclesiae praeferuntur etc. », necessario, hoc loco, revocari debuit haec ipsa clausula. Ceterum, tamquam propria festa haberi debent, hic dicitur: Dedicatio et Titulus propriae ecclesiae, ideoque et cathedralis (vide notam 62 Commentarii in Bullam « Divino afflatu »), Titulus et sanctus fundator ordinis seu religionis aut congregationis.

Cum autem festa Dedicationis et Tituli propriae ecclesiae, Patronus loci praecipuus, Titulus et sanctus ordinis fundator, constituant secundum ordinem duplicium 1 classis, ideoque cedere debeant duplicibus 1 classis universae ecclesiae primariis, quae primum ordinem efformant, praeferantur cuilibet festo 1 classis tertii ordinis, inter quae etiam festum Sacratissimi Cordis recensetur, pretium operis est, ut videamus quid sit agendum, quando duo festa huiusce secundi ordinis, simul occurrunt.

Ut res facilius intelligatur. sint exempla varia, quae saepe saepius aliquibus locis accidere possunt:

I. Dedicatio ecclesiae cathedralis occurrit eodem die cum Dedicatione propriae ecclesiae.

II. Dedicatio propriae ecclesiae, cum Titulo eiusdem, qui sit festum Domini.

III. Dedicatio propriae ecclesiae, cum Titulo eiusdem, qui sit vel b. Maria, vel sanctus quilibet.

IV. Dedicatio propriae ecclesiae cum Patrono praecipuo loci.

V. Patronus loci praecipuus cum Titulo propriae ecclesiae, sit iste aliquis sanctus, vel mysterium Domini.

VI. Patronus loci cum feriatione, sed sine octava, uti

apud Regulares, et Titulus vel Dedicatio ecclesiae sine feriatione, sed cum octava.

VII. Titulus propriae ecclesiae cum Dedicatione cathedralis.

VIII. Festum cum feriatione actuali, et aliud festum cum feriatione sublata.

Praemisso, tamquam principio, quod huiusmodi festa sunt eiusdem ritus, classis et ordinis, nempe pertinent omnia ad ij ordinem duplicium I classis, in eorum simultanea occurrentia applicari debent criteria, quae hoc loco rubricarum traduntur. Igitur:

Ad I. Eodem die occurrunt Dedicatio ecclesiae cathedralis et Dedicatio ecclesiae propriae; omnia in casu sunt revera aequalia, quoad ritum, classem et ordinem; itemque quoad rationem solemnitatis, et qualitatem primarii, et etiam quoad personalem dignitatem.

Utri ergo danda praecedentia? Cum omnia sint paria, praeferri debet Dedicatio propriae ecclesiae, et Dedicatio cathedralis in crastino celebranda iuxta rubricas. Ratio est, quia inter duo officia propria, ceteris paribus, *magis proprium* praeferendum est, ad normam antiquae Rubricae (tit. xj, n. 2), et etiam novissimae, quae inter characteres praelationis, retinuit quoque *proprietatem;* ideoque inter duo officia *Propria,* quod magis est proprium, praeferri debet.

Ad II. Eodem die occurrunt, Dedicatio propriae ecclesiae cum Titulo eiusdem, qui est aliquod mysterium Domini, ita ut utrumque festum eadem dignitate personali gaudeat. Cum omnia sint paria, festum Titularis, nostro iudicio, esset praeferendum, sequentem ob rationem. Testantibus viris liturgicam rem apprime callentibus (Martène, Magani, Baumer, Duchesne, Cabrol) festum Dedicationis antiquitus cum festo Titularis confundebatur. Adhuc hodie, in basilica Liberiana Urbis, et in cathedrali s. Angeli in monte Gargano (1), De-

(1) Dum haec scribebamus, epistolam accepimus secretarii Archiepiscopi Lucensis, in qua requirebat, an sustineri possit consuetudo celebrandi dedicationem ecclesiae parochialis s. Michaelis

dicatio ecclesiae celebratur cum officio Titularis; ergo aliqua ratio praelationis in huiusmodi antiqua consuetudine est adinvenienda.

Ad III. Eodem die occurrunt sive perpetuo, sive accidentaliter, Dedicatio propriae ecclesiae cum Titulo eiusdem, qui sit vel b. Maria, vel Angelus, aut aliquis sanctus. Procul dubio in casu non omnia sunt aequalia, nam Dedicatio est festum Domini, ideoque nobilius ratione *dignitatis*.

Nisi ergo festum Titularis praeferendum sit, quia cum feriatione, etiam sublata, celebratum (ex. gr. Nativitas b. Mariae, s. Stephanus, s. Laurentius, vel aliquis Apostolus), Dedicatio praeferri debet festo Titularis, nisi ex antiqua consuetudine, ut supra diximus, Dedicatio ecclesiae celebretur cum officio Titularis.

Ad IV. Eodem die occurrunt sive perpetuo, sive accidentaliter Dedicatio propriae ecclesiae. vel cathedralis, cum Patrono loci. Res dubia non est; Patronus loci praecipuus habuit feriationem, ergo, sive antiquae interrogentur rubricae, sive novissimae, ex hoc capite maioris solemnitatis, quam secum habet festum celebratum *cum feriatione etiam reducta vel sublata,* praeferri debet. Hoc autem dicendum est quoque in casu, quo Dedicatio adsignata olim fuisset in die dominica celebranda; quia huiusmodi assignatio res est recenter inventa, ideoque, quando inducta fuit, festum Patroni iam iure celebrabatur cum feriatione in sua propria die, quod mutari certe legislator non intendit.

Ad V. Eodem die occurrunt, sive perpetuo, sive accidentaliter, Patronus loci praecipuus, et Titulus propriae ecclesiae vel cathedralis. Etiam in hoc casu, dandum est idem responsum, ratione feriationis qua iure potitur festum Patroni, ut

---

arch. loci Ischeti illius dioecesis, die 29 septembris, cum officio eiusdem archangeli, quod a saeculis praestatur; nam illa ecclesia consecrata fuit ipsa die 29 septembris a Benedicto I episcopo Lucensi, anno 1123. Mos ergo confundendi festum Titularis cum dedicatione, si eadem die occurrant, usitatior est quam nonnulli putant.

supra; licet festum Titularis esset festum Domini, puta Transfiguratio, ut patet ex dictis.

Ad VI. Festum feriatum, procul dubio praeferri debet festo non feriato, licet hoc celebretur cum sequenti octava. Ratio est, quia feriatio respicit forum et chorum; dum octava, in praesenti disciplina, non tangit nisi chorum; ideoque sicuti populus ad ecclesiam accedit ad audiendam missam in honorem sui coelestis Patroni, missa eiusdem, et ideo etiam officium, est certo celebranda.

Ad VII. Festum Titularis propriae ecclesiae est festum *proprium* reduplicative, istam ob causam praeferri deberet Dedicationi cathedralis, quia festum minus proprium. Cum autem criterium *proprietatis* posterius sit criterio *dignitatis*, dicendum esset, in casu agendum de Dedicatione cathedralis, et in crastino de sancto Titulari. Recurrendum tamen ad S. R. Congregationem, credimus, ut de Titulari fieri concedat.

Ad VIII. Ob eamdem rationem, festum, quod celebratur adhuc cum feriatione, praeferri debet omnino festo cui feriatio sublata fuerit. Hoc autem semper sub conditione, quod utrumque festum sit eiusdem ritus.

Notandum est tamen, quod simultanea occurrentia duorum festorum, quae sint *propria*, dari frequenter non potest, hodie vel maxime, quia rara sunt festa propria ad instar mobilium, saepius vero occurrere possunt simultanee duae octavae propriae, ideoque diversi casus sunt hic discutiendi, nimirum:

I. Simul occurrunt dies infra octavam Transfigurationis, quae sit Titulus cathedralis, et dies infra octavam s. Caietani Titularis ecclesiae propriae.

II. Item octava Transfigurationis quae sit Titulus cathedralis, cum octava s. Laurentii Titularis propriae ecclesiae.

III. Item octava s. Rosae Limanae Patronae Americae, cum octava s. Ludovici regis Titularis ecclesiae propriae.

IV. Item octava s. Rosae Patronae ut supra, et octava s. Ludovici regis Patroni dioecesis.

V. Item octava s. Alphonsi de Ligorio Ep. C. D. Titu-

laris cathedralis, et octava s. Caietani, Titularis ecclesiae propriae.

Eodem principio admisso ut supra, et pariter admissa lege, ex qua dies infra octavas diversas, naturam festi retinent, cum iuribus suis praeferentiae, casus propositos explanamus.

Ad I. Simul occurrunt dies infra octavam Transfigurationis Domini Titularis cathedralis, et s. Caietani Titularis ecclesiae propriae. Cum in omnibus haec festa sint paria, non vero in dignitate personali, huiusmodi dignitas, ut patet, sicut praefertur in occurrentia festorum, ita et in occurrentia dierum infra relativas octavas.

Ad II. Simul occurrunt dies infra octavam Transfigurationis Titularis ut supra ecclesiae cathedralis, et infra octavam s. Laurentii Titularis propriae ecclesiae. Licet Transfiguratio Domini sit festum dignius, attamen non est feriatum, sicut erat festum s. Laurentii; cum vero feriatio, etiam sublata, in ordine praelationis festorum, sit excellentior character, quam dignitas personalis, in casu agendum est officium diei infra octavam s. Laurentii, cum commemoratione octavae Transfigurationis.

Ad III. Simul occurrunt dies infra octavam s. Rosae Limanae Patronae totius Americae, et infra octavam s. Ludovici regis Titularis ecclesiae propriae. Cum s. Rosa, uti Patrona, habuerit feriationem, praeferri debet, ut antéa dictum est.

Ad IV. Simul occurrunt dies infra octavam s. Rosae Patronae totius Americae, et infra octavam s. Ludovici regis, Patroni dioecesis. Utrumque festum cum feriatione recolebatur, ideoque omnia in casu sunt revera paria; quid ergo agendum? Redit ratio superius adducta circa *maiorem proprietatem*; s. Rosa Patrona est totius nationis, s. Ludovicus vero Patronus est propriae dioeceseos, clare patet quod arctiora sunt vincula dioecesis cum suo speciali Patrono, quam cum totius nationis Patrona; ergo illius octava praeferenda.

Ad V. Simul occurrunt dies infra octavam s. Alphonsi de Ligorio Titularis cathedralis et infra octavam s. Caietani Titularis ecclesiae propriae. In hac quoque occurrentia habentur duae octavae, ex quibus una magis est propria; ergo fiat de die infra octavam s. Caietani Titularis propriae ecclesiae, cum commemoratione alterius octavae.

21. ... *de Sancto in Martyrologio... vel de Sancto qui ad ecclesiam vel locum* etc., de huiusmodi festis propriis, ratione Corporis vel insignis Reliquiae, vel ratione specialis vinculi cum aliqua ecclesia vel pago, aut regione (vel etiam natione aliquando, uti ex. gr. s. Rosa Limana pro tota America latina) vide quae docuimus in nostro citato Commentario (not. 31, 32, 33 et 34).

Tit. III - De Octavis.

1. Octavae inter se praeferuntur eadem lege, qua Festa ipsa ad quae pertinent (22).

2. Octavae Festorum Duplicium I classis Domini, quae in universali, Ecclesia cum Octava recoluntur, sunt privilegiatae ita ut de eis semper fiat aut Officium, aut Commemoratio, ut fusius habetur in Rubricis. Attamen Octava Corporis Christi iisdem gaudet privilegiis ut Octava Epiphaniae, et Octava Ascensionis, in occurrentia tantum, iisdem quibus Octava Nativitatis (23).

3. Octavae aliorum Festorum Duplicium I classis sunt Octavae communes, et quandoque omittuntur, iuxta Rubricas. Alias, nisi a nobiliori Officio impediantur, per integram recoluntur Octavam sub ritu semiduplici in diebus infra Octavam, sub ritu autem Duplici maiori in die Octava.

4. Octavae vero Duplicium II classis sunt Octavae

simplices, et celebrantur tantum in ipsa die Octava, sub ritu quidem simplici nisi pariter a nobiliori Officio impediantur: nil autem fit de eis infra Octavam (24).

5. De Octavis quae non sunt in Breviario Romano nihil fit a die 17 Decembris ad Vigiliam Nativitatis Domini, a Feria IV Cinerum ad Dominicam in Albis, et a Vigilia Pentecostes ad Festum SS.mae Trinitatis, semper inclusive (25).

(22) Hoc loco inductus fuit Titulus iste *de Octavis*, in quo ponuntur aliquae leges novae, aliquae melius declaratae, additis nonnullis dispositionibus. Circa praeferentiam inter octavas, vide notam 56 *Comm. in Tabellas Occur. et Concur.*

(23) Paulisper mutata fuit rubrica ista, quae legebatur antea inter notanda post tabellas. Nunc ergo octavae festorum Domini, quae in universa ecclesia celebrantur, nempe Paschatis, Pentecostes, Epiphaniae, Corporis Christi, Nativitatis et Ascensionis, sunt plus minusve privilegiatae, sicut antea; aucto honore octavae Ascensionis, quae deinceps semper erit commemoranda etiam in duplicibus 1 classis.

(24) Circa octavas duplicium 1 classis nil mutatum fuit; notabilis tamen mutatio inducta fuit ad octavas duplicium 2 classis, quae abrogantur, et de eis agitur tantummodo in die octava, et quidem sub ritu simplici.

In antiquitate, nonnisi octava Paschatis nota erat in universali ecclesia; primae octavae quae postea inveniuntur saeculo V etiam apud orientales. sunt octavae Dedicationis ecclesiae et Epiphaniae, ut habemus in Peregrinatione Etheriae (Cf. edit. Duchesne *Origines* App. 5. III, 3. et VIII). Paulatim postea nonnullae aliae octavae inductae fuere; in sacramentario gelasiano non invenitur nisi octava Natalis Domini (*kal. Ian.*), et octava Apostolorum die 6 iulii (*in Octabas apostol.*) Magani (*Ant. Lit. Rom.* III, 5, xvj) docet quod reliquae octavae inductae fuerunt post Hadrianum ij (872) maxime in festis patronorum, in die tamen octavo tantummodo, non vero per intercalares dies.

Hac super re audiendus est Baümer (Hist. Brev. Rom. II pag. 31), qui loquens de ingenti numero octavarum, quas induxerant in breviario franciscales medio saeculo xiij, scribit: Auxerunt etiam supra modum numerum octavarum, et dies octavos elevarunt ad ritum duplicem, ita ut officiis de infra octavam, et diei octavae, gradum et dignitatem tribuerint, quas antea in romano ritu non habuerunt. Quod enim attinet ad officium, vox *Octava,* nil aliud exprimebat in ritu romano, saltem usque ad saeculum xij, nisi quod in octava die agebatur simplex commemoratio festi, et de diebus infra octavas, nil fiebat, nec ipsa commemoratio. Quod nunc adhuc habetur pro s. Agnete ij°, die 28 ianuarii; quae dies in antiquis codicibus romanis, inscribitur: *Octava s. Agnetis.*

Micrologus (c. XLIV *de octavis Sanctorum* Ed. Hittorp, col. 758 e), qui saeculo praecedenti floruerat, ait: *Iuxta romanam auctoritatem, nullorum sanctorum octavas observare debemus, nisi unde certam aliquam traditionem a sanctis patribus habemus. Eorum quoque, quorum octavam celebramus nullam cotidianam mentionem per intercalares dies agimus, quia nullam auctoritatem inde habemus.*

Ob quam antiquam observantiam, ut officium psalteriale, iuxta spiritum, qui ex bulla « Divino afflatu » emanat, difficilius impediri possit, Ss. D. N. Pius x, octavas duplicium 2 classis, tam universalis Ecclesiae, quam locorum particularium, omnino abrogavit, linquens nonnisi diem octavam, sub ritu simplici.

(25) In hanc quoque antiquam rubricam, non tenuis mutatio inducta fuit; antea enim octavae cessabant, a die 17 decembris, usque ad Epiphaniam; nunc vero cessabunt tantummodo usque ad vigiliam Nativitatis. Ideo, ubi s. Thomas ep. Cantuariensis vel s. Silvester sunt Titulares vel Patroni, octava eorum celebrabitur iuxta rubricas; nempe pro s. Thoma per simplicem commemorationem diebus 30 et 31 decembris, et 5 ianuarii; et per integrum officium diebus 2, 3 et 4 ianuarii, nisi occurrat festum Ss.mi Nominis Iesu; pro s. Silvestro autem, per officium diebus 2, 3 et 4 ia-

nuarii ut supra et per simplicem commemorationem diebus 5, et 7.

Gavantus (Sect. iij, c. 8, n. 9) de ista octavarum abrogatione, docet: « In postrema recognitione Breviarii (sub Urbano viij) actum est de excludendis octavis ab Adventu, sicuti a Quadragesima; sed illud saltem congruere visum est, eas excludi a die 17 decembris usque ad Epiphaniam; et ante Nativitatem quidem ea ratione, quam numero sequenti dicemus »; nempe quia ponuntur antiphonae feriales propriae, privilegiatae, quas recitabant antiqui in festis occurrentibus, additis ideo laudibus ferialibus; « post Nativitatem vero, quia dies omnes et singuli proprium officium habent, nullo modo omittendum ». Huiusmodi ergo ratio Gavanti, nunc amplius non valet, cum diebus 2, 3, et 4 ianuarii agatur de octava Ss. Stephani, Ioannis Ev. et Innocentium sub ritu simplici; ergo bene poterunt celebrari octavae festorum particularium, iis diebus, eo vel magis, quia lex de intermittendis octavis superveniente die 17 decembris, teste Gavanto, nonnisi sub Urbano viij inducta fuerit.

Hic autem quaeri potest, utrum festa Titularis vel Dedicationis ecclesiae, aut Patroni principalis, quae obveniunt diebus 19, 20, 21, 22 et 23 decembris, ius habeant ad octavam, saltem diebus post solemitatem Nativitatis Domini.

Nonnulli fuerunt qui docebant, octavas, superveniente die 17 decembris, vel feria iv Cinerum, vel sabbato Pentecostes, non esse suspensas, sicut suspenduntur quando infra octavas occurrunt duplicia 1 vel 2 classis, sed revera tunc temporis omnino cessare, seu melius non existere, ita ut dicta festa octavam prorsus non habeant. Itaque ex hoc principio satis probato, arguebant quod ex. gr. s. Thomas apostolus, ubi est Titulus vel Patronus, sicut non potuit habere initium octavae, ita habere nequit eius complementum, nempe diem octavum, qui occurreret die 28; quod enim non coepit esse, neque potest finiri. Aliis verbis, huiusmodi festa celebrantur sine octava, ergo etiamsi tempus superveniat, in quo octavae permittuntur, ius non habent ut reviviscat octava eorum, quia, uti arbitrabantur, sunt festa absque octava.

Alii e contra aiebant, octavas a die 17 decembris, usque ad 25 esse tantummodo suspensas, sicuti suspenduntur quando occurrit aliquod festum classicum; ideoque, festa quae dicto tempore decurrunt, incipiunt quidem sine octava, sed, si post solemnitatem Nativitatis supersunt dies aliqui de infra octavam, vel saltem dies octavus, remoto obice temporis clausi, reviviscit ius habendi honorem octavae.

Huiusmodi sentiendi modus acceptus fuit a S. R. C., et per suum decretum d. d. 12 februarii huius anni 1914, declaravit: *quod reviviscunt octavae, de iure vel ex privilegio concessae festis a die 19 ad diem 23 decembris occurrentibus, quum ipsae deinceps a festo Nativitatis Domini non amplius impediantur.*

Itaque, non tantum festa Dedicationis vel Titularis ecclesiae, aut Patroni principalis, quibus rubricae ius tribuunt octavae, sed etiam alia festa localia quibus honor octavae fuerit concessus, si occurrant diebus 19, 20, 21, 22, et 23 decembris, respectivum residuum octavae propriae obtinent diebus post festum Nativitatis Domini. Hinc, si Titulus occurrit die 19 decembris, non potest habere nisi diem octavum et quidem commemorationem tantummodo, quia occurrit in festo s. Stephani: idem dicatur de festis ius (vel privilegium) octavae habentibus, quae occurrunt diebus 20 et 21, quia pariter habere nequeunt nisi commemorationem diei octavi, ut patet.

Si autem festum ius, vel privilegium, habens octavae occurrat die 22, nil habere potest infra octavam, sed tantummodo officium integrum diei octavi, in festo s. Thomae cantuariensis, cuius agitur commemoratio. Ubi vero s. Victoria, cuius dies natalis occurrit die 23 decembris, est Patrona vel Titularis, eius festivitas cum octava celebratur hoc modo. Diebus 24, 25, 26, 27 et 28, nil fit de octava, die vero 29 de ea agitur commemoratio, post octavam Nativitatis, et die 30 agitur officium diei octavi, sub suo ritu duplici maiore, cum commemoratione octavae Nativitatis. Officium vero dominicae infra octavam Nativitatis, assignatur praecedenti die 29, nisi quando dominica ipsa occurrat die 30 vel 31, uti tradunt novissimae rubricae speciales breviarii typici.

(Continuabitur) Dr. PETRUS PIACENZA.

Varia de re liturgica.

De iis quae permittuntur et prohibentur in cultu Servorum Dei, nondum beatificatorum vel canonizatorum.

(Continuatio. Vide num. 2 curr. anni, pagg. 108-113).

§ IV. *Titulus Venerabilis a Servis Dei abiudicatur, et permittitur tantum, post editum Decretum super heroicitate virtutum vel super martyrio.*

« *Ss.mus D. N..... adhibito consilio graviorum virorum et exquisito peculiari voto nonnullorum S. R. E. Cardinalium, vetuit Servos Dei, quorum Causae posthac introducentur,* VENERABILES *appellari, item solemnia peragi occasione decreti editi super causae introductione... Permisit vero ut Servi Dei tantummodo post editum decretum super heroicitate virtutum vel super martyrio* VENERABILIS *titulo ornentur, ita tamen ut ex hac permissione nullum argumentum indultae venerationis item argui vel praetendi possit* ».

Titulus *Venerabilis,* longo tractu temporis, fuit simpliciter titulus honoris et reverentiae vivis et etiam defunctis exhibitus, praesertim his, qui dum viverent, charactere Episcopali aut Sacerdotali fuerant insigniti, etiamsi nunquam causae Beatificationis aut Canonizationis ipsorum fuerint introductae (1). Hoc enim cognomine, scribit Benedictus XIV, « aliquando Summi Pontifices, aliquando Episcopi, aliquando Principes Catholici, aliquando etiam Martyres vindicati, fuerunt appellati » (2). Ad nostra usque tempora cum Summus

(1) Benedictus XIV L. I, cap. XXXVII, n. 4.
(2) Ibid. n. 6.

Pontifex Episcopos publice alloquitur, eos vocat « Venerabiles Fratres » (1).

Sed hoc cognomen singulari modo in Ecclesia adeptus est S. Beda Presbyter et Doctor, ea potissimum de ratione, « quod ipsius homiliae in Ecclesia recitarentur cum adhuc viveret, aut certe necdum esset cathalogo Sanctorum inscriptus (2) ».

Cum post medium saeculum XVIII, praesertim per Decreta s. m. Innocentii XI aperta fuerit via consuetudini adhuc vigenti in Servorum Dei Causis pertractandis, S. Rituum Congregatio ex tunc in Decreto, quo signatura Commissionis Introductionis nunciatur, adhibere *consuevit* titulum *Venerabilis*, quasi ad distinctionem indicandam inter Servos Dei, quorum Causae erant introductae, ab iis quae nondum tali favore erant potitae (3).

Talis consuetudo tamen, nullo interveniente Decreto incoepit, et praefati tituli usus in hoc simpliciter consistit, quod cognomini *Servi Dei*, praemitteretur adiectivum *Venerabilis;* et hoc idem fiebat, nulla interveniente declaratione, aut Decreto, aut alio aliquo Pontificis aut S. Congregationis actu, qui illum titulum aliquo modo respiceret. Ex hoc etiam colligitur, quam erronee, uti superius dicebamus, aliqui dixerint (4), per Decretum Introductionis, seu per signaturam Commissionis, Servum Dei *Venerabilem declarari,* et per titulum *Venerabilis,* universi catholici orbis veneratione dignum

---

(1) Cf. *Acta Apost. Sedis* passim - Hoc eodem titulo utitur Pontifex, cum ad Episcopos scribit.

(2) *Acta Sanctorum*, Mense Maio T. VI, pag. 710.

(3) Ex ratione loquendi antiquiorum Auctorum, qui hoc titulo usi sunt, colligitur, illum adhibuisse eo sensu quo nunc quoque adhibetur, cum personas viventes veneratione dignas alloquendum est. Blasius a Purificatione, v. gr., titulum *Venerabilis* non adhibet nisi coniunctim cum verbo *viri,* et Servos Dei vocat semper *Venerabiles viros. De Adoratione*, Romae 1678 pag. 373.

(4) Data opera hic et alibi a nominatim indicando quis haec dixerit, abstinemus, quia agitur de Scriptore notó et aliunde optime merito.

significari (1). Quod adhuc magis elucet, si paululum consideretur quid sit, et quid importet *Commissio Introductionis*, quam Pontifex manu propria signat.

Benedictus XIV, in quo proprie consistat signatura Commissionis, ita indicat: « Signatura autem Commissionis, nihil aliud est, quam supplicatio a Postulatoribus Summo Pontifici exhibita, et ab eodem admissa atque subscripta, per quam impertitur facultatem Congregationi sacrorum rituum procedendi in causa Beatificationis et Canonizationis alicuius Servi Dei (2) ». Laudatus Pontifex explicitius declarat, quid importet Commissio introductionis, scribens: « Commissio Introductionis causae, post Decreta Urbani VIII, procedentis per viam non cultus, importat facultatem examinandi sententiam a Iudice ordinario latam super non cultu: quatenus vero ab Ordinario non fuerit confectus processus super non cultu, nec ab eo idcirco lata fuerit sententia super eodem articulo, facultatem importat constituendi Iudicem delegatum, qui auctoritate apostolica processum faciat de non cultu, et sententiam ferat, de cuius *subsistentia* quaestio postea in sacra Congregatione instituatur. Importat praeterea facultatem procedendi primum ad inquisitionem in genere, deinde ad inquisitionem in specie, hoc est super virtutibus, aut Martyrio in specie et miraculis ante Beatificationem patratis » (3).

Hoc idem dicendum est de Commissione Reassumptionis Causae per Urbani VIII Decreta interruptae, quae Commissio

(1) Errori occasionem forsan praebuit Ianuarius Trama qui in suo vulgatissimo *Manuali Theorico-Practico pro conficiendis processibus*, Signaturae Commissionis Introductionis Causae vim explicans, dicit quidem quod talis Signatura nullum cultus initium importat, sed subiungit quod « Servi Dei, eo ipso Venerabiles appellantur, et *Ecclesiae universae uti Venerabiles proponuntur* ». Part I, *De Processibus in genere*, cap. XV, n. 6. Particula, quae dicit *Servos Dei Ecclesiae universae uti Venerabiles* per Signaturam Commissionis Introductionis Causae *proponi*, videtur minus accurata et conceptui ae vi a Benedicto XIV eidem Signaturae attributae non satis conformis.

(2) Benedictus XIV. L. II, cap. 35, n. 1.

(3) Id. Ib. cap. 36, n. 1. - Cf. etiam cap. 37, n. 1.

nihil aliud est, quam facultas per Summum Pontificem signata, qua conceditur et committitur S. R. Congregationi, ut Causa resumatur *in statu et terminis*, in quibus ante Urbani VIII Decreta reperiebatur, et ea usque ad Canonizationem continuetur. Haec quoque Commissio facultatem importat, ut processus adhuc conficiendi, apostolica auctoritate peragantur, quorum tamen excussio postea in S. Rituum Congregatione fiet (1).

Quocumque versu hae Commissiones Introductionis aut Reassumptionis, et S. Rituum Congregationis procedendi rationes spectentur, nihil, et prorsus nihil, declaratur, decernitur aut quomodocumque indicatur, quod *venerationem* aut *venerabilitatem* significet.

Cum illius vocabuli usus occasionem dederit erroneae doctrinae, iure Pontifex vetuit eo cognomine Servos Dei, quorum Causae posthac introducerentur, appellari.

Ex verbis, quibus mandatum exprimitur, arguitur quod Causae tantum introducendae prohibitione afficiuntur. Prohibitionem servari mandatur praesertim scriptoribus et sacris Oratoribus, quibus non licet eo cognomine Servos Dei appellare, de quibus aut gesta conscribunt, aut vitam enarrant.

Data proportione, haec prohibitio comparari potest prohibitioni de Servis Dei nec *Beatis* nec *Sanctis* vocandis: utriusque enim eadem est ratio; ne scilicet is dignus cultu publico indicetur, de quo iudicium apud S. R. Congregationem pendet. Huc itaque eae normae revocandae sunt, quas superius tradidimus, cum de praedicta prohibitione locuti sumus.

« Permisit vero (Summus Pontifex) ut Servi Dei tantummodo post editum decretum super heroicitate virtutum vel super martyrio, *Venerabilis* titulo ornentur, ita tamen ut ex hac permissione nullum argumentum indultae venerationis item argui vel praetendi possit ».

Causarum progressus in quatuor veluti gradus superius distinximus. Pontificis permissio Causas respicit, quae se-

(1) Benedictus XIV, L. II, cap. 38, n. 5.

cundum gradum feliciter superaverunt. Servi Dei igitur, quorum Causae secundum gradum sunt feliciter praetergressae, *Venerabilis* titulo ornari permittuntur; sed cavendum, ne hic denuo damnatus error irrepat, eorum nempe, qui dixerunt Servum Dei *Venerabilem* declarari, ut per eum titulum significetur, illum esse veneratione dignum. Quamvis enim per Decretum nuncietur *Constare de virtutibus* in gradu heroico, non tamen de *veneratione* aut *venerabilitate* ullum verbum profertur. Et iure declarat Pontifex, quod « ex hac permissione nullum argumentum indultae venerationis argui vel praetendi possit ».

Ut quis cultu publico dignus ab Ecclesia pronuncietur, duo copulative per plenissimas probationes, in iudicio exhibitas, demonstrari debent, ut superius monuimus, nempe *excellens probitas vitae et miracula*. Super primo, iudicium expletum habetur per publicationem Decreti de heroicitate virtutum, vel super martyrio, super altero autem iudicium non expletur, nisi cum editur decretum, quo nunciatur *Constare de miraculis* etc. Titulus igitur *Venerabilis* non permittitur, nisi quando Causa priorem partem feliciter superaverit.

Cum Causa ad hoc punctum pervenerit, laetandum profecto est, tamquam de longo et difficiliori itinere superato; sed terminus, antequam ad Causae felicem exitum perveniatur, adhuc distat. Modus propterea in hac manifestanda laetitia est servandus, et cavendum est quidquid fidelibus occasio esse potest putandi, Causam finem attigisse, ideoque Servum Dei aliquo cultu venerari posse. Hinc Pontifex quartum mandatum tulit, de quo in sequenti paragrapho.

§ V. *Solemnia prohibentur occasione editi Decreti tum super Causae Introduetione, tum super heroicitate virtutum vel martyrio.*

« *Ss.mus D. N... vetuit... solemnia peragi occasione Decreti editi super Causae Introductione... solemnia ad gratias Deo agendas etiam post editum Decretum super heroicitate virtutum vel martyrio pariter prohibuit, qua tamen prohibi-*

tione impedire non intendit, quominus in Missis addatur, prout decet, collecta pro gratiarum actione ».

Non tantum Summus Pontifex erroneam dictionem, sed et erroneam doctrinam publice prolatam ac publicis actionibus confirmatam damnare et reprobare intendit.

Persuasio de quadam *veneratione,* aut *venerabilitate,* per Decretum Introductionis, indulta vel declarata, adeo pervulgata fuerat, ut occasione huius Decreti editionis magna solemnia, praesertim in Gallia, instituerentur, et non tantum ad gratias Deo agendas, sed etiam ad Servum Dei honorandum. Ab hoc populus et Clerus convocabantur in Ecclesiis etiam Cathedralibus, ut Deo gratias, solemniter SS.mo Sacramento exposito, persolverent, et laudes Servi Dei audirent, quas, orationibus panegyricis, sacri Oratores celebrabant. Hae autem orationes saepe saepius adeo erant *immoderatae,* uti vocantur in Decreto, ut in eis de iam Beatificatis et Canonizatis agi videretur. Sed de his orationibus in sequenti paragrapho: nunc de solemniis tantummodo agimus.

Revocata distinctione, superius data, de sacris solemniis, scilicet in stricte liturgica et simpliciter ecclesiastica, tenendum esse asserimus, per Pontificis mandatum utriusque generis solemnia prohiberi; utraque enim veniunt sub nomine *solemnium,* et pro utroque solemnium genere militat ratio prohibitionis: quae adeo manifesta sunt, ut vix possibile sit de iis legitime dubium suboriri.

Duae nominatim indicantur occasiones, in quibus ea solemnia prohibentur, scilicet cum publici iuris fit Decretum super Causae Introductione, et cum Decretum editur super heroicitate virtutum vel Martyrio. Quamvis alia festa non nominentur, pro certo habendum est, ea solemnia non tantum in praefatis circumstantiis prohiberi, sed in aliis quibuscumque. Non poterunt propterea celebrari in anniversario ab obitu, a nativitate, ab ordinatione, a translatione, etc., nec in centenariis similiter ab obitu, a nativitate, etc. Ea enim solemnia prohibentur, quia cultum publicum significant et praeseferunt, vel eidem occasionem et praetextum prae-

bent, quae cum semper extent, pro semper prohibitionem latam esse, tenendum est.»

Ad singula determinanda, quae hic prohibentur, revocanda sunt, quae superius diximus de sacris solemniis, vetitis occasione processus ordinarios inchoandi. Qaedam alia peculiaria in praesenti prohibitione animadvertenda sunt.

Solemnia stricte *liturgica pro gratiarum actione*, duo indicari possunt: altera ex Missali et altera ex Rituali.

In Missali ad calcem Missae votivae *de SS. Trinitate* legitur: « Pro gratiarum actione dicitur Missa de SS. Trinitate, vel de Spiritu Sancto, vel de B. Maria, additis sequentibus orationibus sub una conclusione ». Hae itaque Missae ex praesenti Decreto *solemniter* celebrari prohibentur, et quidem utroque modo: sive solemniter celebrentur quoad *ritum*, nempe cum Ministris, cantu, thurificatione, etc.; sive quoad *modum*, servato nempe ritu privato, sed cum populi et Cleri convocatione, extraordinario apparatu Ecclesiae, campanarum sonitu, peculiari praedicatione etc.

In Rituali Romano indicantur *preces dicendae in processione pro gratiarum actione*. Hae preces *per se* non prohibentur, sed si fiunt cum *solemni* processione, uti indicare videtur Rituale, vel coram SS. Sacramento solemniter exposito, uti fert consuetudo, dicendum est, hanc rationem Deo gratias persolvendi ob solemnitates quas supponit, per praesens Decretum non permitti.

Idem non videtur dicendum, si praedictae preces cum hymno *Te Deum* canantur coram SS. Sacramento exposito sine pompa et sine ulla populi et Cleri convocatione; sed tantum Clero et personis assistentibus, quae ordinario Ecclesiae servitio, in qua illae preces fiunt, sunt addictae. Hoc procul dubio non est *solemnia* peragere. Cum autem in Ecclesiis saecularibus Clerus et populus adesse non soleant nisi data opera convocentur, ideo videtur id in Ecclesiis saecularibus fieri congruenter non posse.

Putamus tamen, non esse prohibitum Familiae Religiosae in Ecclesia proprii Instituti hymnum *Te Deum* cum precibus

pro gratiarum actione coram SS. Sacramento exposito, canere, servata tamen forma ordinaria, nullis invitatis extraneis, et exclusa quacumque praedicatione et alio quocumque signo solemnitatem praeferente.

Missa vero privata *pro gratiarum actione,* permittente ritu, in festis nempe ritus simplicis vel semiduplicis non prohibetur, dummodo absint, non tantum solemnitates liturgicae, sed et aliae solemnitates extrinsecae, quas ecclesiasticas vocavimus. Talis Missa non fieret solemnis, si ei assisterent omnes ordinario Ecclesiae servitio addicti; et, si ageretur de Ecclesia alicuius Religiosi Instituti, si tota Communitas praesens foret et post Missam locum haberet Expositio SS. Sacramenti cum hymno *Te Deum* in forma superius indicata. Uti manifestum est, cum talis Missa debeat esse omnino *privata,* talis amplius non foret si indiceretur *Auctoritate Ordinaria,* ex hoc enim publicitatem et quandam solemnitatem indueret, a qua omnino est cavendum.

Semper autem permissum est, imo decet, collectam addere pro gratiarum actione. Ipse enim Summus Pontifex declarat, quod solemnium prohibitione « impedire non intendit, quominus in Missis addatur, prout decet, collecta pro gratiarum actione ».

Haec Pontificis concessio eo sensu intelligenda est, quod de cetero rubricae et vigentia Decreta de Collectis addendis serventur. Ideo addi non posset praefata Collecta sine Ordinarii consensu, nec in duplicibus I^ae^ et II^ae^ classis. Ordinarius autem potest illam imperare pro aliquibus Ecclesiis vel etiam pro tota Dioecesi, prout ipsi videbitur. Si enim Servus Dei, de quo Decretum editur, universam Dioecesim illustraverit, congruum est, ut tota Dioecesis congaudeat et Deo gratias persolvat.

FR. IOSEPHUS ANT. O. M. CAP.

Consultationes.

Ex Ibagué (Columbia). — I. In hac Dioecesi, Oratio imperata est de Immaculata Conceptione. Haud raro autem evenit quod celebretur Missa de aliqua festivitate B. M. V. sub ritu duplici vel etiam duplici maiori. Interdum etiam 2ª vel 3ª Oratio de Tempore est etiam de B. M. V. *Quaeritur:*

Quando in casu fit de eadem persona (scilicet de B. M. V), diverso tamen Mysterio, Oratio imperata quae est de eadem persona, Mysterio tamen diverso, debetne dici in Missa, an potius omitti possit et debeat?

Resp. Oratio imperata in casu omittenda est. Probatur. Ex novis Rubricis ad normam Bullae « *Divino afflatu* » et subsequentium Decretorum servandis (tit. IV, n. 7; tit. VI, n. 4 et Notand. 8 ad Tabell. Occurr. et Concurr.) sequentia deducuntur:

1° Quod si duo Festa (quae transferri nequeunt) vel duae Octavae in honorem eiusdem Personae occurrant, fiat Officium de nobiliori, omissa, *nisi agatur de mysteriis Domini diversis*, commemoratione alterius;

2° Quod si infra Octavam aliquam, vel in ipsa die octava occurrat Festum duplex vel semiduplex de eadem Persona, et privilegium Octavae non obstet, fiat Officium de Festo, adhibito tamen in die octava ritu diei Octavae proprio, nisi Festum sub altiori ritu celebretur, omissa vel addita commemoratione, ut supra.

3° Quod si duo Officia (sive sint duo Festa, sive duae Octavae, sive unum Festum et alterum Octava) eodem die occurrant de Mysteriis Domini, et sint Mysteria *diversa*, eo in casu fiat Officium de nobiliori (ut supra) cum commemoratione alterius; omittitur autem haec commemoratio, si habeatur identitas vel quasi identitas Mysterii.

4° Quod praecedens exceptio applicari nequeat ad alia Officia vel commemorationes quae fiunt in honorem B. M. V. vel alterius Sancti.

Porro, si praefata principia valent pro divino Officio, eodem pari iure applicanda sunt Missae, tum pro Orationibus specialibus tum pro Orationibus communibus et votivis in Missa faciendis. Ex quibus sequitur hoc principium, a Rubricistis admissum: quando Orationes, licet eaedem non sint, ad idem Mysterium Domini vel ad eumdem Sanctum (etiam B. M. V.) principaliter dirigantur, illa Oratio (seu mentio in Oratione), quae est ordine posterior, omittenda est, *ne bis de eodem dicatur*.

Hinc Rubricista Primus Battistini (Presb. C. Miss.) in Ephemeridibus Liturgicis (Vol. XVIII, pag. 120) rite respondit, dicens: « Iis in dioecesibus ubi R.mus Ordinarius pro omnibus Missis, salvis Rubricis, collectam de Immaculata B. M. V. Conceptione praescripserit, non est omittenda mentio B. M. V. in Oratione *A cunctis,* si quando haec occurrat, ob collectam quae ordine est posterior..., sed ne bis de eodem obiecto fiat, praetermittitur in casu collecta ab Ordinario imperata... ».

II. Missale Romanum, in gratiarum actione post Missam, ait quod Ant. *Trium puerorum* duplicatur tantum in festis duplicibus. Porro, die 16 Ianuarii ego dico Officium S. Marcelli I. Pap. Mart., ritus dupl. in meo Kalendario; Missam vero celebro de eodem Sancto, et in aliena Ecclesia, ubi colitur sub ritu *semidupl.* — *Quaeritur:*

1° Debeo ne in casu et aliis similibus, duplicare Ant. *Trium puerorum?*

2° Item in Quadragesima, vel in Vigiliis, si in diebus duplicibus minoribus vel maioribus volo Missam celebrare de Feria vel de Vigilia, debeone duplicare eamdem Antiphonam?

Resp. ad utrumque, ad libitum, iuxta ritum Officii vel Missae. S. Rit. Congr. interrogata: « Num Antiphonae *Ne reminiscaris* et *Trium puerorum* quae privatim a Sacerdote

recitantur ante et post Missam, duplicandae sunt vel non, iuxta ritum Missae quam celebrat? » — Resp.: « Ad libitum in casu, iuxta ritum Officii vel Missae (Die 27 Ian. 1899, ad 2, n. 4011) ».

III. Iuxta novas Rubricas (tit. X, n. 2, primo nempe editas), in Vigiliis si occurrat fieri Officium alicuius Festi duplicis (non tamen I vel II classis) aut semiduplicis, Missae privatae dici poterunt ad libitum, vel de Festo cum commemoratione ultimoque Evangelio Vigiliae, vel de Vigilia cum commemoratione Festi. Non raro evenire potest quod Vigilia aliqua occurrat infra Octavam alicuius Sancti, v. g. Vigilia Assumptionis semper occurrit infra Octavam S. Laurentii. Octava vero nihil est aliud nisi ipsum Festum continuatum. Attamen Ordo divini Officii pro Clero Romano, anno 1913 die 14 Augusti in supplemento pro Ecclesia universali, aiebat: Mis. de Vig. etc. — *Quaeritur:*

An Missa de Octava, in casu, prohibita erat?

Resp. Negative iuxta novas Rubr. primo editas ad normam Bullae « *Divino afflatu* »; iuxta recens vero Decr. gener. S. R. C. d. 28 Oct. 1913, tit. II, n. 3, casus non amplius locum habere potest. In eo enim Decreto dicitur: « De Octavis vero Duplicium II classis universalis Ecclesiae nihil fit nisi in die Octava, et quidem sub ritu simplici: ita ut si occurrat in eo aliquod Officium Duplex vel Semiduplex, etiam repositum vel translatum, aut Feria maior vel Vigilia, de die Octava huiusmodi fiat tantum commemoratio iuxta Rubricas. Festa vero simplicia occurrentia commemorantur in Officio de die Octava, cui cedit etiam Officium S. Mariae in Sabbato ».

IV. Ephemerides Liturgicae, in fasciculo Maii superioris anni 1913, pag. 284, aiunt non licere Clerico Missae privatae inservienti, ad Communionem fidelium, discum auratum sub mento ipsorum sustinere. Hic tamen modus agendi, in tota hac dioecesi et forsan etiam in quibusdam aliis, est valde in usu, non solum pro Clerico, sed et pro laico Missae inservienti. Non videtur autem quod facile tolli possit

usus praedictus; aliunde particulae consecratae non paucae fere semper ex hostiis in ipsum discum decidunt. Unde videtur quod ex duobus malis minus praeferendum sit, scilicet, melius, aut minus malum esse particulas consecratas cadere in discum et sumi postea a Sacerdote, quam in terram cadere et a transeuntibus calcari. His expositis, *quaeritur:*

An possit tolerari saltem huius disci deaurati vigens usus?

Resp. Ad similem casum S. R. C. *in Romana* d. 20 Martii 1875 declaravit: quod in administranda fidelibus S. Communione, loco Tobalearum linearum, adhibeantur Tabellae ex metallis, eiusmodi usum in iis dioecesibus, in quibus fuit introductus, non esse interdicendum; nihilominus significetur R.mo D. Episcopo Alexandriae non esse improbandum usum Tobalearum linearum (Vide Acta S. Sedis, Vol. VIII, p. 425 et Ephemer. Liturg., Vol. VIII, p. 92).

Quod autem Clericus (vel laicus) Missae privatae inserviens illum discum deauratum seu Tabellam ex metallo sub mento communicantium sustineat, hic usus certe reprobandus est, quum hoc munus pertineat solummodo ad Subdiaconum in Missa Pontificali et ad Diaconum in Missa solemni (ubi talis est consuetudo).

Et in tali sensu accipiendum est responsnm ab auctore datum pag. 284 in Ephemer. Liturg. anni 1913.

V. In Decreto S. R. C., *Romana,* de Kalendario pro Clero almae Urbis, 14 Febr. 1913, circa finem (Cf. Act. Ap. Sed., Vol. V, p. 73) dicitur: « Mandavit insuper Sanctitas Sua ut huiusmodi Kalendarium Cleri Romani adhibeatur... itemque in Dioecesibus et familiis religiosis utriusque sexus, quae sive ex iure, sive ex privilegio, Kalendario Cleri Romani utuntur ». — *Quaeritur:*

1° An abrogatum censendum sit Kalendarium Congregationis Missionis proprium, a S. Sede approbatum die 22 Iunii 1854?

2° Item, an abrogatum sit Decretum 22 Augusti 1851 in quo declaratur quod Festa Transfigurationis Domini et

Dedicationis Basilicae SS. Salvatoris Lateranensis celebranda sunt ab alumnis Congregationis Missionis sub ritu duplici I classis sine octava?

3° Demum, an alumni Congregationis Missionis stricte teneantur et in omnibus sequi (exceptis tamen quibusdam Festis omnino propriis) Kalendarium Urbis, etiam quoad Octavas Transfigurationis Domini, Dedicationis Basilicae SS. Salvatoris, et alia huiusmodi, et hoc quidem vi Decreti S. R. C. supra memorati, 14 Febr. 1913?

Resp. ad 1^{m} — Qui *ex iure* Kalendario Cleri Romani utuntur, sunt illi ex Clero saeculari et regulari qui Romae et in eius districtu commorantur *et proprium Kalendarium approbatum non habent; ex privilegio* autem sunt illi qui extra almam Urbem degunt et ex indulto apostolico Kalendarium Cleri Romani sequi possunt. Illae vero Familiae Religiosae quae proprium Kalendarium approbatum habent, sive illae Romae sive extra Romam commorentur, nullimode Kalendarium Cleri Romani sequi possunt sine speciali indulto S. Sedis, sed suum proprium adhibere tenentur. Consequenter per Decretum S. R. C. d. 14 Febr. 1913 nullimode abrogatum est Kalendarium Congregationis Missionis proprium, a S. Sede die 22 Iunii 1854 approbatum, sed hoc Kalendarium uti alia S. Rit. Congregationi pro eius reformatione est subiiciendum.

Ad 2^{m} — Ex primo responso clare sequitur, indultum diei 22 Augusti 1851, quo alumnis Congregationis Missionis conceditur facultas celebrandi Festa Transfigurationis Domini et Dedicationis Basilicae SS. Salvatoris Lateranensis sub ritu dupl. I classis sine Octava, non esse abrogatum; usquedum Kalendarium proprium non sit adprobatum.

Ad 3^{m} — Alumni Congregationis Missionis tenentur sequi suum proprium Kalendarium uti antea, donec illud denuo reformatum et approbatum sit.

Ex eodem loco. — I. In vol. V, S. R. C. Decr. auth., p. 351, col. 2, dicitur: « In Ordinatione Presbyterorum extendenda est manus tantummodo ad Orationem: *Oremus, fratres carissimi,* iuxta praxim Ecclesiae Romanae ».

Et subsequitur ibidem: « In Ordinatione Presbyterorum debent tum Pontifex, tum Sacerdotes adstantes, vix facta impositione utriusque manus, statim dexteras manus extendere, easque sic extensas tenere, donec Episcopus Orationem *Exaudi nos* absolverit?

Porro, nonnulli, quomodo haec inter se conveniant non satis intelligentes, sic faciendum disponunt:

Finita admonitione: *Consecrandi, filii carissimi,* Pontifex imponit simul utramque manum super caput cuiuslibet Ordinandi, nihil dicens, quo peracto, dexteram manum extendit, dum interea omnes Sacerdotes qui adsunt successive utramque manum super caput cuiuslibet Ordinandi imponunt, et statim dexteram extensam tenent, dum Episcopus recitat: *Oremus, fratres carissimi...*, qua exhortatione finita, Episcopus dicit: *Oremus;* Ministri vero aiunt: *Flectamus genua.* ℟. *Levate.* Et iterum tam Episcopus quam Sacerdotes manus dexteras extensas tenent usque ad principium Praefationis, seu ad: *Per omnia saecula saeculorum,* esclusive. Hic enim Episcopus tenet manus extensas ante pectus, et ceteri Sacerdotes discedunt.

Quaeritur: 1. Recta ne est haec explicatio? et quatenus negative;

2. Quousque *exclusive,* tenenda est dextra extensa super Ordinandos, tum ex parte Episcopi, tum ex parte Presbyterorum adstantium?

Resp. ad 1^{m} Negative. Ad 2^{m} Donec Episcopus Orationem *Oremus, fratres carissimi* absolverit.

Iuxta Decreta S. R. C. d. 18 Febr. 1843 (n. 2851), et 14 Mart. 1843 ad I (n. 3105), post impositionem manuum super caput cuiuslibet Ordinandi tum ab Episcopo tum ab adstantibus Sacerdotibus, tenenda est manus dextera super Ordinandos tantummodo tum ex parte Episcopi, tum ex parte Presbyterorum adstantium, donec Pontifex Orationem: *Oremus, fratres carissimi,* absolverit.

Scio quod auctor Indicis generalis Decret. auth. S. R. C., pag. 186 et p. 351, dicit: « In Ordinatione Presbytero-

rum debent tum Pontifex, tum Sacerdotes adstantes, vix facta impositione utriusque manus, statim dexteras manus extendere, easque sic extensas tenere, donec Episcopus Orationem *Exaudi nos* absolverit. Sed notandum est, auctorem Indicis gener. verba *Exaudi nos* post *Orationem* addidisse. Revera, in Decreto S. R. C. 31 Aug. 1872 ad I (n. 3274) habentur sequentia: In Ordinatione Presbyteri, tum Pontifex tum Sacerdotes qui adstant, vix facta impositione utriusque manus, statim dexteras manus extendant, easque sic extensas teneant, donec Episcopus Orationem absolverit. Hinc, si hoc Decretum intelligatur « donec Episcopus Orationem *Oremus, fratres carissimi* absolverit », nulla contradictio exisit inter hoc Decretum et duo alia Decreta supra allata. In altero autem Decreto d. 14 Iunii 1873 S. R. C. dicit: S. Congregatio, dum in praefato suo responso *(scilicet d. 31 Aug. 1872)* ritum insinuavit in peragenda sacra ordinatione circa manuum impositionem observandum, non idcirco in dubium revocare intendit valorem sacrae Ordinationis, eo quod in illa Episcopus ordinans manus extensas non tenuerit super Ordinatum etiam per intervallum, quod inter primam et secundam manuum impositionem intercedit (n. 3307) ». Ergo hic pariter S. R. C. declarat: « in praefato suo responso (*scilicet d. 31 Aug. 1872*) ritum insinuasse in peragenda sacra Ordinatione circa manuum impositionem observandum ».

Nostra doctrina magis confirmatur ex iis quae cl. Ios. Catalanus (in suo Comment. in *Pontificali Romano*, vel potius eius Annotator, nov. edit., Parisiis 1850, in hoc loco Pontifical.) scribit: « Maximi momenti videtur hic producere recentissimam S. Rit. Congregationis responsionem ad Episcopum Aniciensem, die 18 Februarii 1842, quae ad praxim reducitur nostri Pontificalis textus, quoad superiorem Orationem *Exaudi nos*. Quaerebat praefatus Episcopus, an extensio manus tam Pontificis quam Sacerdotum fieri debeat non tantum intra haec verba: *Oremus, fratres carissimi*, usque ad *Flectamus genua*, verum etiam post genuflexionem,

intra Orationem quae incipit: *Exaudi nos.* Neminem theologum fugit gravitas huius quaestionis, siquidem semper habita est manuum impositio quae fit in his sacrae Ordinationis adiunctis velut proxime ad ritum essentialem pertinens. Responsum fuit praxim sanctae Romanae Ecclesiae, quae ab omnibus observari debet, esse manus Ordinandis imponi tantum in prima Oratione quae incipit: *Oremus, fratres,* et ideo manus tum Pontificis, tum Sacerdotum, non denuo debere extendi post *Flectamus genua.* Parum intelligere fatemur quomodo talis solutio cum sensu verborum Pontificalis conciliatur. Patet enim, non formulam deprecatoriam esse, bene vero puram allocutionem ad fideles adstantes, hanc Orationem quae incipit: *Oremus, fratres carissimi;* dum contra haec altera formula, quae pronuntiatur post *Flectamus genua,* vera sit Oratio ad Deum, quae cum impositione manuum coniuncta, sacramentalis ritus speciem praebere videbatur. Quid inde? Sequenda est nihilominus sacra Rituum Congregatio, utpote fundata super praxim Ecclesiae Romanae, quae numquam in ritibus essentialibus Sacramentorum errare potest ».

Exinde cl. Pius Martinucci in suo opere (*Manuale Sacrarum Caeremoniarum,* edit. 2, lib. VII, cap. III, nn. 310-312) docet: « Postquam manus imposuerint Canonici Presbyteri omnes praesentes, Episcopus dextera elata et distenta versus ordinandos (quod facient etiam Canonici) recitabit invitationem ad orationem, dicens *Oremus, fratres carissimi* etc. Post Orationem seu invitationem ad Orationem, Episcopus et Canonici demittent dexteram, quam distentam sustinebant, Canonici antem redibunt ad subsellia sua, si manserint, ut supra, apud Ordinandos. Episcopus sedebit et mitram per Diaconum dimittet. Tum assurget, convertetur ad Altare et cantabit *Oremus* (Diaconus *Flectamus genua,* Subdiaconus *Levate*), et conversus iterum ad Ordinandos, cantabit Orationem *Exaudi nos, quaesumus* etc., post quam prosequetur in cantu praefationem tono feriali sustinens manus ante pectus apertas... ».

Pro coronide hic afferre opportunum iudicamus Decre-

tum S. C. S. Officii: « Fer. IV, 30 Nov. 1898, eadem S. C. S. Off. circa dubium propositum de quodam Episcopo qui post primam manuum impositionem super (*singulos*) ordinandos presbyteros, dexteram extensam super eos non habuerat, ita respondit: « Si post tactum physicum capitis ordinandorum Episcopus manum extensam habuerit super ordinandos, saltem immediate ante recitationem *Oremus* etc., ordinationem esse certo validam, ut in Decreto S. Officii Fer. IV, 12 Sept. 1877. Si autem nequidem immediate ante recitationem *Oremus* etc. illa manuum extensio facta fuerit, ordinationem esse iterandam secreto et sub conditione, quocumque die, facto verbo cum SS.mo, ut etiam suppleat, ad cautelam, de thesauro Ecclesiae pro Missis usque adhuc celebratis. Ss.mus adprobavit, et gratiam concessit (Apud Collect. S. C. de Prop. Fide, Vol. II, n. 1482, in not., edit. 2) ».

II. Pontificale Romanum, in ordinatione Subdiaconi, ait; « ... Omnibus autem in Subdiaconos ordinandis competenti spatio coram Pontifice stantibus, Pontifex cum mitra sedens admonet eos (nisi omnes sint religiosi, quia tunc ista admonitio omittitur) dicens... » — *Quaeritur:*

Utrum haec locutio seu vox « *Religiosi* » intelligenda sit tantummodo de Regularibus stricte sumptis, id est, cum votis solemnibus? an possit et debeat intelligi etiam de quocumque viro religioso, *lato sensu,* id est, cum votis simplicibus, sive perpetuis sive etiam temporaneis?

Resp. Illa vox *Religiosi* intelligenda est de Regularibus cum votis solemnibus. « Recte mandat (*ait Ios. Catalanus, Comment. in Pontif. Rom.* h. l.) nostra praesens Rubrica, ut si ordinandi Subdiaconatu sint Religiosi, omittat Episcopus eam ad illos admonitionem, quippe qui per suam solemnem professionem iam statui religioso et continentiae vinculo adstricti sunt, nec valent sine apostasiae et sacrilegii nota ab Ordine suo resilire; adeo ut si nuptias inirent, nullum profecto matrimonium esset, natique filii sacrilegi vocarentur; ipseque tandem in varias poenas incurreret ».

Idem habet cl. Pius Martinucci (*Man. sacrar. Caeremon.*,

l. VII, cap. II, n. 90), dicens: « Notandum autem est, quod admonitio antedicta locum habet, quum ordinandi sunt clerici saeculares tantum; si cuncti ordinandi essent regulares ac professi fuerint vota solemnia, admonitio omittetur ».

III. Ordinatione peracta, an laudabiliter cantari possit Hymnus Ambrosianus *Te Deum,* cum nihil de hoc dicat Pontificale?

Resp. Nihil videtur oppositum, ut peracta ordinatione cantetur Hymnus Ambrosianus in gratiarum actionem; sed notandum est: 1° quod si cantetur immediate post Missam, ita ut Pontifex non discedat ab Altari, color Missae adhiberi possit; si vero cantetur tanquam functio separata ab Ordinatione, tunc celebrans induat paramenta coloris albi cum pluviali (cf. S. R. C. 6 Febr. 1892 ad 7, n. 3764).

2° Quod extra casum Processionis sufficiat dicere post Hymnum *Te Deum* Versus: *Benedicamus Patrem - Benedictus es - Domine, exaudi,* et unicam Orationem *Deus, cuius misericordiae* (S. R. C. 11 Sept. 1847, n. 2956).

IV. In Ordinationis Missa *lecta,* accenditurne septimus cereus? et possetne tolerari thurificatio in huiusmodi Missa?

Resp. ad 1m — Negative, celebrante Episcopo non Ordinario, vel Ordinario in ordinatione privata non generali; sed celebrante Episcopo Missam Pontificalem, etiamsi *lectam,* seu in Ordinatione generali privatim habenda, in sua Dioecesi, accendendi sunt septem cerei (Martinucci, *Man. Ss. Caerem.,* l. VII, cap. II, num. 1 - cf. Caer. Episc. l. I, c. 12, n. 12). « Quoad nostram Rubricam attinet (ait cl. Ios. Catalanus, in hoc loc. Caerem. Episc.), quod « celebrante Episcopo (id quod etiam intelligendum est de Cardinalibus solemniter in suis titulis celebrantibus), candelabra septem super Altari ponantur », cum scilicet non alia divina Officia, sed cum Missam solemnem (intellige Pontificalem, etiam lectam) tantum, et non tamen pro defunctis, celebrant, uti iam decisit S. R. C. die 19 Maii 1607 in *Placentina,* dubio VIII. Rursum candelabrum septimum poni quidem debere super Altari, quando nimirum celebrat Episcopus Ordinarius, non

vero Suffraganeus, id etiam decisum habemus ab ipsa S. R. C. in *Bracharen.*, die 1 Sept. 1607... ».

Ad 2^m^ — Negative. In Missa, licet conventuali vel cantata, quae sine sacris Ministris paratis, i. e. Diacono et Subdiacono, celebratur, sine indulto apostolico, incensum dari nequit (S. R. C. 19 Aug. 1651 ad 3, n. 937; 22 Ian. 1701 ad 11, n. 2067; 18 Dec. 1779 ad 8, n. 2515), non obstante consuetudine immemorabili in contrarium (S. R. C. 18 Mart. 1874 ad 1, n. 3328 et 9 Iunii 1884 ad 6, n. 3611). In Missa vero *solemni*, i. e. cum cantu ac Diacono et Subdiacono (etiam in Missa solemni *de Requie*), incensum semper adhibendum est, et consuetudo contraria non est toleranda (S. R. C. 29 Nov. 1856 ad 6, n. 3039).

P. V. ab A.

E regione Aemiliana. — Episcopus dioecesis C. obtinuit a S. Sede facultatem delegandi sacerdotes ad sanandos lapides sacros, qui aliqua causa perdiderint consecrationem; quaeritur ergo, an in casu sacerdos debeat reponere in parvo sepulchro easdem reliquias, quas ibi invenit, an potius possit novas immittere, vel saltem novas adiungere?

Resp. Ante omnia advertendum est, non omnia altaria, quae consacrationem deperdunt, sanari posse per formulam simplicem a S. R. C. probatam; sunt enim aliquae causae dissecrationis, quae sanari nequeunt, nisi per novam omnino consecrationem. Verbi gratia, lapis, seu mensa, ita rumpitur, ut unus ex quatuor angulis, in quibus adsunt cruces consecrationis, separetur a mensa ipsa; item, sepulchrum violatur, et reliquiae in eo repositae in actu consecrationis furantur, hisce in casibus, altare tali modo dissecratur, quod prorsus sanari nequeat. Et sane: in primo casu, agitur de mensa non amplius apta, eo quod debet esse ex uno integro lapide, sine magna fractione; in secundo casu, non amplius habentur reliquiae, quae ab episcopo consecrante depositae in sepulchro fuerunt; ergo oportet ut episcopus vocetur, et ad ritum novae integrae consacrationis ipse procedat.

Quando vero aliis ex causis dissacretur mensa altaris, puta quia amovetur operculum sepulchri, aut mensa altaris fixi a stipitibus disiungitur, hisce in casibus, bene potest episcopus, obtenta facultate ab apostolica Sede, committere alicui sacerdoti, ut adhibita formula praescripta, cum cemento, si apertum invenerit sepulchrum, operculo denuo claudat, aut mensam avulsam cum stipidibus coniungat.

Attamen, nostro iudicio, debet omnino easdem reliquias reponere quas invenit, eo quod in sepulchro, ex praecepto Pontificalis, adesse debet parvum instrumentum consecrationis illius altaris; in quo instrumento aperte adnotantur nomina sanctorum quorum reliquiae inibi consecrator composuit. Quia vero sacerdos delegatus, novam non peragit consecrationem, sed tantum antiquam deperditam sanat, nil novi peragere potest, quod cum praedicto instrumento non conveniat.

Ideo, non solum novas reliquias sanctorum, neglectis antiquis, in sepulchro mensae condere non potest, sed neque novas adiungere, ne instrumentum certificet, quod in eo contineantur reliquiae ex. gr. sanctorum martyrum Artemii, Candidae et Paulinae, dum e contra existant reliquiae sanctorum Ianuarii et sociorum eius; vel dicat depositas fuisse a consecratore tantummodo praedictas, et de facto etiam contineantur reliquiae aliorum sanctorum. Sacerdos delegatus itaque restituat res ut erant in actu consecrationis; de novo nil addere potest, nisi parvulum operculum sepulchri, si forte antiquum fractum fuerit, vel deperditum; et si agatur de stipite avulso et fracto, novum adhibere potest, non agitur enim de re principali, et formula de S. Congregationis facultate adhibenda, id non prohibet, imo supponit aliquando fieri debere, ut sanatio altaris habeatur.

P. P.

Pro Belgio. — I. Ante incensationem altaris, in Missa solemni, a Diacono et Subdiacono genuflectendum est, non ratione relinquendi medium altaris ut transitus fiat ad latus,

sed ratione salutationis Crucis, concomitanter cum Celebrante, qui in casu non debet genuflectere, sed tantum profunde se inclinare; ac proinde praefati Ministri genuflectent etiam ante thurificationem Crucis.

II. In Ostensorio SS. Sacramenti tolerari possunt imagines Sanctorum et Angelorum, positae ad ornatum, uti passim fit etiam in calicibus, nemine contradicente.

III. Non obstante quacumque consuetudine, incensatio fieri debet in Missis solemnibus de requie, prout in ceteris solemnibus. Si Ordinarius contradicit, fiat petitio ad S. C. quae pro sua prudentia rem componet.

Pro Conventu N. — I. Nihil influit ritus duplex officii diei in Missis defunctorum quotidianis, quae ex privilegio dicuntur; nihil enim de officio ponitur in Missa de requie, dum in votivis reipsa eius pars habetur, videlicet commemoratio; ita ut hae Missa de requie ritu votivo non solemni sint dicendae, scilicet cum tribus orationibus, ordinatis iuxta diversos casus.

II. S. Franciscus, in Ordine Minorum, saltem, ut nobis constat, in familia quae hodie ab Unione Leoniana seu de Observantia appellatur, dignitate insigni ornatus legitime habetur; hinc eius nomen Titulari Ecclesiae, qui simili dignitate non potitur, praeferri debet in oratione *A cunctis.*

III. Quando *Miserere* ad Laudes non recitatur, iuxta Rubricam novi Psalterii, pro III Nocturno accipiendum est primum Psalterii schema; hinc in vigilia Nativitatis Domini, primum schema ad III Nocturnum adhiberi debet.

IV. Ubi sacra functio habetur in Sabbato Sancto, S. Communio distribui nequit ante celebrantis communionem; ubi vero non habetur functio, sed asservatur SS. Sacramentum, nil obstare videtur quominus qualibet hora S. Synaxis distribuatur; si enim id, uti constat, etiam ad praeceptum paschale adimplendum hodie licet, licebit ab hora qua Missa, si haberetur, foret permissa. Iuxta alios videretur non posse, nisi hora pro Missa conventuali praescripta, scilicet post Nonam, quae tamen hac die ubique valde anticipatur. Iu-

xta alios tandem, rite id fieret post soluta, ut dicitur, aera campana in praecipua loci Ecclesia. Cuilibet ex his probabilibus sententiis adhaereri tuta conscientia posse est censendum.

Pro dioecesi Fossanensi. — I. Sancti Patroni principales Oppidi vel Civitatis, Dioecesis, Provinciae et Nationis, fuerint nec ne assignati diebus Dominicis, ratione huius Patronatus, reduplicative, ex hodiernis Rubricis ornati censentur feriatione, esto quod de facto haec suppressa maneat; ac proinde ad effectus liturgicos uti feriati haberi debent. Id constat ex elencho *festorum feriatorum,* nuper a S. Rituum Congregatione Typographis Pontificiis tradito, ut novis Breviariis praeponatur. Dicimus *ad effectus liturgicos,* quia nostrum non est de obligatione circa Missam pro populo interloqui.

II. Qui privilegium a S. Rituum Congregatione obtinuerunt canendi bis in hebdomada Missas de requie. diebus etiam ritus duplicis maioris, nequeunt, hoc privilegio ad universam Dioecesim extenso, quater in hebdomada celebrare. Est enim privilegium eiusdem naturae, quod prius erat peculiare, hodie est generale; hinc, si non mutatur eius natura, neque maiori gaudere potest extensione.

III. Ubi Almae Domus Lauretanae Officium octava gaudet, ratione Tituli Ecclesiae, die 16 Decembris gaudet et commemoratione in secundis Vesperis S. Eusebii ritus duplicis minoris; quia reipsa dies infra octavas primis et secundis Vesperis potiuntur.

IV. Pro IX lectione S. Ioannis *ante Portam Latinam,* occurrente duplici secundae classis, censemus vel posse recitari V^{am} lectionem festi, dempto verbo « autem » sub initio; vel IX^{am} lectionem ipsius festi: sed forte melius haec nona recitaretur, utpote fusius de S. Ioannis martyrio pertractans.

V. Quod A. a Carpo et Thomas docent, circa omissionem *Alleluia* ad antiphonas feriarum Adventus, quae a Dominica praecedenti mutuari debent, servari tuto potest; si tacet Rubrica Breviarii, succurrit alia Missalis: « In feriis Adventus, quando per hebdomadam resumitur Missa de Dominica, non dicitur *Alleluia* ». M.

CENSURA LITURGICA

I. Ad pag. 52 s. hui. anni: Principium inconcussum est hoc: Si festum S. Confessoris die natalem immediate sequenti celebratur, *atque* hymnus in I Vesperis dici *non* potuit, tunc in aliis horis *m. t. v.*, quia in casu hymnus totaliter extra diem obitus recitatur. Putans id esse satis manifestum, omisi percurrere singula exempla Calendarii universalis. At id esse necessarium paret ex responso Redactionis (ib. p. 53 s.).

Sequentia festa Confessorum in Calendario universali die natalem subsequenti recoluntur *atque* in I Vesperis solam commemorationem habent:

14 Ian. S. Hilarii, 23 Febr. S. Petri Dam., 15 Iul. S. Henrici, 2 Aug. S. Alfonsi, 19 Oct. S. Petri de Alcant.

De festis S. Petri Dam. et S. Alfonsi in fine separatim agetur, attento decreto 3892[1].

In omnibus aliis (duobus his sc. exceptis) festis supradictis Breviarium iamdudum nemine reclamante assignabat *m. t. v.* Unde « Mutationes » nihil novi statuunt, sed antiquam legem retinent. Etsi enim commemoratio in I Vesperis tamquam « Officium compendifactum » sit verum initium festi, tamen semper verum manet, hymnum Iste Confessor *non* esse recitatum die natali, et eae horae in quibus recitandus erit, iam occurrunt extra diem obitus. Hinc Breviarium, ut diximus, in singulis festis notatis, i. e. d. 14 Ian., 15 Iul. et 19 Oct. assignabat *m. t. v.*, profecto vi rubricae Communi positae: « Si non est dies obitus... » *Et « Mutationes » diserte statuunt, litteras m. t. v. ad singula festa in nova editione Breviarii esse retinenda* (p. 67).

Ergo *falso* concludunt Ephemerides, p. 53, hanc legem non haberi in « Mutationibus » diebus ut supra.

Adverte insuper novam rubricam additam diebus 4 et 13 Novembris ac 3 Decembris (« Mutationes » pp. 122, 124, 69) ubi idem statuitur, sc. si impeditis I Vesperis sola fiat Commemoratio (v. g. pridie occurrente Dominica etc.) *m. t. v.*, cum dies obitus sit dies respective praecedens.

Similiter iuxta anteriorem ordinem Calendarii die 16 Aug. in festo S. Hyacinthi et die 26 Aug. in festo S. Ludovici (ubi hoc die celebrandum erat) notatur in Breviario *m. t. v.*; vide « Mutationes » p. 110.

Rubricae igitur Breviarii statuunt in omnibus festis Ss. Confessorum, quae die natalem subsequenti celebrantur, *neque* I Vesperas saltem a capitulo habent, licet Commemorationem in II Vesperis praecedentis habeant, mutandum esse tertium versum.

Sed quaedam ex his festis alicubi possunt habere I Vesperas integras, ob auctum ritum etc., unde tunc hymnus *Iste Confessor* recitatur adhuc die natali et quidem sine mutatione ex rubrica in Communi posita. Quaeritur autem ulterius, quomodo recitandus sit hymnus in Matutino et II Vesperis quae occurrunt *extra* diem obitus, disponente Breviario *m. t. v.* Cui dubio occurrit decretum 4033: « In casu, sicut dicendum est *Meruit beatas ad primas Vesperas*, ita eodem modo *continuandum* ad Matutinum et Vesperas sequentis diei ». Et hoc est decr. generale; cfr. n. 4156[2]. Huic decreto conformis est dispositio Breviarii diebus 4 et 13 Nov., 3 Dec., 14 Ian. etc. Ceterum ita etiam auctores decretum cit. intelligunt, v. g. P. V. ab Appeltern, Man. Liturg. II, p. 98 s., Müller, Zeremonienbüchlein, p. 216, etc.

Aut quis potest *continuare* dicendo *Meruit beatas*, nisi in I Vesperis ita recitaverit.

Omnia exempla supra enumerata ostendunt *falsum* esse assertum: si festum S. Confessoris in casu in I Vesperis commemoratur tantum, *non m. t. v.* Fateor hanc sententiam Ephemeridum aliter explicari non posse nisi ex praetermis-

sione huius incisi « *retentis* tamen, in festis Confessorum quibus apponuntur, litteris m. t. v. » (« Mutationes » p. 67 Nota I).

Et nunc ad decr. 3892[1], et duo festa (23 Febr.) S. Petri Dam., et (2 Aug.) S. Alfonsi; uterque Sanctus recolitur in die natalem subsequenti et habet solam commemorationem in II Vesperis praecedentis. Sed quaestioni « utrum in festis Ss. Petri Damiani (23 Febr.) et Alfonsi M. de Ligorio (2 Aug.) mutandus sit tertius versus in Hymno Iste Confessor? » S. C. resp. « Negative, iuxta editionem typicam et *Martyrologium Romanum* » (n. 3892[1]). In Martyrologio enim Romano etiam novissimae editionis typicae (nonnullis aliis emendatis) *erronei* dies natales utriusque festi permanserunt, sc. dies 23 Febr. et 2 Aug., loco 22 Febr. resp. 1 Augusti. Et hic error Martyrologii est causa decr. 3892[1]. In « Mutationibus » tamen festo S. Petri Dam. 23 Febr. *recte* additum est *m. t. v.* non obstante falsa lectione Martyrologii; idem in festo S. Alfonsi factum non est ex quadam obliviscentia vel inadvertentia ad errorem Martyrologii. Mutationem autem esse faciendam patet tum ex omnibus, quae hucusque dicta sunt, tum ex decr. 3767 ad 20, non obstante decreto 3892[1] quod manifesto errore nititur.

Illius emendationis seu novae rubricae d. 23 Febr. mentionem faciens dixi decreto 3892[1] partim derogatum esse (Eph. p. 53); nolui dicere istud emendatum esse, ne longa explicatione opus esset. Mirum autem est videre quae Ephemerides contra haec arguerint, *falso* innixae fundamento; putaverunt enim decr. 3892[1] statuisse legem universalem, at merum errorem continet (p. 53 s.). Merito puto detecto errore Martyrologii in nova editione typica Breviarii etiam festo S. Alfonsi additum iri *m. t. v.*, quamvis in « Mutationibus » adhuc desit.

Abunde ergo probavi rem ita esse, ut scripsi in Eph. Lit. 1914, 52 s.

II. Ad p. 56 VIII. Immerito dicor dubitare; e contra firmissime sentio ita fieri posse sicut scripsi. At quis scit

hodie, quid statuant rubricae Missalis proxime edendi? Cfr. v. g. mutatas rubricas Breviarii in « Mutationibus », praesertim tit. II, et Ephem. Lit. 1913, 470 atque ea quae contra « Mutationes » Motu Proprio et subseq. decreto S. C. R. mense Octobri 1913 statuta sunt. Unde *merito* dixi « *donec aliter statuatur* ». Nonne ipsae Ephemerides pluries simili locutione usae sunt?, v. g. 1913, 682, VII « quia haec nostra sententia, *quamquam legitimae interpretationis,* posset ex positiva auctoritatis dispositione non admitti ».

Id unum addam, nova decreta saepe esse *novae voluntatis* significationes potius quam simplices prioris legis declarationes (Ita Ios. Pauwels S. I. in opere « De Religiosis et Missionariis Supplementa et Monumenta Periodica », tom. 6 p. [40]). Quod est verissimum.

III. Ad p. 56, IX. Nonne eandem sententiam ac ego sustinuit Academia Liturgica Romana in conventu die 15 Iunii 1910, ap. Ephem. Liturg. 1910 pp. 645 ss. et praecise p. 652, ubi sic legitur:

« Quod si aliquando neque transpositio neque coniunctio hymnorum fieri possit, tunc iuxta mentem S. R. C. (decr. 11 Dec. 1903 Congr. Er. Cam. Montis Coronae ad 2 [i. e. n. 4126; et posset addi n. 4159[4]]) ex hymnis propriis ille omittitur, *qui est minoris momenti;* quod etiam docuerat Cavalerius (tit. 2, c. 39, d. 4 n., 5) ».

Hinc vix intelligo, cur Ephemerides tam acriter impetant quae scripsi.

Ceterum puto consectarium legitime decurrere. « Aliquid esse *maioris* vel *minoris momenti,* non idem videtur ac *proprium* et *non proprium* » (p. 57). Certe; at ex partibus propriis, seu in casu ex hymnis *propriis* alii maioris, alii minoris momenti esse possunt. Sane partes officiorum propriae ne omittantur, sed in casu impedimenti transponantur; sed ubi locus transpositioni non superest, ideoque pars propria, in casu unus ex hymnis *propriis,* omitti debet, aequitas iubet hymnum *minoris momenti* omitti, ut minima, quae possit esse, partium propriarum pereat.

Superest addere, quod casus practici erunt rari admodum.

FR. HECHT, VALLENDAR.

Libenter publici iuris facimus defensionem eximii viri Fr. X. Hecht, qui, sicut nonnulla scripsit in nostris Ephemeridibus, ita illi fas est omnino ut subiungat quae sibi bene videntur, contra adlaboratorem nostrum M. sicque veritas magis elucebit. Unum tantum nobis interest declarare, nempe, quod scripta in nostris Ephemeridibus edita, non pertinent ad Directionem, nisi quando nullam signaturam in fine articuli habent; itaque unicuique sit suum, et scriptoribus sua scripta signantibus, atque sponsoribus, in rebus disputabilibus, libertas. Rursus tamen, quod iam alias diximus, declaramus cum discretione disputationes nos recipere, ita ut res ad infinitum non deducantur. Ita, in casibus, circa quos iterum locutus est D. Hecht, videtur res satis utrinque enucleata, ut iam alii subsumptae non sit locus, nam vel Lectores iam de controversiis iudicare queunt, vel S. Sedes in novis Documentis certitudini providebit. Notum insuper praelaudato Domino facimus, nos omnibus dubiis ab ipso propositis iam responsionem paravisse, sed expectandum est tempus ut in Ephemeridibus locus illis commode praestetur.

DIRECTIO.

Appendix.

S. CONGREGATIO S. OFFICII

(SECTIO DE INDULGENTIIS)

DECRETUM

De indulgentiis et privilegiis expositioni Ss.mi Sacramenti adnexis.

Augetur in dies, auspicatissimo fervore, fidelium desiderium, publice expositum adorandi Ss.mum Eucharistiae Sacramentum, eadem mente qua iam vetus, a XL Horis nuncupatum, institutum almae Urbis ordinatur, et non dissimili apparatu. Attamen plurimae solent ad Apostolicam Sedem supplicationes porrigi, ut a Clementinae, quam vocant, Instructionis, ad rem datae, nonnullis conditionibus dispensetur, pro rerum locorumque adiunctis, praesertim vero ut nocturno tempore oratio et expositio ipsa interrumpatur, sive consuetis servatis indulgentiis ac privilegiis, sive novis peculiaribus attributis. Hisce mature consideratis, SS. D. N. D. Pius div. prov. Pp. X, quamvis summopere exoptet ut res iugiter ad tramitem Clementinae Instructionis componatur, maiori tamen prospicere volens fidelium emolumento, et ampliori cupiens animarum in Purgatorio degentium providere suffragio, plurimorum inclinatus sacrorum Antistitum voto, de E.morum Patrum Cardinalium Generalium Inquisitorum consulto,

feria V die 22 ianuarii 1914, ita decernere ac indulgere dignatus est:

I. Confirmantur iudulgentiae, quae per s. m. Pium Pp. IX, die 26 novembris 1876, pro Urbanis XL Horarum, vel ad earum tramitem ubilibet habendis, expositionibus determinatae sunt, ac privilegia altarium, per s. m. Pium Pp. VII, die 10 maii 1807, concessa.

II. Permittitur tamen ut ubi exercitium XL Horarum, iudice R.mo loci Ordinario, fieri nequeat prout ab Instructione Clementina exigitur, sit satis, ad effectum indulgentiarum et privilegii obtinendum, primo die sanctissimum Sacramentum, quacumque hora matutina, vel circa meridiem, publicae venerationi in ostensorio exponere, et perdurante ipso die et per diem alterum eiusmodi expositione, die tertio, meridie aut de sero, Idem deponere, quamvis noctu expositio interrumpatur.

III. Si aliquibus precibus vel exercitiis, quae a memoratis differant, sive publice sive privatim in ecclesiis vel oratoriis quibuslibet peragendis, eadem adnexa sunt indulgentiae ac privilegia, quae sub n. I citantur, quomodocumque concessa fuerint, penitus abrogantur.

IV. Ubi continua habetur almi Sacramenti solemnis item in ostensorio expositio, saltem per mensem, etiamsi de nocte interrupta, plenariam christifideles, confessi ac s. Synaxi refecti, et ad mentem Summi Pontificis pie orantes, indulgentiam assequi valeant, semel tantum in singulis hebdomadis; septem autem annorum et totidem quadragenarum, in alia quacumque, corde saltem contrito, peragenda visitatione. Celebrantibus

vero sacrosanctum Missae sacrificium in eadem ecclesia vel oratorio, privilegio altaris, in defuncti alicuius levamen, die quolibet gaudendi esto potestas.

V. Quotiescumque demum diverso modo provisum minime sit de aliqua indulgentia acquirenda, pro quavis alia venerabilis Eucharistiae palam expositae visitatione, tribuitur, quoties haec, corde saltem contrito, peragatur, indulgentia septem annorum totidemque quadragenarum.

VI. Omnes praedictae indulgentiae, per modum suffragii, animabus in Purgatorio degentibus, ad cuiuslibet arbitrium, applicari possunt.

Praesenti in perpetuum valituro, absque ulla Brevis expeditione. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

D. Card. Ferrata, *Secretarius.*

L. ✠ S.

† D. Archiep. Seleucien., *Adsessor S. O.*

Commentarium

Ad I. Indulgentiae, de quibus agitur, hae sunt: 1. Plenaria, semel in eodem temporis spatio quo expositio perdurat, ab iis lucranda qui visitationem Ss. Sacramenti peragunt, confessi et S. Synaxi refecti, et ad mentem Summi Pontificis orantes. Hoc intelligendum est in una eademque ecclesia, quia, si ego aliam visito ecclesiam, in qua similis habetur expositio, alteram, die altero, lucrari possum plenariam Indulgentiam. 2. Partialis *decem annorum et totidem quadragenarum,* pro qualibet visitatione corde saltem contrito peragenda. Quod respicit Indulgentias extra Urbem, pro tali exercitio lucrandas, eas extendit Leo s. m. XIII, per Rescriptum diei 8 Decembris an. 1897, dummodo expositio peragatur eodem more ac Romae.

Privilegium Altarium manet pro sola Urbe, quia non constat extensionem generalem umquam esse factam. Sunt plures extra Urbem ecclesiae quae eodem gaudent, sed ex speciali concessione. Neque fit hodie, praesenti Decreto, quia in eo, Indulgentiae confirmantur etiam pro expositionibus XL Horarum *ubilibet habendis,* at vero privilegia Altarium, uti fert syntaxis periodi, confirmantur prout a s. m. Pio Pp. VII concessa sunt; et hic non fit mentio de locis extra Urbem, quibus neque Leo XIII extendit istiusmodi privilegia.

Dubium nunc exoritur circa durationem Indulgentiarum, quas Pius VII, die 30 Iunii an. 1818, concessit, occasione expositionis XL Horarum, in favorem eorum, qui iaculatoriam precem: « Sia lodato e ringraziato ogni momento il Ss.mo e divinissimo Sacramento », ad indicationem horarum, quae fit sonitu campanae ecclesiae in qua habetur expositio, devote recitaverint. Quod nos attinet, ita ratiocinamur: Si confirmantur Indulgentiae a SS. PP. Pio IX et Leone XIII concessae, non tamen abrogantur aliae. Habetur in Decreto, n. III, aliqua abrogatio, sed haec respicit tantum preces vel exercitia, *quae a memoratis differant,* et Pii IX Indulgentiis gaudeant. Ergo non abrogantur Indulgentiae praedictae iaculatoriae. Verum, attendatur, quod id valet pro sola Urbe, quia Pius VII de iis tantum loqui potuit, neque extensio a Leone XIII vel ab alio Pii VII successore facta est. Decretum forte hac de causa nihil edixit circa iaculatoriam hanc, quia Decretum ipsum directe respiciebat expositionem SS. Sacramenti et eius visitationem; iaculatoria vero est quid fere extraneum, addititium, et insuper omnino privatum.

Ad II. Obiectum praecipuum Decreti, uti apparet ex eius praemissis, est conditio in qua plurimae ecclesiae versantur, qua nequeant sese Instructioni Clementinae in omnibus conformari, quaque coguntur, ne spirituales gratiae, optatissimo exercitio adnexae, exinde pereant, ad S. Sedem pro dispensatione vel alia provisione recurrere. His incommodis occurrit Decretum, hac n. II, dispositione, et 1. respicit tantummodo effectum *Indulgentiarum et privilegii Alta-*

ris; ergo nihil immutatur in ceteris, v. g. quoad privilegium Missarum votivarum solemnium, fere pro re gravi, quae nisi fiat expositio sicut in Instructione Clementina, dici nequeunt (1); 2. Verba *Sit satis,* indicant, nullam aliam specialem conditionem requiri, in casu et ad effectum, ut supra; ergo etiam Missa ad id non celebrata, uti clarius explicatur in locutione successiva, quae est de repositione: « meridie aut *de sero* ». Nobis certo constat Beatissimum Patrem voluisse istiusmodi relaxationibus dari *largissimam interpretationem;* ex quo factum est ut verba Decreti tam sint favorabilia.

Ad III. Hic sermo est non solum de expositionibus SS.mi Sacramenti, sed etiam de precibus, quae fiant intuitu lucrandi Indulgentias, et forsan privilegium, de quibus superius, n. I, agit Decretum, et non modo publice, sed etiam privatim, et edicitur eadem, Indulgentiae ac privilegium, penitus abrogari. Eiusmodi sunt visitationes SS.mi Sacramenti, quae in aliquibus, etiam almae Urbis, ecclesiis, vel quando Eucharistia clausa in tabernaculo manet, ditatae sunt iisdem Indulgentiis, ac illae, quae pro visitatione SS.mi Sacramenti in forma XL Horarum concessae reperiuntur. Censuit Summus Pontifex, quum hodie tam facile sit ad loca etiam dissita se conferre, tam abundanter pro variis pietatis exercitiis sit de gratiis spiritualibus provisum, relaxationes tanti ponderis, uti sunt illae de quibus diximus (visitatio SS mi in tabernaculo, pro alia publicae et solemnis expositionis XL Horarum), esse revocandas. Adde inconveniens circa interpretationem extensionis talis gratiae, quoad visitationem Sacramenti in tabernaculo, ut ad num. seq., et quidem a fortiori.

Ad IV. In aliquibus ecclesiis, in quibus SS.mum Sacramentum continuo expositum habetur, privilegium extabat

(1) Vide quoad hoc et omnia cetera, quae has expositiones respiciunt, nostrum commentarium in Instructionem Clementinam, sub titulo: *Liturgia Eucharistica,* Romae, Desclée etc.

Indulgentiarum, et forsan Altarium privilegiatorum, prout pro XL Horarum expositione. Eiusmodi Indulgentiae, utpote datae ad earum tramitem quae habentur pro expositione XL Horarum, vi praecedentis articuli abrogatae sunt. Et hoc factum est etiam ex eo quod dubia erat applicatio indulti; cum enim Indulgentia XL Horarum, adquiri non possit nisi semel in hac temporis periodo, varia erat ratio interpretandi, et eo usque nonnulli amplificabant privilegium, quasi hoc haberetur quotidie; dicebant enim: Pro *quotidiana* hac expositione datae sunt Indulgentiae XL Horarum, ergo quotidie Indulgentiae valent, et addebant: nil mirum, quia plus est *quotidie* Sacramentum exponere, quam per triduum. Nemo tamen non videt, quomodo exorbitans esset haec interpretatio. Ad dubia demum quaelibet semovenda, opportune venit nostrum hoc Decretum, quod speciales tribuit Indulgentias et privilegium pro expositione quotidiana.

Ad V. Firmae remanent concessiones Indulgentiarum, factae pro expositionibus SS.mi Sacramenti, quae in praecedentibus articulis non comprehenduntur, videlicet, datae non sint pro expositione XL Horarum, pro similibus, seu ad instar, pro expositione solemni quotidiana, nec non illae quae factae sunt *pro quavis alia venerabilis Eucharistiae palam expositae visitatione;* et si nulla, consequenter, invenitur concessio, pro publice et solemniter expositi SS.mi Sacramenti visitatione, occasione v. gr. alicuius mandati episcopalis, potest visitator indulgentiam adquirere septem annorum totidemque quadragenarum, ut consulitur hoc articulo.

An possit haec Indulgentia lucrifieri, in novendialibus vel similibus precibus, quae coram SS.mo publice exposito peraguntur, distinguendum est; si preces eiusmodi aliqua ditantur Indulgentia, et quis intendit eam lucrifacere, negative, cum Indulgentiae tunc cumulari non possint, si secus affirmative, visitatur quippe venerabile Sacramentum per ipsas preces.

M.

Appendix
ad Caeremoniale Parochorum

(Continuatio. Vide nn. 1, curr. anni pagg. 58-64)

3. Diaconus dum celebranti cochlear et thuribulum porrigit ab osculis se abstineat (1).
4. Post impositionem et benedictionem thuris, celebrans cum ministris, sine genuflexione, in supremum gradum descendunt, ita ut terga ss. Sacramento non vertant, et genuflectunt in ora suppedanei. Celebrans a diacono thuribulum accipit, et, sacris ministris posteriorem hinc inde planetam elevantibus, Sanctissimum triplici ductu et bino ictu, cum profunda capitis inclinatione ante et post incensationem (D. 3086) adolet. Deinde surgunt et ad altare rursum accedunt, ibique genuflectunt, et thurificationem altaris, non autem crucis, more solito perficiunt.
5. Expleta incensatione, celebrans stans adhuc in cornu epistolae, tradit thuribulum diacono, et, manibus iunctis, a parte laterali epistolae, ita vertens se ut faciem non avertat ab altari, descendit in supremum altaris gradum, vel in planum, iuxta consuetudinem, dummodo caveat ne terga vertat Sacramento (D. 2682[48]); et versus ad populum incensatur a diacono.
6. Post incensationem, celebrans, adstantibus ministris, conscendit in cornu epistolae ad legendum introitum. Dum cantatur ultimum *Kyrie*, celebrans cum ministris unus post alium procedunt in medium, ubi, facta genuflexione, celebrans hymnum angelicum intonat; et ad verbum *Deo* ministri genuflectunt, ascendunt suppedaneum ad latera celebrantis, quin iterent genuflexionem illuc cum pervenerint. Post recitatum hymnum, genuflectunt, et directe per partem epistolae procedunt ad scamnum (D. 4077[6]): sedentes non cooperiunt caput.
7. In fine hymni, accepto signo, assurgunt ministri, et per planum ante infimum altaris gradum procedunt (2); super quo gradu

---

(1) Omnia oscula fieri solita in missa solemni sine expositione, retinenda quoque sunt in hac missa, exceptis solummodo osculis cochlearis thuribuli et manus ad incensationem, nec non ad porrigendum et recipiendum biretum.

(2) Reverentiae, quae fieri solent in choro, honoris causa, omittuntur, non autem illae reverentiae quae potius ritus quam honoris causa fiunt; ex. gr. ad incensationem, ad pacem recipiendam, eaque data, etc.

genuflectunt unico genu, et ascendunt, sistentes unus post alium. Celebrans osculatur altare, iterum genuflectit (non autem ministri) (3); et cantat, conversus ad populum, ad cornu evangelii, *Dominus vobiscum:* deinde cum ministris genuflexionem repetit ante discessum ad cornu epistolae.

8. A cantu lectionis seu epistolae, fiunt omnia iuxta consuetum, usque dum celebrans incipiat legere evangelium, ad quod accedit, peracta in medio genuflexione ante et post *Munda cor meum*. Subdiaconus, post osculum manus celebrantis, transfert missale ad cornu evangelii, faciens ad utrumque latus ante et post genuflexionem: diaconus autem, stans adhuc in cornu epistolae, signat se signo crucis cum aliis initio evangelii; genuflectit deinde in loco ubi stat, et descendit in planum a parte epistolae; accipit evangeliarium, genuflectit ante altare super infimo gradu, et deposito libro in medio altaris, quin iteret genuflexionem, ibi consistit, donec celebrans evangelii lectionem expleverit.

9. Lecto evangelio, accedens prope medium altaris, ad cornu epistolae conversus, incensum de more imponit ac benedicit; ministri assistentes nullam interim faciunt genuflexionem. Incenso benedicto, celebrans ad medium altaris cum ministris convertitur, et omnes genuflectunt: thuriferarius autem et caeremoniarius descendunt in planum ad loca consueta.

10. Subdiaconus, conversus per dexteram suam descendit ante gradus altaris; diaconus vero convertit se per sinistram, et in ora suppedanei ante altare genuflexus, dicit *Munda cor meum*, mediocriter inclinatus; surgit, accipit librum et genuflectit ante celebrantem ut accipiat benedictionem, qua accepta osculatur celebrantis manum, surgit, simul cum eo genuflectit, et dum celebrans ad cornu epistolae accedit, ipse descendit ante infimum gradum.

11. A cantu evangelii usque ad symbolum omnia ut in aliis missis: et subdiaconus post evangelium, deferens librum osculandum, nullam reverentiam facit, in venerationem sancti evangelii, ut in missa sine expositione.

---

(3) Clarus A Carpo (*Caerem.* part. 2, n. 159, loquens de genuflexionibus, quas ministri sacri in missa solemni peragere debent, aperte docet: « Demum sive ante, sive post consecrationem est iugiter ab iisdem genuflectendum, quacumque vice celebrans genuflectit, *dummodo ad eius latus stent* ». De eadem sententia sunt Merati, Cavalieri, Martinucci, Baldeschi, aliique recentiores.

12. Postquam diaconus celebrantem incensaverit, revertitur celebrans cum ministris, unus post alium, in medium et genuflectunt suis locis unico genu. Intonato a celebrante *Credo in unum Deum,* ad verbum *Deum* ministri suis locis iterum genuflectunt, ascendunt suppedaneum ad latera celebrantis hinc inde, et recitant cum celebrante *Credo*. Si sedere velint, genuflectunt, et per breviorem ad scamnum accedunt. Post *Et incarnatus,* diaconus bursam deferens accedit ad altare, genuflectit in infimo gradu, ascendit, et explicat corporale super altaris mensam; deinde more solito, genuflectit in suppedaneo et descendit.

13. Post symbolum, ministri genuflectunt more solito super infimo gradu, et disponuntur unus post alium: celebrans osculatur altare, genuflexionem facit, et, dicto *Dominus vobiscum,* iterum genuflectit, factaque ab omnibus capitis inclinatione ad verbum *Oremus,* diaconus et subdiaconus genuflectunt in locis suis, primus suppedaneum conscendit ad dexteram celebrantis, secundus accedit ad credentiam, et accepto calice, genuflectit ad cornu epistolae, super infimo gradu; accepta deinde a diacono patena, antequam descendat genuflectit in suppedaneo, et non repetit genuflexionem cum in planum descendit (D. 4194[6]).

(*Continuabitur*).

PROPRIETAS LITERARIA

IMPRIMATUR

Fr. ALBERTUS LEPIDI O. P., S. P. A. Magister.

IMPRIMATUR

FRANCISCUS FABERJ, Vicariatus Urbis *Adsessor.*

AUGUSTUS ZUCCONI, Director Domus editricis Desclée et Soc., Romae, *Sponsor.*

Ex Officina Polygraphica Latiali, Fratrum Tempesta, Via Boccaccio, 7 - Roma

SPECIMEN

KALENDARII ECCLESIÆ UNIVERSALIS

PRO ANNO DOMINI 1915

Pascha occurrente die 4 Aprilis

SEPTEMBER

1. Fer. IV. *Alb.* **S. Aegidii Abb.** *simpl.* — Vesp. de seq. et Suffr.
2. Fer. V. *Alb.* **S. Stephani Reg. C.** *semid.* — In Vesp. Suffr.
3. Fer. VI. *Vir.* **De ea** — Vesp. de fer. (ut in Psalt.) a Cap. de seq. et Suffr.
4. Sabb. *Alb.* **De S. Maria in Sabbato** *simpl.* — Vesp. de seq. Dom. (Ant. et Pss. de Sabb. Cap. et rel. de Dom. ut in Psalt. et pr.) com. S. Laurentii Ep. C. et Suffr.

✠ 5. **Dom. XV. p. Pent. III. Sept.** *Vir.* **De ea** *semid.* — Vesp. de Dom. (ut in Psalt. et pr.) com. S. Laurentii et Suffr.

6. Fer. II. *Vir.* **De ea** — Vesp. de fer. (ut in Psalt.) et Suffr.
7. Fer. III. *Vir.* **De ea** — Vesp. de seq. sine com.

† 8. Fer. IV. *Alb.* **NATIVITAS B. M. V.** *dupl. 2. cl. cum Oct. simpl.* — In Vesp. nulla com.

9. Fer. V. *Rub.* **S. Gorgonii M.** *simpl.* — Vesp. de seq. sine com.
10. Fer. VI. *Alb.* **S. Nicolai de Tolentino C.** *dupl.* — In Vesp. com. seq. (ut in 1. Vesp. Nativit.) ac Ss. Proti et Hyacinthi Mm. (or. pr.).
11. Sabb. *Alb.* **De S. Maria in Sabbato** *simpl.* — Ad Mat. Invit. et Hymn. ut in festo Nativit. — Ant. Pss. et ℣. (omissis 1. et 2.) de Sabb. — Lectt. 1. et 2. de Scr. occ. cum suis ℟℟. Lect. 3. pr. loc. (de Sabb. post festum Nativit.) — Ad Laud. Ant. et Pss. de Sabb. Cap. et rel. ut in festo Nativit. com. Ss. Mm. et Suffr. — Ad Hor. omn. de Sabb. (Ad Prim. ℣. ℟. br. *Qui natus* et Prec.) Cap. et rel. ut in festo Nativit. —

Miss. ut in festo Nativit. Gl. 2. or. Ss. Mm. 3. de Sp. S. Praef. B. M. V. (*Et te in Festivitate*) — Vesp. de seq. Dom. (Ant. et Pss. de Sabb. Cap. et rel. de Dom. ut in Psalt. et pr.) com. SS. Nominis Mariae.

✠ 12. **Dom. XVI. p. Pent. III. Sept.** *Vir.* **De ea** *semid.* — Vesp. de Dom. (ut in Psalt. et pr.) com. SS. Nominis Mariae.

13. Fer. II. *Vir.* **De ea** — Vesp. de seq. sine com.

14. Fer. III. *Rub.* **Exaltatio S. Crucis** *dupl. mai.* — Vesp. de seq. com. praec.

15. Fer. IV. **Quatuor Temporum** *Alb.* **SEPTEM DOLORUM B. M. V.** *dupl. 2. cl.* — In Vesp. com. seq.

16. Fer. V. *Rub.* **Ss. Cornelii P. et Cypriani Ep. Mm.** *semid.* — — Vesp. de seq. com. praec.

17. Fer. VI. **Quatuor Temporum** *Alb.* **Impressio Sac. Stigmatum S. Francisci C.** *dupl.* — Vesp. de seq. com praec.

18. Sabb. **Quatuor Temporum** *Alb.* **S. Iosephi a Cupertino C.** *dupl.* — Vesp. de seq. Dom. (Ant. et Pss. de Sabb. Cap. et rel. de Dom. ut in Psalt. et pr.) com. praec ac Ss. Ianuarii Ep. et Soc. Mm.

✠ 19. **Dom. XVII. p. Pent. IV. Sept.** *Vir.* **De ea** *semid.* — Vesp. de Dom. (ut in Psalt. et pr.) com. seq.

20. Fer. II. **Vigilia S. Matthaei Ap. et Ev.** *Rub.* **Ss. Eustachii et Soc. Mm.** *dupl.* — Vesp. de seq. com. praec.

† 21. Fer. III. *Rub.* **S. MATTHAEI AP. et EV.** *dupl. 2. cl.* — In Vesp. com. seq.

22. Fer. IV. *Alb.* **S. Thomae de Villanova Ep. C.** *dupl.* — Com. SS. Mauritii et Soc. Mm. in Laud. et Miss. — In Vesp. com. seq. et S. Theclae V. M.

23. Fer. V. *Rub.* **S. Lini P. M.** *semid.* — Vesp. de seq. com. praec.

24. Fer. VI. *Alb.* **B. M. V. de Mercede** *dupl. mai.* — In Vesp. nulla com.

25. Sabb. *Alb.* **De S. Maria in Sabbato** *simpl.* — Vesp. de seq. Dom. (Ant. et Pss. de Sabb. Cap. et rel. de Dom. ut in Psalt. et pr.) com. Ss. Cypriani et Iustinae V. Mm. et Suffr.

✠ 26. **Dom. XVIII. p. Pent. V. Sept.** *Vir.* **De ea** *semid.* — Vesp. de Dom. (ut in Psalt. et pr.) com. seq. et Suffr.

27. Fer. II. *Rub.* **Ss. Cosmae et Damiani Mm.** *semid.* — Vesp. a Cap. de seq. com. praec. et Suffr.

28. Fer. III. *Rub.* **S. Wenceslai M.** *semid.* — Vesp. de seq. sine com.

† 29. Fer. IV. *Alb.* **DEDICATIO S. MICHAELIS ARCH.** *dupl. 2. cl.* — In Vesp. com. seq.

30. Fer. V. *Alb.* **S. Hieronymi C. D.** *dupl.* — In Vesp. com. seq.

OCTOBER

1. Fer. VI. *Alb.* **S. Remigii Ep. C.** *simpl.* — Vesp. de seq. sine com.
2. Sabb. *Alb.* **Ss. Angelorum Custodum,** *dupl. mai.* — Vesp. de seq. Dom. (Ant. et Pss. de Sabb. Cap. et rel. de Dom. ut in Psalt. et pr.) com. praec.

✠ 3. **Dom. XIX. p. Pent. I. Oct.** *Vir.* **De ea** *semid.* — Vesp. de Dom. (ut in Psalt. et pr.) com. seq.

4. Fer. II. *Alb.* **S. Francisci C.** *dupl. mai.* — In Vesp. com. seq.
5. Fer. III. *Rub.* **Ss. Placidi et Soc. Mm.** *simpl.* — Vesp. de seq. sine com.
6. Fer. IV. *Alb.* **S. Brunonis C.** *dupl.* — Vesp. de seq. com. praec.
7. Fer. V. *Alb.* **SS. ROSARII B. M. V.** *dupl. 2. cl.* — Com. S. Marci et Ss. Sergii et Soc. Mm. in Laud. et Miss. privat. — In Vesp. com. seq.
8. Fer. VI. *Alb.* **S. Birgittae Vid.** *dupl.* — In Vesp. com. seq.
9. Sabb. *Rub.* **Ss. Dionysii Ep., Rustici et Eleutherii Mm.** *semid.* — Vesp. de seq. Dom. (Ant. et Pss. de Sabb. Cap. et rel. de Dom. ut in Psalt. et pr.) com. praec., S. Francisci Borgiae C. et Suffr.

✠ 10. **Dom. XX. p. Pent. II. Oct.** *Vir.* **De ea** *semid.* — Vesp. de Dom. (ut in Psalt. et pr.) com. S. Francisci et Suffr.

11. Fer. II. *Vir.* **De ea** — Vesp. de fer. (ut in Psalt.) et Suffr.
12. Fer. III. *Vir.* **De ea** — Vesp. de seq. et Suffr.
13. Fer. IV. *Alb.* **S. Eduardi Reg. C.** *semid.* — Vesp. de seq. com. praec.
14. Fer. V. *Rub.* **S. Callisti I. P. M.,** *dupl.* — Vesp. a Cap. de seq. com. praec.
15. Fer. VI. *Alb.* **S. Teresiae V.** *dupl.* — In Vesp. com. seq.
16. Sabb. *Alb.* De **S. Maria in Sabbato** *simpl.* — Vesp. de seq. Dom. (Ant. et Pss. de Sabb. Cap. et rel. de Dom. ut in Psalt. et pr.) com. S. Hedwigis Vid. et Suffr.

✠ 17. **Dom. XXI. p. Pent. III. Oct.** *Vir.* **De ea** *semid.* — Vesp. de seq. com. Dom.

18. Fer. II. *Rub.* **S. Lucae Ev.** *dupl. 2. cl.* — In Vesp. com. seq.

19. Fer. III. *Alb.* **S. Petri de Alcantara C.** *dupl.* — Vesp. a Cap. de seq. com. praec.

20. Fer. IV. *Alb.* **S. Ioannis Cantii C.** *dupl.* — In Vesp. com. seq. ac Ss. Ursulae et Soc. Vv. Mm.

21. Fer. V. *Alb.* **S. Hilarionis Abb.** *simpl.* — Vesp. de fer. (ut in Psalt.) et Suffr.

22. Fer. VI. *Vir.* **De ea** — Vesp. de fer. (ut in Psalt.) a Cap. de seq. et Suffr.

23. Sabb. *Alb.* **De S. Maria in Sabbato** *simpl.* — Vesp. de seq. Dom. (Ant. et Pss. de Sabb. Cap. et rel. de Dom. ut in Psalt. et pr.) et Suffr.

✠ 24. **Dom. XXII. p. Pent. IV. Oct.** *Vir.* **De ea** *semid.* — Vesp. de Dom. (ut in Psalt. et pr.) com. seq. et Suffr.

25. Fer. II. *Rub.* **Ss. Chrysanti et Dariae Mm.** *simpl.* — Vesp. de fer. (ut in Psalt.) a Cap. de seq. et Suffr.

26. Fer. III. *Rub.* **S. Evaristi P. M.** *simpl.* — Vesp. de fer. (ut in Psalt.) et Suffr.

27. Fer. IV. **Vigilia Ss. Simonis et Iudae App.** *Viol.* **De ea** — Vesp. de seq. sine com.

† 28. Fer. V. *Rub.* **SS. SIMONIS et IUDAE APP.** *dupl. 2. cl.* — In Vesp. nulla com.

29. Fer. V. *Vir.* **De ea** — Lectt. *Igitur Eleazarus* (de Dom. V. Oct.) cum ℟℟. fer. curr. — Vesp. de fer. (ut in Psalt.) et Suffr.

30. Sabb. **Vigilia Omnium Sanctorum** *Viol.* **De ea** — Non dicitur Suffragium — Vesp. de seq. Dom. (Ant. et Pss. de Sabb. Cap. et rel. de Dom. ut in Psalt.) et Suffr.

✠ 31. **Dom. XXIII. p. Pent. I. Nov.** *Vir.* **De ea** *semid.* — Vesp. de seq. com. Dom.

NOVEMBER

✠ 1. Fer. II. *Alb.* **OMNIUM SANCTORUM** *dupl. 1. cl. cum Oct. comm.* — In Vesp. nulla com. — Dicto *Bened. D.no* dicunt. Vesp. et Compl. Defunctorum (pr. loc.).

2. Fer. III. *Nig.* **COMMEM. OMNIUM FIDELIUM DEFUNCTORUM**

dupl. — Off. pr. — Miss. pr. unica or. et Sequentia. — Vesp. de Oct. (Ant. et Pss. de fer. rel. ut in 1. Vesp. festi) sine com.

3. Fer. IV. *Alb* **De III. die infra Oct. Omn. Ss.** *semid.* — Vesp. de seq. com. Oct. ac Ss. Vitalis et Agricolae Mm.
4. Fer. V. *Alb.* **S. Caroli Ep. C.** *dupl.* — In Vesp. com. Oct. (ut in 1. Vesp. festi).
5. Fer. VI. *Alb.* **De V. die infra Oct. Omn. Ss.** *semid.* — Vesp. de Oct. (Ant. et Pss. de fer. rel. ut in 2. Vesp. festi).
6. Sabb. *Alb.* **De VI. die infra Oct. Omn. Ss.** *semd.* — Vesp. de seq. Dom. (Ant. et Pss. de Sabb. Cap. et rel. de Dom. ut in Psalt. et pr.) com. Oct.

Dom. II. Novembris cum sua hebdomada hoc anno omittitur.

✠ 7. **Dom. XXIV. p. Pent. (V. quae superfuit p. Epiph.) III. Nov.** *Vir.* **De ea** *semid.* — Vesp. de Dom. (ut in Psalt. et pr.) com. Oct. (ut in 1. Vesp. festi) ac Ss. Quatuor Coronatorum Mm.

8. Fer. II. *Alb.* **Octava Omnium Sanctorum** *dupl. mai.* — Vesp. de seq. com. Oct.
9. Fer. III. *Alb.* **DEDICATIO ARCHIBASILICAE LATERANENSIS quae Omnium Ecclesiarum Urbis et Orbis est Mater et Caput** *dupl. 2. cl.* — In Vesp. com. seq.
10. Fer. IV. *Alb.* **S. Andreae Avellini C.** *dupl.* — Vesp. a Cap. de seq. com. praec. ac S. Mennae M.
11. Fer. V. *Alb.* **S. Martini Ep. C.,** *dupl.* — In Vesp. com. seq.
12. Fer. VI. *Rub.* **S. Martini I. P. M.** *semid.* — Vesp. a Cap. de seq. com. praec. et Suffr.
13. Sabb. *Alb.* **S. Didaci C.** *semid.* — Vesp. de seq. Dom. (Ant. et Pss. de Sabb. Cap. et rel. de Dom. ut in Psalt. et pr.) com. praec. ac S. Iosaphat Ep. M.

✠ 14. **Dom. XXV. p. Pent. (VI. quae superfuit p. Epiph.) IV. Nov.** *Vir.* **De ea** *semid.* — Vesp. de Dom. (ut in Psalt. et pr.) com. seq. ac S. Iosaphat.

15. Fer. II. *Alb.* **S. Gertrudis V.** *dupl.* — In Vesp. nulla com.
16. Fer. III. *Vir.* **De ea** — Vesp. de seq. et Suffr.
17. Fer. IV. *Alb.* **S. Gregorii Thaumaturgi Ep. C.** *semid.* — Lectt. 1. Noct. *Incipit Amos* (de fer. V. seq.) cum ℟℟. de fer. curr. — Vesp. de seq. com. praec.

18. Fer. V. *Alb.* **Dedicatio Basilicarum Ss. Petri et Pauli App.** *dupl. mai.* — In Vesp. com. seq. et S. Pontiani P. M.
19. Fer. VI. *Alb.* **S. Elisabeth Vid.** *dupl.* — Vesp. a Cap. de seq. com. praec.
20. Sabb. *Alb.* **S. Felicis de Valois C.** *dupl.* — Vesp. de seq. Dom. (Ant. et Pss. de Sabb. Cap. et rel. de Dom. ut in Psalt. et pr.) com. praec. ac Praesentationis B. M. V.

✠ 21. **Dom. XXVI. et ultima p. Pent. (sub num. XXIV.) V. Nov.** *Vir.* **De ea** *semid.* — Vesp. de Dom. (ut in Psalt. et pr.) com. seq. ac Praesentationis B. M. V.

22. Fer. II. *Rub.* **S. Caeciliae V. M.** *dupl.* — Vesp. a Cap. de seq. com. praec. et S. Felicitatis M.
23. Fer. III. *Rub.* **S. Clementis I. P. M.** *dupl.* — Lectt. 1. Noct. 1. *Incipit Nahum* (de fer. II. praec.) 2. et 3. *Incipit Habacuc* (de fer. curr.) cum ℟℟. de fer. curr. — Vesp. de Comm. et pr. a Cap. de seq. com. praec. ac S. Chrysogoni M.
24. Fer. IV. *Alb.* **S. Ioannis a Cruce C.** *dupl.* — Vesp. a Cap. de seq. com. praec.
25. Fer. V. *Rub.* **S. Catharinae V. M.** *dupl.* — Vesp. a Cap. de seq. com. praec. ac S. Petri Alexandrini Ep. M.
26. Fer. VI. *Alb.* **S. Silvestri Abb.** *dupl.* — In Vesp. com. seq.
27. Sabb. *Alb.* **De S. Maria in Sabbato** *simpl.* — Vesp. de seq. Dom. (Ant. de Laud. Pss. de Sabb. rel. pr.).

✠ 28. **DOM. I. ADVENTUS** *1. cl. Viol.* **De ea** *semid.* — Vesp. de Dom. (ut in Psalt. et pr.) com. S. Saturnini M.

29. Fer. II. **Vigilia S. Andreae Ap.** (de qua nihil in Off.) *Viol.* **De ea** — Vesp. de seq. com. fer.

† 30. Fer. III. (*Rub.*) **S. Andreae Ap.** *dupl. 2. cl.* — In Vesp. com. fer.

DECEMBER

1. Fer. IV. *Viol.* **De ea** — Vesp. de seq. com. fer.
2. Fer. V. *Rub.* **S. Bibianae V. M.** *semid.* — Vesp. de seq. comm. praec. et fer.
3. Fer. VI. *Alb.* **S. Francisci Xaverii C.** *dupl. mai.* — In Vesp. com. seq. fer. ac S. Barbarae V. M.
4. Sabb. *Alb.* **S. Petri Chrysologi Ep. C. D.** *dupl.* — Vesp. de

seq. Dom. (Ant. de Laud. Pss. de Sabb. rel. pr.) com. praec. ac S. Sabbae Abb.

✠ 5. **DOM. II. ADVENTUS** *2. cl. Viol.* **De ea** *semid.* — Vesp. de Dom. (ut in Psalt. et pr.) com. seq.

6. Fer. II. *Alb.* **S. Nicolai Ep. C.** *dupl.* — Vesp. a Cap. de seq. com. praec. et fer.

7. Fer. III. **Vigilia Imm. Concept. B. M. V.** (de qua nihil in Off.) *Alb.* **S. Ambrosii Ep. C. D.** *dupl.* — Vesp. de seq. com. fer.

✠ 8. Fer. IV. *Alb.* **IMMACULATA CONCEPTIO B. M. V.** *dupl. 1. cl. cum Oct. comm.* — In Vesp. com. fer.

9. Fer. V. *Alb.* **De II. die infra Oct. Imm. Concept.** *semid.* — Vesp. de Oct. (Ant. et Pss. de fer. rel. ut in II. Vesp. festi) com. fer. ac S. Melchiadis P. M.

10. Fer. VI. *Alb.* **De III. die infra Oct. Imm. Concept.** *semid.* — Vesp. de seq. com. Oct. ac fer.

11. Sabb. *Alb.* **S. Damasi I. P. C.** *semid.* — Vesp. de seq. Dom. (Ant. de Laud. Pss. de Sabb. rel. pr.) com. praec. et Oct. — Ab his Vesp. et per tot. seq. diem omittit. doxol. Octavae.

✠ 12. **DOM. III. ADVENTUS** *2. cl. Viol.* **De ea** *semid.* — Ad Prim. ℣. ℟. br. *Qui venturus* — Vesp. de Dom. (ut in Psalt. et pr.) com. seq. et Oct.

13. Fer. II. *Rub.* **S. Luciae V. M.** *dupl.* — In Vesp. com. Oct. (ut in 1. Vesp. festi) ac fer.

14. Fer. III. *Alb.* **De VII. die infra Oct. Imm. Concept.** *semid.* — Vesp. de Oct. (Ant. et Pss. de fer. rel. ut in 1. Vesp. festi) com. fer.

15. Fer. IV. **Quatuor Temporum** *Alb.* **Octava Immaculatae Conceptionis B. M. V.** *dupl. mai.* — In Missa non legitur ultimum Evang. Feriae — In Vesp. (Ant. et Pss. de fer. ut in 2. Vesp. festi) com. seq. et fer.

16. Fer. V. *Rub.* **S. Eusebii Ep. M.** *semid.* — In Vesp. com. fer.

17. Fer. VI. **Quatuor Temporum** *Viol.* **De ea** — Ad Laud. et per Hor. Ant. *Constantes* — Vesp. de fer. (ut in Psalt. et pr.) ad *Magnif.* Ant. *O Sapientia* (quae duplicatur) et Prec. ferial.

18. Sabb. **Quatuor Temporum** *Viol.* **De ea** — Ad Laud. et per Hor. Ant. *Intuemini.* — Vesp. de seq. Dom. (Ant. de Laud. Pss. de Sabb. rel. pr.) ad *Magnif.* Ant. *O Adonai* (quae duplicatur).

✠ 19. **DOM. IV. ADVENTUS** *2. cl. Viol.* **De ea** *semid.* — Vesp.

de Dom. (ut in Psalt. et pr.) Ad *Magnf.* Ant. *O Radix* (quae duplicatur).

20. Fer. II. **Vigilia S. Thomae Ap.** (de qua nihil in Off.) — *Viol.* **De ea** — Ad Laud. et per Hor. Ant. *Ecce veniet* — Vesp. de seq. com. fer. Ant. *O Clavis.*

† 21. Fer. III. *Rub.* **S. THOMAE AP.** *dupl. 2. cl.* — Ad *Bened.* Ant. *Nolite timere* — In Vesp. com. fer. (Ant. *O Oriens*).

22. Fer. IV. *Viol.* **De ea** — Ad Laud. et per Hor. Ant. *Prophetae* — Vesp. de fer. (ut in Psalt. et pr.) ad *Magnif.* Ant. *O Rex* (quae duplicatur) et Prec. ferial.

23. Fer. V. *Viol.* **De ea** — Ad Laud. et per Hor. Ant. *De Sion* (Ad *Bened.* Ant. *Ecce completa* — Vesp. de fer. (ut in Psalt. et pr.) ad *Magnif.* Ant. *O Emmanuel* (quae duplicatur) et Prec. ferial.

24. Fer. VI. **VIGILIA NATIVITATIS** *1. cl. Viol.* **De ea** — Vesp. de seq. sine com.

✠ 25. Sabb. *Alb.* **NATIVITAS D. N. I. C.** *dupl. 1. cl. cum Oct. privil. 3. Ord.* — In 2. Missa (etiam solemni) fit com. S. Anastasiae. — In Vesp. com. seq.

† 26. **Dom.** (vacat) *Rub.* **S. STEPHANI PROTO-MART.** *dupl. 2. cl. cum Oct. simpl.* — Vesp. de Nativ. a Cap. de S. Stephano, com. seq. et Oct. Nativ.

† 27. Fer. II. *Alb.* **S. IOANNIS AP. ET EV.** *dupl. 2. cl. cum Oct. simpl.* — Vesp. de Nativ. a Cap. de S. Ioanne com. seq. et Oct. Nativ.

† 28. Fer. III. *Viol.* **Ss. INNOCENTIUM Mm.** *dupl. 2. cl. cum Oct. simpl.* — Vesp. de Nativ. a Cap. de Ss. Innocentibus com. seq. et Oct. Nativ.

29. Fer. IV. *Rub.* **S. Thomae Ep. M.** *dupl.* — Vesp. de Nativ. a Cap. de seq. Dom. com. praec. et Oct. Nativ.

30. Fer. V. *Alb.* **De Dom. infra Oct. Nativ.** *semid.* — Vesp. de Nativ. a Cap. de Dom. com. seq. et Oct. Nativ.

† 31. Fer. VI. *Alb.* **S. Silvestri I. P. C.** *dupl.* — Vesp. de Circumcisione Domini, sine com.

ERRATA-CORRIGE.

1. In titulo Kalendarii dicitur pro anno Domini 1914; et legendum est 1915.
2. Verba quae leguntur die 2 ianuarii: *Com. oct. S. Ioannis in laud. et miss. privat.* posita erant in originali die 3 ianuarii, et ideo in ipsam diem 3 reponenda sunt.
3. Die 22 ianuarii dicitur *com. seq.* legendum vero est *com. praec.*

Expositio Rubricarum.

COMMENTARIUM

in novissimas Rubricas iuxta Motu proprio SS. D. N. Pii Pp. X " Ab hinc duos annos „ et subsequens S. R. C. Decretum 28 Octobris 1913 emendatas.

(Continuatio. V. num. 3 curr. anni, pagg. 123-156).

Tit. IV - De Festorum occurrentia accidentali eorumque translatione.

1. De Dominicis maioribus I classis, quodvis Festum in eis occurrat, semper faciendum est Officium; Dominicae vero II classis cedunt tantummodo Festis Duplicibus I classis, quo in casu de Dominica fit Commemoratio in utrisque Vesperis et Laudibus, cum IX Lectione et Matutinum.

2. De Dominicis minoribus seu per annum, semper fieri debet Officium, nisi occurrat aliquod Duplex I vel II classis, aut quodvis Festum novem Lectionum Domini, non autem eorum dies Octava; et, in casu, in Officio Festi, fit Commemoratio Dominicae in utrisque Vesperis et Laudibus, cum IX Lectione ad Matutinum (26). Excipiuntur tamen Dominicae infra Octavas privilegiatas, in quibus Officium fieri nequit de Festis, quae infra ipsas Octavas prohibentur (27). Itemque excipiuntur Dominicae a die 25 ad 28 Decembris aut in die Octava Epiphaniae occurrentes, et Dominica impedita vel a superveniente Septuagesima

vel a Dominica ultima post Pentecosten, de quibus omnibus fit Officium ut habetur in propriis Rubricis: nec non Dominica occurrens a die 1 ad 6 Ianuarii, vel die 7 a superveniente Dominica infra Octavam Epiphaniae impedita, cuius Officium fit in Vigilia Epiphaniae, et in qua, nisi a nobiliori Officio impediatur, celebratur Festum Ss.mi Nominis Iesu (28).

(26) Paululum mutata fuit rubrica ista, seu potius melius ordinata, ut comparantibus patebit. Ablata fuit mentio commemorationis dominicae in missa, non quia sit omittenda, sed quia rubricae istae eduntur in breviario, pro quo solummodo inserviunt, non vero pro missali.

Item ex rationibus infra dicendis, in die octava festorum Domini, quae non sint privilegiata, licet occurrat in dominica minori, officium agitur de dominica, cum commemoratione diei octavi.

(27) *Excipiuntur tamen Dominicae infra Octavas privilegiatas, in quibus fieri nequit de Festis, quae infra ipsas Octavas prohibentur.* Exceptio ista ponenda erat, quia, ex. gr. in dominica infra octavam Corporis Christi occurrere potest aliquod festum Domini sub ritu duplici 2 classis, vel maioris; cum autem haec dominica sit ex minoribus, aliquis censere potuisset quod in ipsa quoque celebrari liceret festum Domini huiusmodi: attamen, quia in casu dominica participat iuribus octavae, quae non admittit nisi duplicia 1 classis, ad praecavendum dubium omne, exceptio huiusmodi posita fuit.

(28) *Item excipiuntur Dominicae a die 25 ad 28 Decembris etc.* Dominicae, quae occurrere possunt a die 25 decembris usque ad 14 ianuarii, sunt pariter minores; ipsae tamen reguntur specialibus legibus, quae habentur in breviario suis locis propriis. Omissa quoque hic fuit mentio lectionum j et ij nocturni, quae dicendae sunt die 30 decembris, quando in eo fit de infra octavam, uti habetur in prima huius rubricae constructione, eo quod in breviario typico nunc lectiones propriae sunt additae.

3. Duplicia I et II classis quae ab alio nobiliori Officio impediuntur, transferenda sunt in proximiorem insequentem diem quae libera sit ab alio Festo Duplici I vel II classis, a Dominica occurrenti, a Vigilia privilegiata, et ab aliis Officiis quae huiusmodi Festa respective excludant (29).

(29) Nil additum vel mutatum fuit in hac rubrica, vide ergo quae de ea scripsimus in Commentario (notis 38, 39 et 40).

4. Festa Duplicia maiora aut minora et Semiduplicia, si quando sint impedita, non transferuntur, sed commemorantur, aut penitus omittuntur, ut dicitur in tit. VII *de Commemorationibus* (30).

(30) In novis rubricis, simul cum Constitutione « Divino afflatu » prima vice editis, necessario nonnulla exprimenda erant, quae relationem habebant cum antiquis, in quantum aliquae dispositiones erant mutandae. Hinc est propterea, quod hoc loco in eis dicebatur: « Duplicia maiora cuiusvis dignitatis (scilicet et festa Domini), et duplicia minora doctorum ecclesiae, non amplius transferri possunt »: quae praescriptio, ut patet, hodie in breviarii rubricis, peroptime contracta est, atque, ne inutiliter repetantur ea quae respiciunt commemorationes, opportune mittitur lector ad Titulum VII de *Commemorationibus*.

5. Porro si in Dominicis maioribus quae sub ritu Semiduplici aut Duplici maiori recoluntur, occurrat Officium Duplex maius aut minus, vel Semiduplex, vel Simplex, fit de Dominica cum Commemoratione Officii occurrentis, iuxta Rubricas, omissa IX Lectione historica. Idem fit in Dominicis minoribus, nisi in eis occurrat Festum quodcumque Domini, aut quodvis

Duplex I vel II classis, quo in casu, ut supra num. 2 dictum est, fit de Festo, cum Commemoratione et IX Lectione Dominicae.

6. Dies, in qua celebratur Commemoratio omnium Fidelium Defunctorum, excludit tum Festa occurrentia quae non sint Duplicia I classis, tum Festa transferenda cuiusvis ritus (31).

(31) Vide quae circa rubricas istas 5, 6 et 7, exposuimus in Commentario (notis 44 et 45). In hac tamen ultima revisione, exclusum fuit a dominica officium de die octava Domini, ita ut nunc in casu, fieri debeat officium dominicae cum commemoratione diei octavi.

7. Quando occurrunt accidentaliter duo Festa quae transferri non valeant iuxta Rubricas, vel duae Octavae, in honorem eiusdem Personae, fit Officium de Festo vel de Octava nobiliori, omissa, nisi agatur de mysteriis Domini diversis, Commemoratione alterius. Similiter, si infra aliquam Octavam communem, vel in die ipsa Octava, etiam Simplici, occurrat Festum cuiusvis ritus de eadem Persona, fit Officium de Festo, sub ritu tamen et cum privilegiis ipsi Octavae convenientibus, nisi tamen Festum sub altiori ritu sit celebrandum, et omissa vel addita Commemoratione Octavae, ut supra. Si occurrat vero Festum aliquod infra aliquam Octavam privilegiatam de eadem Persona, aut in ipsa die Octava, fit de Officio mobiliori iuxta Rubricas, et omittitur vel additur Commemoratio alterius, pariter ut supra (32).

(32) Circa occurrentiam duorum festorum vel diei octavi cum festo, aut duarum octavarum quae ad eamdem personam pertineant, vide notam 45 nostri Commentarii. Nunc

autem aliquid novi adiectum est, nimirum verba quae dicunt si infra octavam aliquam communem, vel in die ipsa octava etiam simplici, occurrat festum cuiusvis ritus de eadem persona, fit officium de festo, cum ritu tamen et cum privilegiis ipsi octavae convenientibus.

Ut additio huiusmodi recte intelligatur, sit exemplum: sabbato ante dominicam ultimam septembris occurrit in tua dioecesi festum translationis insignis reliquiae s. Matthaei apostoli sub ritu duplici minori: cum autem festum principale eiusdem sancti apostoli patroni celebretur cum octava, quando dies octavus incidit in dicto sabbato, loco officii diei octavi, agitur officium de translatione, et quidem, non sub suo ritu duplici minori, sed maiori, quod pertinet diei octavo, cum iisdem privilegiis, ita ut tam in occurrentia quam in concurrentia officium translationis praeferatur, in casu, quibusvis officis minoris dignitatis, quae cederent diei octavo, festivitatis S. Matthaei.

Quod si ageretur de duobus Domini festis, vel de festo, et de die octavo eiusdem, eadem lex sequenda esset, nisi vel duo festa Domini occurrentia, vel festum et dies octavus, eiusdem essent mysterii: si enim diversa sint mysteria, tunc in officio celebrato fit commemoratio alterius.

8. Dies Octava cuiusvis Festi accidentaliter impediti non transfertur, sed sua die celebratur aut omittitur iuxta Rubricas, excepta tamen Octava sanctissimi Nominis Iesu, sicubi fuerit celebranda, quae per octo dies agitur ab ipso Festo computandos, etiam si hoc, extra Dominicam, die 2 Ianuarii recolatur (33).

(33) Dies octavus transferri procul dubio nequit, alioquin amplius non esset octavus dies, sed nonus vel decimus. Ratio autem exceptionis pro octava Ss.mi Nominis Iesu, quae hoc loco ponitur, in hoc sita est, quia festum istud non habet sedem fixam proprie dictam, sed celebrari potest diebus 2, vel 3, vel 4 aut 5 ianuarii, ideoque, octava eius regulariter computatur a die in qua festum celebratum fuit.

Tit. V – De Festorum occurrentia perpetua eorumque repositione.

1. Festa ritus Duplicis sive maioris sive minoris aut Semiduplicis universalis Ecclesiae, sive fixa sive mobilia, sicubi perpetuo impediantur, non reponuntur, sed die sua commemorantur vel omittuntur, ut dicitur titulo VII De Commemorationibus (34). Idem servatur de Festis alicuius Nationis, vel Dioecesis, vel Ordinis, vel Instituti, quae pariter, si in aliqua particulari Ecclesia suo die impediantur, commemorantur vel omittuntur, ut supra (35). Festa vero propria alicuius Nationis, Dioecesis, Ordinis, Instituti vel particularis Ecclesiae, quae in tota Natione, Dioecesi, Ordine vel Instituto aut in sua particulari Ecclesia respective impediantur, reponuntur in proximiori sequenti die libera, iuxta Rubricas (36).

(34) Inter vota, circa emendationem breviarii, in Vaticano concilio exhibita, illud quoque fuit, ut e medio tollerentur nimis frequentes translationes sanctorum (Cf. *Coll. Lac. concil.* t. VII. p. 874). Leo xiij partim voto ipsi satis fecit, per decretum suum *Nullo umquam*, diei 28 iulii 1883, quo accidentales translationes duplicium minorum, exceptis doctoribus, et semiduplicium abrogavit; de qua abrogatione vide quae in nota 46 nostri Commentarii in bullam « Divino afflatu » egimus. Nunc autem, non tantum ut praedictum votum vaticanum, nec non et recentiores supplicationes Episcoporum plenius exaudirentur, sed et desiderium antiquorum adimpleretur, Ss. D. N. Pius x statuit, ut deinceps, duplicia sive minora sive maiora, et semiduplicia, etiam perpetuo impedita, reponi non amplius possint, sed tantum in sua die commemorentur.

Neque quis dicat hoc modo penitus aboleri festa Sanctorum, perpetuo impedita a nobiliori festo; etiam antiquitus,

quando scilicet dabatur repositio duplicium maiorum et minorum, ac semiduplicium, *festum* sancti impediti in sua die remanebat, et ulterius non transferebatur nisi *officium*. Sit exemplum. Romae die 19 iulii celebratur *festum* s. Symmachi papae confessoris, et *officium* s. Vincentii a Paulo die 27 eiusdem mensis; attamen fideles romani, qui venerantur hunc sanctum omnium operum charitatis patronum, *festum* eius celebrabant sua die 19, licet *officium* recitaretur a clero in die reposita. Quapropter, hodie etiam, post huiusmodi officiorum repositionem ablatam, melius obtinentur duo bona, quae in celebratione festorum et officiorum sibi proponit ecclesia.

Primum bonum est ut populus christianus sanctos colat, eosque roget, eorumque patrocinium imploret; quod nunc melius quam antea obtinetur; nam prius de sancto cuius *officium* transferebatur, nihil in sua die agebatur, nec ipsa commemoratio, nunc vero et in officio et in missa optime commemoratur, ideoque populus in propria sua die *festum* celebrans sancti impediti, audit in officiis et in missa nomen ipsius. Secundum bonum est, ut clerus in recitatione officii, exemplis erudiatur illius sancti, de quo officium recitat, maxime per lectiones historicas. Re sane vera, si res bene consideretur, ut plurimum, sancti, quorum abrogata est repositio, in officio non habent proprias nisi lectiones et orationes; paucissimi enim sunt sancti cum officio proprio, qui transferri non possunt; reliqua omnia sunt de communi; ergo clerus, non amplius recitans officium translatum de aliquo sancto, amittit tantum partes de communi, quas centies dicit et repetit per annum; dum orationes et lectiones historicas proprias recitat, et quidem in sua die; ergo non sunt audiendae querimoniae illorum, qui lamentantur omissionem officiorum sanctorum qui non amplius transferri possunt.

Qui ergo Romae conqueruntur abrogationem repositionis perpetuae officiorum, eo quod officia, praesertim s. Vincentii a Paulo praedicti, ac s. Alphonsi de Ligorio aliorumque, non amplius recitantur in repositis diebus ut antea,

videant e contra, an conditio venerationis sanctorum huiusmodi Romae hodie in melius versa non fuerit; nam de iis, in sua propria respectiva die, in qua revera populus festum concelebrat, agitur saltem commemoratio, imo et missa ad libitum sacerdotis celebratur.

Notandum est insuper, quod sub Leone xiij, de duplicibus minoribus et semiduplicibus, quando accidentaliter impediebantur, nihil prorsus agebatur in duplicibus 1 classis, dum in huiusmodi festis, si occurreret dies octavus etiam duplicis 2 classis, de eo agenda erat commemoratio; de ista parum iustificata differentia, vide quae docuimus in nostra Expositione Rubricarum (Vol. 2 pag. 274 nota 266). Hodie vero, tam in occurrentia perpetua, quam in accidentali, in duplicibus 1 classis, exceptis festis primariis Domini universalis ecclesiae, fit commemoratio tam de duplici maiori et minori ac semiduplici simplificato, quam de die octavo ritus duplicis. Hoc iam praescriptum fuerat a S. R. C. in suo decreto 11 martii 1837 (n. 4810 ant. coll.) de officiis impeditis, pro quibus intra anni terminum locus non erat pro translatione, quorum commemoratio agenda erat cum ix lectione historica etiam in duplicibus 1 classis, exceptis tantummodo solemnitatibus Paschatis et Pentecostes.

Huiusmodi ergo dispositio in novissimis rubricis optime ac opportunissime restituta fuit, hac tamen ratione, quod in duplicibus 1 classis, commemoratio fieret tantummodo ad laudes et in missis lectis, prout antiquae et novae rubricae praescribunt de simplici in duplicibus 2 classis. Quod si commemoratio prohibetur in duplicibus 1 classis Domini universalis ecclesiae, nempe in Nativitate Domini, et in Epiphania, in Paschate cum tribus praecedentibus et duobus sequentibus diebus, in Ascensione, in Pentecoste cum duobus diebus sequentibus, in festis S.mae Trinitatis et Corporis Christi, notandum est, quod duo priora tantum, sunt festa fixa, reliqua mobilia; quapropter in Nativitate et in Epiphania impossibilis est occurrentia alius festi, ideoque perpetuum impedimentum non datur, ita ut de aliquo officio neque com-

memoratio unquam fieri possit; quod si in reliquis solemnitatibus mobilibus commemoratio sit prohibita, hoc parvum incommodum importat, eo quod, si in obsequium maiorum solemnitatum Domini, nulla agatur commemoratio alicuius sancti, id occurrere potest tantummodo aliquo anno de eodem sancto, ut patet.

Ad hoc quod attinet in mentem redeunt verba s. Augustini (Serm. 332), quae habuit in festo s. Leontii eo anno quo contigit eadem die cum Ascensione Domini: « hodiernum diem Ascensionis ipsius Christi celebramus, occurrit autem huic ecclesiae alia vernacula solemnitas; Conditoris ecclesiae huius, sancti Leontii, hodie depositio est, sed dignetur obscurari stella a Sole; ergo de Domino potius loquamur, gaudeat servus quando laudatur Dominus ». Parum ergo interest si aliquo anno tantummodo, non semper, nonnullus sanctus careat commemoratione in solemnissimis Domini festivitatibus; eo in casu *gaudet servus, dum laudatur Dominus.*

Ceterum notandum est quoque quamplurimos haberi sanctos, et quidem celeberrimos, qui in martyrologio continentur, et quotidie eorum nomina leguntur in choro; imo, quamplurimi alii, qui in appendicibus particularibus ipsius martyrologii inveniuntur, de quibus nil unquam fit in universali ecclesia; itaque bene possunt nonnulla officia omitti aliquibus locis, quae iam per universam ecclesiam celebrantur, eo vel magis, quia de eis saltem fieri debeat commemoratio.

Nunc ergo, cum eaedem sint leges translationis, sive in occurrentia perpetua sive in accidentali, sicut erant ante Leonem xiij, unica quoque redigenda est tabella pro occurrentia, quod iam factum videmus in coepta editione typica breviarii romani.

(35) *Idem servatur de festis alicuius Nationis, vel Dioecesis, vel Ordinis, vel Instituti, quae pariter, si in aliqua particulari ecclesia sua die impediantur, commemorantur vel omittuntur ut supra.* Ubi eadem est ratio, eadem quoque est legis

dispositio. Igitur, si ex gr. festum s. Remigii episcopi confessoris, qui die 1 octobris, per totam Galliam celebratur sub ritu duplici, in aliqua dioecesi impediatur a nobiliori festo, non transfertur, ut antea, sed in ista dioecesi tantum commemoratur. Item, si festum s. Sabini episcopi qui celebratur die 17 ianuarii per totam dioecesim placentinam, in aliqua ecclesia dicata s. Antonio ab. impediatur, non transfertur, sed eadem die commemoratur; si aliter esset, frustra rubricae perpetuas translationes abrogassent.

(36) *Festa vero propria alicuius Nationis etc. vel particularis ecclesiae, quae in tota natione etc. aut in sua particulari ecclesia respective impediantur, reponuntur in proximiori insequenti die libera iuxta rubricas.* Optime iustificata est huiusmodi dispositio. *Festum* proprium omnino celebrari debet, et non tantum eius *officium* recitari; quod si perpetuo festum proprium meae ecclesiae perpetuo impediatur a festo nobiliori universalis ecclesiae, si de eo agere debuerim tantummodo commemorationem, penitus abolitum esset eius *festum*.

Quod id fiat, uti explicavimus, aliquo in loco, dum in tota natione vel dioecesi, vel ordine, revera celebratur, non multi refert; si vero hoc idem fieri deberet etiam quando festum meum proprium impediatur, nullibi festum ipsum celebraretur. Hinc, ex. gr. Romae die 6 augusti perpetuo impeditur festum s. Xysti ij Papae et martyris, a Transfiguratione Domini; cum autem sit festum proprium ecclesiae romanae, et sicut alii pontifices ritu duplici celebrandum sit, alia die reponitur, ne, uti diximus, festum perpetuo pereat.

Similiter, eadem ex ratione, si sanctus aliquis proprius totius ordinis, in aliqua provincia impediatur a festo ipsius provinciae proprio, non trasfertur, sed in sua die commemoratur, ut supra dictum est. Licet ergo in rubrica ista, quam exponimus, casus iste explicite non exhibeatur, nihilominus sine ulla errandi formidine applicari debet eadem ista dispositio.

2. Festa fixa duplicia I et II classis perpetuo impedita reponuntur, tamquam in sede propria, in prima die libera ab alio Festo Duplici I aut II classis, a Vigilia privilegiata et ab aliis Officiis quae huiusmodi Festa respective excludant. Duplicia vero I et II classis certis Feriis assignata, si perpetuo impediantur, item tamquam in sede propria reponuntur in Feria proxime insequenti perpetuo libera, ut supra (37).

(37) De festis duplicibus 1 vel 2 classis, quae fixa sunt, si perpetuo impediantur, nullum dubium manet, debent enim tamquam in sede sibi propria reponi in prima die libera ab alio festo 1 vel 2 cl., vel a vigilia privilegiata, puta vigilia Epiphaniae, aut ab aliis officiis quae huiusmodi festa respective excludant; si enim excludunt festa quae in propria die occurrunt, multo magis festa reponenda. Ceterum hac de re vide quae scripsimus in Commentario in bullam (nota 47).

Si autem agatur de festis mobilibus duplicibus 1 vel 2 classis, alicubi perpetuo impeditis (casus tamen non facilis eventus hodie) reponuntur in feriam proxime insequentem perpetuo liberam.

Rubrica ista sic moderata, explicat sensum S. R. C. decreti d. d. 24 februarii 1912; in eo quidem legebatur reponi debere in feriam sequentem per singulos annos liberam; pro cuius intelligentia scriptores non fuere concordes (Cf. *Ephem. Liturg.* an. 1912 p. 111, et *Nouvelle Revue Théologique*, iul. 1913 p. 108). Ad removendam ergo quaestionem omnem, rubrica sic moderata, disponit, ut festa mobilia duplicia 1 vel 2 classis, si alicubi perpetuo sint impedita, reponi debeant in feriam sequentem perpetuo liberam. Rem explicabit exemplum. In dioecesi P. feria v ante dominicam ij post Pascha celebratur festum Sepulchri D. N. I. C. sub ritu duplici 2 classis; in pago autem F. eiusdem dioecesis eadem feria v recolitur festum Patroni principalis. Qua die reponendum erit officium s. Sepulchri in dicto pago?

Iuxta citatum decretum transferendum erat in sequentem feriam quae *per singulos* annos libera foret; nempe in feriam illam, quae primo inveniebatur libera in calendario illius anni. Hodie vero, vi huius rubricae, quam hic exponimus, reponi debet in sequentem feriam perpetuo liberam, scilicet in illam feriam sequentem, quae libera sit ab alio festo mobili nobiliori.

Neque dicas vocem *perpetuo libera* significare quod dies, in quam reponendum sit officium impeditum, inveniri debeat in calendario perpetuo, ita ut officium ipsum ibi habeat suam sedem fixam in aliquo mense, quia rubrica loquitur de *feria* perpetuo libera, ergo de sede *mobili;* ergo *festum mobile* impeditum perpetuo a festo nobiliori, reponi debet in *feria,* non in die fixa mensis, ut maneat *officium mobile.* Ratio est, nostro iudicio, quia legislator voluit, ut festum hoc modo impeditum, non multum distaret a dominica, in qua antea celebrabatur, et ideo in ipsa dominica celebrari possit solemnitas externa ipsius festi.

3 Dominicae, sive maiores sive minores, excludunt assignationem perpetuam cuiusvis Festi etiam Duplicis I classis, excepta Dominica inter Circumcisionem Domini et Epiphaniam, in qua fit Officium Ss.mi Nominis Iesu, et Dominica post Pentecosten, in qua celebratur Festum Ss.mae Trinitatis (38).

(38) Ut magis augeatur honor diei dominicae, et ne aliqua officia dominicalia penitus extincta manerent, ex. gr. dominica iij post Pascha, consultius dispositum fuit, ut quodvis festum, etiam 1 classis, in dominica perpetuo assignari nequeat.

Licet in hac rubrica excipiantur festa Ss.mi Nominis Iesu, et Ss.mae Trinitatis, nihilominus non est vera exceptio, si bene res attendatur. Principium est, quod in dominica nullum festum sit affixum perpetuo, sed tantummodo in dominica communi celebrari possit si accidentaliter occurrat aliquod festum duplex 1 vel 2 classis, aut festum

aliquod Domini, non vero dies octavus ut infra videbimus. Ad dominicam vero quod attinet, quae occurrere potest a Circumcisione Domini usque ad Epiphaniam, et de dominica I post Pentecosten, non agitur de vera assignatione festi, uti esset assignatio Rosarii in I dominica octobris, et Pretiosissimi Sanguinis in I dominica iulii; bene quidem in secundo casu, de mutatione officii, ita ut, loco officii dominicalis de psalterio, persolvatur officium proprium de Ss.ma TRINITATE; in primo autem casu agitur de assignatione officii illi dominicae, quae occurrere potest diebus 2, 3 et 4 ianuarii, quae officio caret, et dicitur proinde dominica vacans. Remanet ergo integrum principium: in dominica quacumque, nullum festum, etiam I classis, in posterum assignari poterit.

Varia de re liturgica.

De iis quae permittuntur et prohibentur in cultu Servorum Dei, nondum beatificatorum vel canonizatorum.

(Continuatio. Vide num. I curr. anni, pagg. 157-164).

Excussis, quae ad Liturgiam stricte spectant, aliam quaestionem nobis solvendam proponimus, argumento nostro intime connexam.

Publicatio Decreti sive super Introductione Causae, sive super virtutibus et miraculis, magnam procul dubio laetitiam iis, qui Servo Dei aliquo vinculo iunguntur, affert; licebit ne hanc laetitiam publicis signis manifestare? Si ex. gr. Decretum respicit alicuius Instituti Fundatorem, eius alumni, praeter gratiarum actionem in formis et modis permissis, poterunt ne felicem Causae exitum, campanarum sonitu, luminibus circa Ecclesiam aut domum accensis, academiis, etc. celebrare et manifestum facere?

Ad haec et similia dubia enodanda dicimus:

a) Praesens Decretum respicit tantummodo solemnia sacra; cum autem tales gaudii manifestationes, de quibus in proposita quaestione, non respiciat, nihil ex eodem Decreto ad rem nostram deduci potest.

b) Campanarum pulsatio, adhibita tantummodo ad spiritualem laetitiam exprimendum, non videtur *per se* aliqua prohibitione comprehendi. Dicimus *per se,* quia cum possit falsis interpretationibus occasionem praebere, consultius putamus ab ea abstinendum esse.

c) Nullimode prohiberi autumamus, luminibus circa domum, Conventum, Collegium etc. accensis, laetitiam pan-

dere; id enim constituit gaudii signum admodum commune, cui nulla praepostera interpretatio tribui potest: hanc ideo laetitiae manifestationem licitam dicimus. Ecclesiam data opera ab illuminatione excepimus, quia ex ea in fidelium mentes publici cultus persuasio vel saltem suspicio ingeri potest.

d) Item academiae privatae celebratio, servatis servandis in sermonibus, poematibus, cantibus, etc., nihil continet, quod cultum publicum liturgicum significet aut praeseferat, propterea hanc quoque manifestationem licitam affirmamus.

Quae servanda monemus in sermonibus, poematibus, etc., ea sunt, a quibus cavendum pluries diximus, nempe ne tituli *Venerabilitatis, Beatitatis* aut *Sanctitatis* adhibeantur, et ne adiectiva ex his titulis manantia, de personis praedicentur; poterunt vero de vita et moribus praedicari. Sed de sermonibus habendis de Servis Dei agemus in sequenti paragrapho.

§ VI. *Orationes panegyricae in honorem Servorum Dei prohibentur.*

« *Ssmus D. N... inhaerens... sententiae f. r. Benedicti XIV, qui tutius fore censuit a panegyricis orationibus penitus abstinere in honorem Servorum Dei nondum beatificatorum, eas haberi orationes edixit in posterum non licere* ».

Inter abusus hoc Decreto proscriptos, is qui praepositis pontificiis verbis reprobatur, gravior est censendus. Panegyricis enim orationibus, Servis Dei honor exhibebatur *explicitus*, cum eorum recitarentur laudes, et *publicus*, cum id fieret in Ecclesiis et saepe saepius in Ecclesiis Cathedralibus, a persona ecclesiastica, ut plurimum, episcopali charactere insignita, populo et clero adstante. Cum hae Servorum Dei laudes haberentur occasione gratiarum actionum pro edito Decreto super Introductione Causae, vel super heroicitate virtutum, ete., tales gratiarum actiones sacram solemnitatem constituebant, a qua publici cultus ratio abstrahi non poterat,

ac propterea urbanianis decretis iam reprobatae censendae erant. Praesenti igitur Decreto earumdem illiceitas nominatim declaratur et reprobatio confirmatur.

Panegyricus generatim sumptus est « *Oratio in laudem alicuius instituta* » (1). Quae oratio specificatur ab obiecto seu materia laudis: aliquis enim laudari potest de bonis naturae et fortunae, de doctrina et artibus, de virtutibus et meritis, etc. (2).

Cum autem ad triplicem ordinem, obiectum seu materia laudis pertinere possit, nempe ad ordinem supernaturalem, ecclesiasticum et civilem, orationes panegyricae in tres classes necessario distinguendae sunt, nempe in *sacras, ecclesiasticas* et *civiles.*

Orationes panegyricae *sacrae* illae dicuntur, in quibus obiectum seu materia laudationis sunt virtutes, gesta, merita et dona ad supernaturalem ordinem pertinentia. Magis proprie harum orationum materia laudis est *sanctitas,* eaque omnia quae vel *sanctitatem* constituunt, vel sanctitati intime connectuntur. Quapropter hoc orationum genus, est vera et propria *celebratio sanctitatis,* quae directam vel indirectam demonstrationem, et sin minus affirmationem continet de omnium virtutum in gradu heroico exercitio. Finis huius laudationis sacrae, ut scribit Kleutgen, non est alius, nisi quem in ipso cultu Sanctorum Ecclesia sibi proponit: primum ut celebretur Deus mirabilis in Sanctis suis; deinde ut populus christianus ad Sanctos honorandos et invocandos moveatur; postremo ut ad eorum imitationem excitetur (3). Hae orationes sacrae antonomastice vocantur *panegyrici,* et non habentur nisi in Ecclesia et a persona ordine sacro insignita.

Orationes panegyricae *ecclesiasticae* illae sunt, in quibus materia laudis sunt potissimum sacra scientia, in regendo prudentia, animarum zelus, praeclara opera et in apostolico

(1) KLEUTGEN, *Ars dicendi,* P. III, L. IV, Art. III, n. 436.
(2) Id., ib., n. 438.
(3) KLEUTGEN, *Ars dicendi,* l. c.

ministerio labores, quibus Ecclesiae filius, apud societatem ecclesiasticam optime meritus est, eamque multipliciter iuvit, auxit et illustravit. In eo, qui huiusmodi orationis genere esset laudandus, quamvis non requiratur formalis sanctitas, merita tamen ecclesiastica iungi debent optimae christianae vitae rationi: qui enim non bene vivit, etiamsi miracula operaretur, numquam de Ecclesia bene meritus esse potest. Quamvis hae orationes *panegyrici* vocari possent, usitatius tamen dicuntur simpliciter *sermones laudativi*, vel *commemorativi*.

Tertio veniunt orationes panegyricae *civiles*, et sunt illae quibus alicuius civiles virtutes, praeclara gesta ac apud civilem consortium merita, enarrantur et magnificantur. Plura huiusmodi orationum exempla extant in utraque veteri litteratura Graeca et Romana ac etiam in praesenti civili societate frequenter habentur huiusmodi orationes panegyricae. Hae quoque orationes non veniunt communiter sub nomine *panegyricorum*.

Ex hactenus positis colligitur quodnam proprie sit obiectum pontificiae prohibitionis de non habendis panegyricis in honorem Servorum Dei. Dicimus itaque:

a) Per praesens Decretum orationes panegyricae, quas *sacras* vocavimus, certo prohibentur. Tales enim orationes in honorem Servorum Dei solemnem continent *sanctitatis* celebrationem, et quidem in loco sacro et per sacrum Ecclesiae ministrum peractam. Quae omnia simul sumpta procul dubio illum publicum cultum constituunt, quem Urbanus VIII Servis Dei nondum beatificatis vel canonizatis exhibere prohibuit. Huiusmodi igitur panegyricae orationes etiam urbanianis decretis praedamnatae censendae sunt.

b) Orationes panegyricae, quas *ecclesiasticas* diximus, prohibentur procul dubio, si in Ecclesia ad populum a sacris ministris haberentur. Quamvis enim de aliquo Dei Servo merita tantummodo ecclesiastica enarrarentur ac de supernaturalibus obiter tantum sermo occurreret, nec de eius sanctitate ullum proferatur iudicium; fideles tamen, cum merita a meritis distinguere non valeant, et aliunde sciant in Ecclesia nonnisi

sanctorum virorum laudes celebrari, facile in errorem induci possunt, ideoque ratio prohibitionis stat etiam pro hac panegyricarum orationum specie. — Pontifex insuper eas orationes panegyricas in honorem Servorum Dei haberi non licere edixit, de quibus Benedictus XIV tutius putavit penitus abstinere. At Benedictus XIV non proprie de panegyricis *sacris*, sensu a nobis superius exposito loquitur, sed potissimum agere videtur de panegyricis, quos *ecclesiasticos* nos dicimus. Oratio enim panegyrica in honorem Gregorii XIII in Collegio Romano haberi solita, quam in exemplum adducit, ad panegyricas orationes pertinet, quas ecclesiasticas vocavimus. Non proprie et praecipue Gregorius XIII sub sanctitatis aspectu celebrabatur, sed laudes eius enarrabantur, quatenus de ipso Romano Collegio optime meritus erat, vel quatenus de tot aliis praeclare gestis in suo Pontificatu gratissimam reliquerat memoriam; et haec oratio non in Ecclesia, sed in Aula magna Collegii habebatur (1). Cum igitur Benedictus XIV de hac orationum specie loquatur, etiam praesens Decretum de hac est intelligendum.

c) Diximus, *si in Ecclesia ad populum a sacris ministris haberentur,* quia si ea orationum species haberetur private ad singularum personarum classem, puta ad Religiosos, ad Sacerdotes, etc., tunc videretur praesenti prohibitione *per se* non comprehendi: tales eius laudativae seu commemorativae orationes proprie et communiter non venirent sub nomine orationum panegyricarum, uti iam animadvertimus; et, ad locum privatum et ad singularem personarum classem limitatae, ratio earumdem prohibitionis non subsisteret. Cavendum tamen semper foret a nimia frequentia et ab immoderantia in dicendo.

d) Quamvis hoc orationum genus *per se* videatur licitum, nec praesenti decreto comprehensum, pro eo etiam consilium Benedicti XIV valere putamus, ne suspicio subo-

(1) Cfr. MORONI, *Dizionario di Erud. Eccl.* V. *Collegio Romano.* Tempore quo hic Auctor scribebat, praefata oratio adhuc recitabatur.

riatur, quod tales orationes « originem ducant a personis, lapidem omnem moventibus pro concilianda aut conservanda fama sanctitatis Dei Servi, propter quam instituuntur » (1).

e) Orationes panegyricae *civiles* certo hoc non prohibentur Decreto. Servus enim Dei, qui de civili consortio optime meritus fuit, potest utique *civiliter* honorari, imo valde congruum est, ut tales viri hominum gratitudini et imitationi proponantur. Licet in his viris honorandis, quandoque sermo incidat in eorumdem sanctitatem, non tamen haec ex industria celebratur, nec ad sanctitatis famam conciliandam aut augendam tales orationes *per se* ordinantur. Si enim huiusmodi finis eis subesset, tunc illicitae essent, et omnino reprobandae.

f) Id etiam nobis monendum videtur ne huiusmodi de civilibus meritis orationes in Ecclesia habeantur. Ecclesia enim, sacris agendis dicata, sacris tantum Dei et Sanctorum laudibus personare debet, et non est fidelium mentibus ingerenda confusio, et maxime cavendum, ne virtutes civiles aut simpliciter morales, virtutibus theologicis et supernaturalibus, ac merita civilia supernaturalibus meritis aequiparentur.

Si nunc quaeritur, an saltem sermones, et simpliciter sermones, de Servi Dei vita, virtutibus, operibus etc. haberi liceant.

Respondemus: *Primo;* sermones distingui posse in laudativos, in commemorativos et exhortativos: horum notio iam ex denominatione sufficienter indicatur et intelligitur.

Secundo; si sermonibus laudativis Servus Dei de *formali* sanctitate, aut de *heroico* virtutum exercitio laudaretur, hi sermones essent procul dubio orationibus panegyricis sacris aequiparandi, ac proinde eodem modo prohibiti.

Tertio, abstinendum *ordinarie* est a sermonibus, quorum praecipuum argumentum sit vita Servorum Dei; in quibusdam tamen extraordinariis circumstantiis huiusmodi sermones congrui, imo necessarii fiunt. Quae circumstantiae potissimum

(1) Benedictus XIV, *De Beatif. et Canoniz.* Sanctorum, L. II., Cap. XII, n. 4.

sanctorum virorum laudes celebrari, facile in errorem induci possunt, ideoque ratio prohibitionis stat etiam pro hac panegyricarum orationum specie. — Pontifex insuper eas orationes panegyricas in honorem Servorum Dei haberi non licere edixit, de quibus Benedictus XIV tutius putavit penitus abstinere. At Benedictus XIV non proprie de panegyricis *sacris*, sensu a nobis superius exposito loquitur, sed potissimum agere videtur de panegyricis, quos *ecclesiasticos* nos dicimus. Oratio enim panegyrica in honorem Gregorii XIII in Collegio Romano haberi solita, quam in exemplum adducit, ad panegyricas orationes pertinet, quas ecclesiasticas vocavimus. Non proprie et praecipue Gregorius XIII sub sanctitatis aspectu celebrabatur, sed laudes eius enarrabantur, quatenus de ipso Romano Collegio optime meritus erat, vel quatenus de tot aliis praeclare gestis in suo Pontificatu gratissimam reliquerat memoriam; et haec oratio non in Ecclesia, sed in Aula magna Collegii habebatur (1). Cum igitur Benedictus XIV de hac orationum specie loquatur, etiam praesens Decretum de hac est intelligendum.

c) Diximus, *si in Ecclesia ad populum a sacris ministris haberentur,* quia si ea orationum species haberetur private ad singularum personarum classem, puta ad Religiosos, ad Sacerdotes, etc., tunc videretur praesenti prohibitione *per se* non comprehendi: tales eius laudativae seu commemorativae orationes proprie et communiter non venirent sub nomine orationum panegyricarum, uti iam animadvertimus; et, ad locum privatum et ad singularem personarum classem limitatae, ratio earumdem prohibitionis non subsisteret. Cavendum tamen semper foret a nimia frequentia et ab immoderantia in dicendo.

d) Quamvis hoc orationum genus *per se* videatur licitum, nec praesenti decreto comprehensum, pro eo etiam consilium Benedicti XIV valere putamus, ne suspicio subo-

---

(1) Cfr. Moroni, *Dizionario di Erud. Eccl.* V. *Collegio Romano.* Tempore quo hic Auctor scribebat, praefata oratio adhuc recitabatur.

riatur, quod tales orationes « originem ducant a personis, lapidem omnem moventibus pro concilianda aut conservanda fama sanctitatis Dei Servi, propter quam instituuntur » (1).

e) Orationes panegyricae *civiles* certo hoc non prohibentur Decreto. Servus enim Dei, qui de civili consortio optime meritus fuit, potest utique *civiliter* honorari, imo valde congruum est, ut tales viri hominum gratitudini et imitationi proponantur. Licet in his viris honorandis, quandoque sermo incidat in eorumdem sanctitatem, non tamen haec ex industria celebratur, nec ad sanctitatis famam conciliandam aut augendam tales orationes *per se* ordinantur. Si enim huiusmodi finis eis subesset, tunc illicitae essent, et omnino reprobandae.

f) Id etiam nobis monendum videtur ne huiusmodi de civilibus meritis orationes in Ecclesia habeantur. Ecclesia enim, sacris agendis dicata, sacris tantum Dei et Sanctorum laudibus personare debet, et non est fidelium mentibus ingerenda confusio, et maxime cavendum, ne virtutes civiles aut simpliciter morales, virtutibus theologicis et supernaturalibus, ac merita civilia supernaturalibus meritis aequiparentur.

Si nunc quaeritur, an saltem sermones, et simpliciter sermones, de Servi Dei vita, virtutibus, operibus etc. haberi liceant.

Respondemus: *Primo;* sermones distingui posse in laudativos, in commemorativos et exhortativos: horum notio iam ex denominatione sufficienter indicatur et intelligitur.

Secundo; si sermonibus laudativis Servus Dei de *formali* sanctitate, aut de *heroico* virtutum exercitio laudaretur, hi sermones essent procul dubio orationibus panegyricis sacris aequiparandi, ac proinde eodem modo prohibiti.

Tertio, abstinendum *ordinarie* est a sermonibus, quorum praecipuum argumentum sit vita Servorum Dei; in quibusdam tamen extraordinariis circumstantiis huiusmodi sermones congrui, imo necessarii fiunt. Quae circumstantiae potissimum

(1) Benedictus XIV, *De Beatif. et Canoniz.* Sanctorum, L. II., Cap. XII, n. 4.

sunt: *a*) Anni centesimi a nativitate vel ab obitu celebratio; *b*) Publica exuviarum translatio, civili potestate mandante aut curante; *c*) Conventus aut Congressus ad opera a Servo Dei instituta iuvanda et augenda. His in circumstantiis etiam de Servo Dei erit sermo habendus; sed nunquam licebit de eo orationem panegyricam, quam *sacram* diximus, neque illam, quam *ecclesiasticam* vocavimus, publice in Ecclesia ad populum a sacro ministro haberi.

Quarto, licet in praefatis circumstantiis extraordinariis, sermones commemorativos et exhortativos, servatis quae hic illicque servanda monuimus, habere. Sermones commemorativi, historicam de Servorum Dei vita et gestis veritatem fideliter revocent et illustrent. Item sermones exhortativi in eadem veritate historica maxime fundentur.

Quinto, normae tutae pro his sermonibus conficiendis colligi possunt ex vitae compendio, quod in Decretis S. R. Congregationis solet dubii resolutioni praemitti, et maxime ex Romanorum Pontificum epistolis, quas occasione saecularium solemnium illustrium quorumdam virorum dederunt. De quibus epistolis sequentia pauca subiungimus.

Leo XIII in saecularibus solemniis Columbianis, civilium celebritatum decori, religionis sanctitatem addere duxit. Honores autem, quibus Ecclesia virtutes et merita supernaturalia celebrat, expresse ab honoribus secernit quibus merita civilia (ac proinde etiam ecclesiastica) prosequitur, et scripsit: « Honores illa (Ecclesia) quidem singulares et maximos reservat praestantissimis, in genere, morum virtutibus, qua saluti aeternae animorum cohaerent: non idcirco tamen spernit aut parvi aestimat ceterum genus: immo vero magna voluntate favere honoremque semper habere consuevit egregie de civili hominum coniunctione meritis atque immortalitatem apud posteros consecutis » (1).

Sapiens Pontifex Christophorum Columbum peculiari honore in Ecclesiastica quoque societate celebratum voluit: ipse in persona Ecclesiae de eo dixit: « *Columbus noster est* ».

(1) *Acta Leonis XIII*, T. XII, pag. 180.

Et inter elogia, qua de eo texuit, id praestat quod ille « nihil fere aggressus (sit) nisi *religione duce et pietate comite* » (1).

Pius PP. X (quem Deus diu sospitet) cum Ioannis Bonae Card. tercentesimus ceiebraretur Natalis, in eius honorem solemnia agere sua quoque auctoritate voluit (2). In epistola ad Episcopum Vicodunensem laudat Pontifex hunc virum « subalpinae gentis decus, et benedictinae familiae ornamentum, atque etiam Ecclesiae lumen », quippe qui « si litteris disciplinisque colendis multum operae semper dedit, plurimum christianae perfectioni animi dedit, atque in iis non tam versatus est, ut sitim scientiae expleret, quam ut gloriam Dei quaereret et salutem animarum. Hoc spectavit unice; huc retulit omnia »; propter quod « existimari potest ad celsum quemdam sanctimoniae gradum pervenire hunc debuisse ». « Iam vero, prosequitur Pontifex, talis viri excitare memoriam, eique venerationem iustam et meritam conciliare hominum, id quod vobis propositum est, opportunum equidem hodie arbitramur: praesertim cum videamus usu venire, ut solida Ecclesiae decora nostri saepe negligant, iique apud externos umbras omnes etiam falsae gloriae consectentur » (3).

Ita hi duo magni Pontifices duos inclytos viros voluere in Ecclesia peculiari modo celebrare. Claruit alter maximis civilibus meritis, *religione duce et pietate comite* acquisitis; claruit alter quamplurimis ecclesiasticis meritis vitae sanctimonia auctis: uterque in Ecclesia congruo quidem honore celebrati fuere, sed non illis summis honoribus, quos tantum *probatae* sanctitati Ecclesia exhibere sua auctoritate statuit aut permittit.

Totius huius nostrae tractatiunculae evidens conclusio, est, Ecclesiam permittere quidem, ut viri sanctitatis fama clari private honorentur et invocentur; non tamen permittit, ut eis cultus publicus et liturgicus exhibeatur. Omnia, quae scripsimus, Ecclesiae auctoritati emendanda humiliter et omnimode subiicimus.

Fr. IOSEPHUS ANT. O. M. Cap.

(1) Ibid., pag. 184.
(2) *Acta Apost. Sedis,* T. II, pag. 324,
(3) Ibid., pag. 325.

Consultationes.

De expositione et benedictione ss. Sacramenti et de throno altari apponendo.

Antiquitus non agnoscebatur ulla benedictio cum Ss. Sacramento, nisi illa, quae impertitur a Parocho, post delationem Ss. Viatici. Postquam vero usus invaluit faciendi processionem solemnem in festo Corporis Christi, in reditu eiusdem processionis, similiter praescripta fuit benedictio.

In Rituali ergo haec Rubrica habetur, in fine ritus eiusdem Processionis: *Peracta processione, et Ss. Sacramento ad Ecclesiam reportato, et super Altare deposito, omnes ecclesiastici qui adsunt hinc inde ordine genuflexi, illud reverenter adorantes, dum de more Sacerdos incensat, sequentem hymni partem concinant « Tantum ergo..... Panem de coelo..... Or. Deus, qui nobis..... »* Et post orationem, Rubrica sequitur dicens: *Tunc sacerdos facta genuflexione, cum Ss. Sacramento semel benedicit populum in modum Crucis, nihil dicens; postea illud reverenter reponit.* Similiter in Caeremoniali Episcoporum (II, 33, 24-27) eadem benedictio ab Episcopo impertienda post Processionem praescribitur.

Paulatim autem, maxime saeculo xix, usus invaluit dimittendi populum in ecclesiis parochialibus, praesertim ruralibus, cum Eucharistica benedictione post Vesperas diebus festis, et adhibitus ad hoc fuit ritus, prout in citatis Rubricis Ritualis et Caeremonialis describitur. Quo in ritu nullimode mentio habetur de throno adhibendo, dicitur enim: *Sacramento super Altare deposito.*

Distinguenda est ergo a simplici benedictione expositio solemnis Ss. Sacramenti. Benedictio consistit *a*) in extractione Ostensorii a Tabernaculo et eiusdem collocatione super mensam altaris; *b*) in incensatione; *c*) in cantu *Tantum*

ergo cum suo ℣. et oratione; *d*) in ipsa benedictione proprie dicta manibus velatis cum fimbriis veli humeralis; *e*) et tandem in repositione Ostensorii in tabernaculo; ita ut celebrans, toto tempore quo Ss. Sacramentum super altare manet expositum, altare ipsum non deserat; ideoque citatae rubricae super altare, non vero in throno, collocandum Ostensorium praescribunt.

Expositio vero consistit in solemniori ritu quo Ss. Sacramentum adorationi fidelium per notabile tempus proponitur, scilicet tota die, vel per aliquas horas, quae consuetudo non reprobatur (decr. 3134); ita ut sacerdos, facta expositione, ab altari recedat.

In primo casu, ut patet, Ss. Sacramentum e Tabernaculo tantummodo educitur ut benedicatur populus; in secundo casu, ut fidelium exponatur adorationi; pro sola benedictione sufficit ut Ostensorium super altari maneat, brevissimum enim ibi extare debet; secundo in casu vero, cum adorationi proponatur solemniter, quae per aliquod tempus perdurat, valde congruit, imo debet, Sacramentum in throno exponi. Nota est Instructio Clementina quae ritus huiusce expositionis moderatur.

Procul dubio thronus expositionis in altare permanenter non est retinendus, nam impedit quominus statui queat Crux cum imagine Crucifixi, satis ampla, in suo loco digniori inter candelebra. Et sane, ut vidimus, nulla extat lex, quae praecipiat usum throni, pro simplici benedictione; imo Rubrica tum Ritualis, tum Caeremonialis explicite illum excludit; cum autem non requiratur nisi pro solemnibus expositionibus, quae in eadem ecclesia raro fiunt per annum liquido deducitur, quod continua permanentia throni super altari tempore Vesperarum et Missae solemnis etiam pontificalis, est verus abusus omnino a rectoribus ecclesiarum removendus, ab inservientibus excogitatum ad parcendum laboribus.

Hac de re S. R. C. suo decreto 27 maii 1911, n. 4268 ad IV opportunissime declaravit: « Non licere super tabernaculum erigere thronum, seu parvum ciborium fixum, pro

expositione Ss. Sacramenti, sed debere erigi thronum tantummodo propter expositionem, et amoveri post ipsam. » Ergo ne rubrica missalis, quae exigit Crucem inter candelabra altaris, perpetuo contemptui habeatur, ecclesiarum rectores debent omnino exigere a suis inservientibus, ut thronus, peracta expositione, ad altari removeatur; imo, ne pro simplici benedictione, quae passim est impertienda, illud apponatur.

De Missis votivis et pro defuntis in feriis Missam propriam habentibus.

Feriae missam propriam habentes, sunt tantummodo Feriae Quadragesimae, Quatuor Temporum et II Rogationum, ac feria illa in qua missa de Dominica sit posticipanda, vel anticipanda, nec non Vigiliae. In his ergo feriis, iuxta novissimas Missalis Rubricas (Tit. X, nn. 2 et 5) prohibentur missae lectae defunctorum et missae votivae. Excipitur tantummodo prima feria libera cuiusvis hebdomadae Quadragesimae, in qua missa de *Requiem*, non vero votiva, celebrari permittitur.

Huiusmodi nova legis dispositio inducta fuit, eo quod mens fuit supremi Legislatoris, ut quoad fieri potest, in suum pristinum honorem restituerentur pulcherrimae missae huiusmodi feriarum, quae antea numquam a sacerdotibus dicebantur; vel enim celebrabatur missa de sanctis duplicibus occurrentibus, vel, si ritus erat semiduplex aut simplex, missa dicebatur pro defunctis; ad quid ergo missae, quae ex sententia omnium doctorum melioris notae, mira venustate et devotione sunt praeditae, tot folia missalis occupabant?

Ne autem detraheretur aliquid suffragio defunctorum, voluit Legislator, ut in missa feriali, etiamsi occurrat festum duplex, addatur oratio pro defunctis, pro quibus missae sacrificium applicatur. Hoc tamen est intelligendum, quod si missa non pro aliquo defuncto, sed pro aliqua gratia pro vivis imploranda applicatur, nefas est orationem pro defunctis addere. Quando occurrit aliquod duplex, docebant aliqui rubricistae, quod additio huiusmodi orationis non erat permissa; sed audita mente Summi Pontificis, declaravit S. R. C., quod si missa legatur de feria, licet occurrat com-

memoratio duplicis, oratio pro defunctis addi potest, est enim semper missa ferialis, et alioquin non est minuendum suffragium pro defunctis.

Rubrica novissima prohibet in feriis, missam propriam habentibus, omnes missas votivas, quae antea permissae erant in diebus ritus semiduplicis; nil vero disponit circa missas votivas, quae in honorem B. Mariae Virg. vel Sanctorum, ex speciali privilegio permissae erant in aliquibus Ecclesiis vel Sanctuariis, etiam diebus duplicibus. Item dicatur de missis pro defunctis, quae quibusdam locis permittebantur semel, vel bis, aut etiam ter per hebdomadam, etiamsi occurreret aliquod festum duplex. Num ergo adhuc perdurant huiusmodi privilegia et indulta?

Hoc in casu valeret quidem principium a Canonistis admissum, quod « *per legem generalem subsequentem... non revocantur privilegia specialia, nisi id explicite indicentur in nova lege* ». Sed cum S. R. C. per suum decretum 8 febr. 1914 (ad II) opportune aliter declaraverit; missae votivae, diebus etiam duplicibus permissae, nunc prohibentur, eo quod feriae, de quibus loquimur, aliquomodo Octavis privilegiatis aequiparantur, in quibus missae ipsae votivae non erant admissae. Eadem tamen S. R. C. diebus praedictis in quibus licita antea erat missae votivae celebratio, permittit ut in missa feriali addi possit oratio respondens missae votivae, quam nunc celebrari nefas est. Excipiuntur in hac concessione, feria IV Cinerum, Hebdomada maior, ac vigiliae Nativitatis et Pentecostes.

De sessione tempore Missae cantatae, necnon de scamno a Rubricis praescriptis.

Rubricae generales Missalis (tit. xvj, n. 6) disponunt: « *In Missa solemni celebrans, medius inter diaconum et subdiaconum, sedere potest a cornu epistolae iuxta altare, cum cantantur « Kyrie eleison, Gloria in excelsis » et « Credo »: alio tempore stat ad altare, vel genuflectit etc.* » Ergo *potest* celebrans sedere si vult, sed *non debet.* Hinc est, quod maxime si cantus brevis sit, aliquibus in ecclesiis celebrans non sedet, sed

stat in medio altaris. De caeremoniario autem et de clericis nihil dicunt Rubricae an sedere possint et ipsi, vel non. Auctores liturgici, ex. gr. P. Aloysius a Carpo (Caeremon., n. 202) et De Herdt (Praxis II, 13) dicunt, caeremoniarium sedere posse in aliquo scamno, ita collocato, ut a celebrante, ministris et clericis videri queat. Decretum S. R. C. n. 2071 et alia supponunt quod caeremoniarius sedeat, quando sedet celebrans. In ecclesiis tamen Urbis, tam caeremoniarius quam clerici ministrantes ad altare, saltem in missa solemni, nunquam sedent.

Pluries S. R. C. de sedibus celebrantis et ministrorum egit in suis decretis. Quoad formam sedis, stricte iussit ut sit scamnum oblongum, in quo celebrans et ministri pariter considere possint, tapete coopertum, nunquam vero sit ad modum sedis cameralis, vulgo *poltrone*. Celebre est decretum d. d. die 17 Septembris 1822, n. 2621 ad 6, quo reprobatur abusus, *qui nimium invaluit adhibendi in missis solemnibus* (ideoque et in Vesperis) *loco scamni cooperti tapete, sedem cameralem serico damasceno ornatam, et pro ministris similia scabella;* quod decretum fuit specialiter adprobatum a Summo Pontifice Pio vij; et postea denuo confirmatum per alia decreta 3104 et 3804. Cum vero in aliquibus decretis dicatur, quod sedes habere nequeunt postergale, hoc intelligendum est, ut optime notat De Herdt, non de scamno oblongo, supradicto, quod bene habere potest suum postergale commune pro tribus sedentibus, sed de separatis sedilibus, necnon de sedibus cameralibus. Item nunquam scamnum istud oblongum, statui potest ad cornu Evangelii, sed semper ad partem Epistolae, prout vidimus in Rubricis citatis et disponit decretum n. 4850. Notandum est etiam, quod scamnum debet collocari, quoad fieri potest, apud gradum altaris, praescribente Rubrica « *iuxta altare* »; non sunt ergo probandae consuetudines quarumdam ecclesiarum in quibus videtur scamnum pro celebrante et ministris, longius et nimis separatum ab altari, uti statuitur Cathedra Episcoporum. Similiter scamnum istud habere nequit gradus, sed tantummodo aliquod suppedaneum.

Ex dictis, Visitator habet quid decernere debeat in ca

sibus diversis nempe, mandare debet, ut removeantur ab Ecclesia sedes camerales, quarum loco praescribat ut, congruo tempore concesso, provideatur scamnum oblongum ligneum, sine ullo ornamento, ne fiat questio pro expensis, eo quod, licet sit impolitum, cooperiri debet suo tapete. Pro sessione autem in sedilibus Chori, videndum est an id fiat in Vesperis, vel in Missa solemni. Si primum, bene potest celebrans, pluviali indutus, in primo stallo chori sedere; in Missa autem, hoc fieri nefas est, nam Missalis Rubrica clare decernit ut sedeant celebrans et ministri in scamno *apud altare* ideoque Visitator id fieri prohibeat. Quod autem attinet ad sessionem in cornu Evangelii statim hunc abusum damnet, etiam cum censuris, cum pars Evangelii ad Episcopum dioecesanum pertineat. Tandem pro caeremoniario et clericis, Visitator nihil disponat, cum consuetudo sedendi, ut vidimus, a S. R. C. non improbetur.

BREVIORA RESPONSA

Pro Dioecesi Mechoacan. — I. An in locis ubi Octava SS. Corporis Christi privilegium habuit usque ad praesens tempus, a sa. mem. Pio Papa VI per breve die 5 Martii 1776 concessum, ut infra eam tantummodo celebrari possint festa S. Ioannis Baptistae et Ss. Apostolorum Petri et Pauli, censendum est nunc revocatum et reductum ad privilegium Octavae Epiphaniae per Motum Proprium *Supremi disciplinae* SS. D. N. Pii PP. X, *De diebus festis,* d. d. 2 Iul. 1911, et per decretum S. R. C. diei 24 Iul. 1911, Urbis et Orbis?

Resp. Negative; nihil enim in novissimis dispositionibus invenitur, quod sit contra ampliora privilegia data dictae Octavae.

II. An iam fixum per novissimas rubricas Festum S. Ioannis Baptistae in suam propriam diem 24 Iunii, celebrari possit in die octava Sollemnitatis Ss. Corporis D. N. I. Chri-

sti, occurrente in ipse die octava, ut decretum est de festo Ss. Apostolorum Petri et Pauli.

Resp. Affirmative, uti patet per novissimas reformatas Rubricas, feria IV infra octavam SS. Corporis Christi, ultimo loco: « Si tamen sequenti die occurrat festum S. Ioannis Bapt. vel Ss. Apostolorum Petri et Pauli, in I Vesperis, pro commemoratione praecedentis diei infra octavam sumitur antiphona *O sacrum convivium,* ut in II Vesperis festi ».

Pro Dioecesi Carpen. — I. Utrum canonicus archipresbyter ac parochus unicus ecclesiae cathedralis, iure proinde praeditus efferendi cadavera ad cathedralem, iure quoque potiatur, ut ex Imolensi ac Rituali Romano, Missam canendi exequialem cum precibus subsequentibus ad castrum doloris; vel sustineri possit consuetudo, rectius abusus, ut ingressus cathedralem, canonicus hebdomadarius Missam canat exequiasque persolvat?

Resp. Affirmative ad primam partem, re in se spectata, et de iure communi nullimode unquam controverso; affirmative etiam ad secundam, re in casu particulari considerata, et de iure consuetudinario. Non est immorandum in adducendis exemplis consuetudinum in re funerali, a S. Sede probatarum, praesertim per S. Congregationem Concilii. In nostro casu insuper considerandum est, Capitulum (nisi detur peculiaris dispositio, quod vix possibile putamus, cum dicatur canonicus archipresbyter esse parochus) habere curam habitualem animarum, et bene potest munus parochi esse limitatum ad delationem cadaveris ad ecclesiam. Ceterum consuetudo non sustineretur dividendi exsequias a praecedenti Missa, quod ius, exequias persolvendi post Missam ab alio decantatam, soli Episcopo Ordinario reservatur. Plures, e contrario, dantur casus delationis cadaveris per unum factae, et Missae, vel exsequiarum per alium peragendarum: v. gr. si cadaver defertur ad ecclesiam exemptam. Recens exemplum habuimus hic Romae in Basilica Vaticana, pro exsequiis b. m. Cardinalis Rampolla, Archipresbyteri: parochus cadaver detulit ad fores templi, Canonicus, uti vocant, *de acceptis* illud suscepit ac primas exsequias persolvit (so-

lemnes post Missam pontificalem, celebratae sunt a D. Cardinali Decano, ut de more).

II. Utrum in officiis anniversariis defunctorum non capitularibus, sed parochialibus, ius habeat Missam canere: ac exequias peragere canonicus hebdomadarius, ut mos est in hac cathedrali, an ad canonicum parochum spectet?

Resp. Servetur consuetudo, eo vel magis quod neque per se et de iure communi anniversaria sunt de iuribus mere parochialibus (Ita passim resolutiones SS. RR. CC.).

III. Utrum Episcopus queat vi decreti canonico-parocho imponere ut ad funus invitet sacerdotes quos ipse designavit, vel ius ad canonicum parochum spectet, vel ad dolentes, licet in dioecesi et in civitate solus parochus invitet?

Resp. Hic non agitur de re ad ius commune vel ad legitimam consuetudinem per auctoritatem episcopalem reducendam, uti in casu exponitur, sed de exceptione potius ad ius et ad consuetudinem. Hinc videndum, an Episcopus, hac auctoritate utens, gravi ex causa moveatur; hac existente, nullum dubium moveri potest de legitimitate decreti; hac deficiente, nequiret arbitrio indulgere, contra ius commune et consuetudinem. Qui autem gravatum se sentiat, obediat prius, postea recurrat.

IV. Utrum Episcopus possit prohibere expositionem reliquiarum S. Ioseph sponsi B. M. V., licet ab Urbis lipsanotheca, cum authentica ab E.mo Card. Vicario subscripta acceptarum; et an parochus possit praetergredi Episcopi mandatum, exponere et osculandas praebere?

Resp. Episcopus custos est et iudex Reliquiarum pro sua dioecesi, et ipsi pertinet recognitionem earum facere, easque in eadem dioecesi exponendas permittere. Si ergo in casu Episcopus iudicavit, non debere exponi, neque osculandas praeberi Reliquias S. Ioseph, id significat, aliquem defectum in ipsis vel in Litteris, quae dicuntur authenticae, reperisse. Hoc autem accidere potest sine iniuria Domini Cardinalis Vicarii, pluribus ex causis, uti patet. Unde concluditur, obediendum omnino esse Episcopi mandato. Si iniusta vero ap-

pareat inhibitio, parochus utatur iure suo, ad maiorem recurrendi.

V. Utrum Episcopus adigatur praescriptionibus Caeremonialis Episcoporum et Decretorum quoad presbyterum adsistentem, ubi consuetudo est ut semper eo decoretur?

Resp. Oporteret casus particulares expendere, ad videndum utrum consuetudo sustineri queat; rogamus ergo Rev. Inquirentem, ut, si velit, peculiares indicet casus.

VI. An canonici Missae conventuali teneantur solum adesse, ut docet d'Annibale; an vero canere more mansionariorum?

Resp. Satis est si assistant, quin canant, si ita fert consuetudo ecclesiae; sed si necessitas habeatur, v. gr. ratione defectus vel impotentiae mansionariorum, canere tenentur.

Pro N. N. in Moravia. – I. Die 13 Augusti peragitur iuxta recentissima Decreta Officium Ss. Hippolyti et Cassiani Mm. simplex, et die 14 Augusti, Vigilia Assumptionis B. M. V. cum com. S. Eusebii Conf. (simpl.). Die 13 Augusti (iuxta analogiam Vigiliae Nativitatis Domini, quando occurrit in Dominicam) erunt: Vesperae de feria, a capitulo de S. Eusebio Conf. (et die 14 Augusti vero Officium Vigiliae cum com. S. Eusebii); an Vesperae de feria occurrente cum com. S. Eusebii Conf.?

Resp. Cum S. Eusebius non habeat die sequenti Officium integrum, nequit in primis Vesperis idem habere. Exemplum Vigiliae Nativitatis Domini non facit ad rem, praesertim post novissimas Rubricas. Ita solvitur dubium in novissimis mutationibus in breviario inserendis.

II. Putaturne festum Anniversarium Dedicationis Ecclesiae Cathedralis vel propriae Ecclesiae ut festum Domini Ecclesiae universalis, an ut festum proprium alicuius loci? Si putatur Ecclesiae universalis, fitne in die Anniversario (dupl. I cl.) commemoratio occurrentis festi duplicis?

Resp. Nescimus quomodo suspicari possit quod Dedicatio ecclesiae propriae sit universalis Ecclesiae; nonne esset haec contradictio in terminis? Hinc, occurrente dicto anni-

versario, fiat in eo commemoratio duplicis in Laudibus tantum et in Missis privatis.

III. In die Octava festi duplicis II cl., quae est iuxta nova decreta ritu simplici, diciturne suffragium, et ad Primam preces?

Resp. Negative, quia in novissimis Rubricis eiusmodi octavae excluduntur sub locutione « Officium aut commemoratio *cuiusvis* octavae (*Mutationes,* pagg. 18, 20 et 21) ».

IV. In Vigilia Epiphaniae Domini potestne *cantari* Missa Defunctorum in Anniversario, et quotidiana Defunctorum?

Resp. Negative; pro anniversario, obstat privilegium Dominicae, Vigiliae Epiphaniae attributum; pro Missis quotidianis obstant Decreta S. R. C., n. 1973, V, et 2256).

Pro Dioecesi Trifluvianen. — I. Quomodo terminandae sunt Vesperae, quum datur, immediate post eas, benedictio cum SS.mo Sacramento? Potestne celebrans manere apud scamnum usque ad versiculum *Dominus det nobis suam pacem,* et postea, se ad altare conferens, intonare antiphonam B. Virginis, secundum tempus, et expositionem SS.mi peragere, dum chorus antiphonam prosequitur? An melius est hanc aliam methodum servare: Vesperas ad scamnum per totum complere, antiphona praedicta haud exclusa, ac deinceps se ad altare recipere ad expositionem peragendam?

Resp. Negative ad primam partem, affirmative ad secundam. Et revera, prior methodus praecipitationem redolet, quae in sacris vitanda omnino est. Neque expediret Sacramentum exponere dum laus B. Virginis canitur. Fiat ergo iuxta secundam methodum.

II. Instructio parochialis in Missa datur post cantum evangelii, celebrante ad scamnum recedente. Si concionator legit evangelium diei, debetne celebrans ad evangelii lectionem stare, prout ceteri fideles? Et si persolvuntur preces pro defunctis, quos concionator fidelium suffragio commendavit, debetne celebrans inter eas preces genuflectere?

Resp. Ad primam partem, affirmative; est enim reipsa lectio publica evangelii, sub qua nequiret celebrans absque fidelium scandalo sedere. Ad secundam vero, negative, hoc

sensu, scilicet, non sunt dicendae preces, quae Missam abrumpant; et vel ipsae indicentur tantum, a fidelibus privatim recitandae, vel publice recitentur postquam celebrans ad altare se receperit. Ratio autem est, quod permittitur inter Missarum solemnia sacra concio vel instructio, quae Missam etiam, congruo tempore, suspendat, non permittitur vero alius abrumpendi modus.

Pro Eggenburg in Austria. — I. Ultra ad Responsum datum in fasciculo « Ephem. Liturg. » n. 1, an. 1914, pp. 47 et 48, quaeritur: *sufficitne* ergo in dictis Oratoriis ad celebranda Festa Titularia dupl. I cl. cum oct., *quamvis* solis Missis privatis inserviant, ut benedicta sint *benedictione solemni,* iuxta Rituale Romanum?

Resp. Miramur, quomodo dubitari possit de celebratione Titularis oratorii saltem *solemniter* benedicti, per solas Missas. Si enim id licet et fieri debet in ecclesiis et oratoriis publicis, a fortiori valet pro semipublicis. Ratiocinium sic instituimus: Si, iuxta n. V decreti generalis S. R. C. n. 4025, in oratoriis quae existunt in aedibus episcopalibus, seminariis etc., relativum festum Titularis celebrandum est, in casu quo aliqua ex iis consecrata vel benedicta *solemniter* fuerint; et iuxta idem decretum, n. IV, relativi Titularis (ecclesiae vel oratorii publici) festum, in defectu cuiusvis cleri (considera gravitatem huius circumstantiae!), per solas Missas; profecto, nequit exigi in oratoriis semipublicis maior obligatio; hinc, saltem per solas Missas, festum Titularis etiam in eiusmodi oratoriis celebrari debet. Ratio tamen habeatur de vario sentiendi modo circa independentiam, ut ita dicamus, eiusmodi oratoriorum ab ecclesia, iuxta dicta in hisce Ephemeridibus, an. 1913, pag. 683.

II. Ad Responsum II, pag. 48, haec replico: Usque ad diem 1 Novembris 1911, utique in Congregatione Ss. Redemptoris Dedicatio Ecclesiarum celebranda fuit et celebrata est Dom. III Octobris iuxta speciale privilegium. Post « Motu proprium » seu Constitutionem Apostolicam diei 1 Novembris 1911, Tit. IX, n. 2, *res alia* evasit. Cum in tota Con-

gregatione Dedicatio Ecclesiarum die 3 Octobris dupl. I cl. cum oct. celebraretur, etiam in Austria hoc fieri debuit, cum Dedicatio Ecclesiae Cathedralis seorsim, utpote dupl. I cl. *sine* oct. a Regularibus Dom. III Octobris celebranda esset. Ita etiam *ante diem 28 Octobris 1913* fieri debuit. Et ideo *eadem* Responsio danda erat pag. 687, X, sicut 688, *Pro Congregatione Missionis.*

Resp. Vult cl. Inquirens, seu Censor, eandem dari debuisse responsionem pro Congregatione SS. Redemptoris, ac pro Congregatione Missionis. Bene! Quid diximus pro Congregationis Missionis? In ea debere celebrari festum Dedicationis omnium ecclesiarum ipsius Congregationis Dominica II Novembris, iuxta suum privilegium. Ita pariter diximus in Congregatione SS. Redemptoris debere fieri de Dedicatione omnium ecclesiarum Congregationis Dom. III Oct., iuxta eius, in Austria, privilegium. Ubinam est diversitas ratiocinii? Nos, candide fatemur, non intelligimus. Quid dicit Constitutio Apostolica diei 1 Novembris 1911? Debere fieri a Regularibus de anniversario Dedicationis ecclesiae cathedralis sub ritu duplici I cl. sine octava a Regularibus in dioecesi commorantibus et proprium Calendarium habentibus. Optime! Sed cum hoc anniversarium impediatur a festo anniversarii Dedicationis propriae (reduplicative) ecclesiae, quodque cum octava insuper celebratur, dum aliud (cathedralis) a Regularibus colendum est sine octava (Rubr. ex Const. Apost. 1 Nov. 1911, tit. IX, n. 2), in aliam diem hoc transferendum est. Verum igitur est, de Dedicatione ecclesiae cathedralis fieri debuisse a Congregatione SS. Redemptoris in Austria die sequenti libero.

III. Pag. 13 (I), 2, dicitur: Excipiuntur *omnia festa* novem Lectionum Domini.... estne intelligendum, scilicet, *universalis Ecclesiae?* — In Calendario quodam reformato relictum est festum Commemorationis Passionis Domini dupl. mai.; num Pss. ad Laud. Hor. Compl. sumenda sunt e Dominica, *dum* in Octava Ss. Cordis Ant. et Pss. e feria?

Resp. Negative. Quando lex voluit de eis sermonem fa-

cere, id egit, ut in eodem loco citato, inferius, ubi dicitur: *integrae octavae Domini, quae in universali Ecclesia recoluntur.* Ergo, Rubrica loquitur ibi de omnibus festis Domini, etiam particularium ecclesiarum. *Festum* igitur Commemorationis Passionis Domini, dupl. mai., in Laudibus, Horis minoribus et Completorio, psalmos sumet de Psalterio ex Dominica. *Octava* tamen SS. Cordis Iesu, quia non est de festis Ecclesiae universalis, antiphonas et psalmos sumet de occurrenti feria.

IV. Iuxta novissimas dispositiones, suntne ℟℟. in festis *simplicibus* et in Officio B. M. V. in Sabbato, etiam de tempore?

Resp. Affirmative, ut in novissimis Rubricis proxime edendis, tit. I, n. 6: « In Officio S. Mariae in Sabbato et in festis simplicibus, Officium sic persolvendum est: ad Matutinum.... I et II lectio cum suis responsoriis de feria ». Similiter in novissimo libello « Variationes in divino Officio recitando », hisce diebus edito: in Proprio Sanctorum: « In festis autem et diebus octavis simplicibus...., in unico Nocturno.... sumuntur I et II lectio de Scriptura occurrenti, cum suis responsoriis de tempore, addito secundo responsorio « Gloria Patri », ut notatur; lectio vero tertia de festo, ut in Proprio vel communi ».

V. Infra octavas *non* integras, estne dicendum Suffragium et Preces ad Primam?

Resp. Affirmative, quia in eis neque Officium factum est neque commemoratio de octava ipsa, prout exigitur a novissimis Rubricis, ut haec omittantur (*Mutationes,* pag. 18 ad Laudes, pag. 20 ad Primam, et pag. 21 ad Vesperas).

VI. Infra octavam SS.mi Cordis, Lectiones III Nocturni unde sumendae, cum in Octavario Romano Homilia sit in aliud Evangelium, item Lectiones III Nocturni infra octavam S. Annae, an e Communi?

Resp. Rubrica novissima, tit. I, n. 7, ad rem sic se habet: « Lectiones vero II et III nocturni, in diebus infra octavam, quae proprias item non habeant, sumuntur aut ex Octa-

vario, aut de communi, iuxta Rubricas; sed quando non habeantur lectiones de Homilia in Evangelium festi, tam infra octavam, quam in die octava, lectiones III nocturni dicuntur ut in festo ». Similiter Rubrica novissimi libelli « Variationes », in Proprio Sanctorum : « Per octavas autem communes..., lectiones II et III nocturni, si propriae de octava non habeantur, in diebus infra octavam dicuntur de communi, in die octava et pro festis Domini ut supra (*scilicet commune non habentibus*), ut in festo. Et de festo, etiam infra octavam sumuntur lectiones III nocturni, si alia non habeatur Homilia in evangelium festi ».

VII. Num in feriis post Septuagesimam Invitatorium, sicut in Dominicis: *Praeoccupemus?*

Resp. Negative, ut clarius eruitur ex editione novissimi Psalterii per singulos hebdomadae dies concinnati, quae typica declarata est a S. Rituum Congregatione, die 1 Augusti an. 1912. Ergo invitatorium, in feriis citatis, dicendum est ut per annum.

VIII. Iuxta Missale Romanum, tit. III, n. 1, legitur in fine : « Missae autem Feriarum Maiorum celebrari possunt etiam in festis semiduplicibus ». Hinc quaeritur, num id locum habeat, sicut die 2 Dec. et 17 Dec., ita etiam infra octavam Immaculatae Conceptionis B. M. V. et Die 11 Dec., festo S. Damasi?

Resp. Nihil opponi posse videtur responsioni affirmativae, dies enim in dubio citati sunt vere festa semiduplicia. Hoc tamen dicimus tamquam pro affirmatione principii, et in hypothesi eiusmodi occurrentiae; quia nullus reipsa dies ex citatis, scilicet infra octavam Immaculatae Conceptionis (cum festo S. Damasi), habere potest occurrentiam feriae maioris, propriam Missam habentis. Valebit igitur casus pro aliqua octava particulari, quae in quatuor tempora occurrat. Certum est autem, Rubricam citatam Missalis, tit. III, n. 1, nonnisi de feriis maioribus propriam Missam habentibus loqui; infra hebdomadas ceterum Adventus, nullae dantur Missae feriarum propriae, nisi in quatuor temporibus.

IX. Quaenam est concurrentia Festi Pretiosissimi Sanguinis et Visitationis B. M. V.?

Resp. Uti ante novissimas Rubricas: omnia de Visitatione, cum commemoratione Pretiosissimi Sanguinis. Neque amplius invocari potest feriatio pro hoc altero, quia in novissimo elencho festorum feriatorum, a S. Rituum Congregatione confecto, ipsum festum non invenitur. Porro in novis Breviariis haec Rubrica in secundis Vesperis Pretiosissimi Sanguinis inseretur: « Vesperae de sequenti, commemoratio praecedentis, et diei octavae (S. Ioannis) ».

X. Iuxta S. R. C., diei 30 Dec. 1911, ad II, et responsum « Ephem. Liturg. » an. 1913, pag. 684, *pro N. N. in Moravia*, exsurgit dubium: Si in primo casu dies octava Domini influit ita ut retineatur praefatio octavae Domini, quare in secundo casu non influat (Cfr. pag. 580 supra *b*), et 581, C., 1), ut retineatur Praefatio Octavae Domini? Sed si in Dom. III post Pentecosten Missae tum solemnis tum privatae (utpote festum Titulare) sunt de SS.mo Corde, utique erit Praefatio de Cruce, et non de Dominica. — In Dominica Quinquagesimae (hoc anno) commemoranda est octava Passionis Domini, iuxta citatum S. R. C. Decretum, Praefatio non de Dominica erit, sed Cruce.

Resp. Etiam cl. Piacenza, in suo Commentario in Constitutionem *Divino afflatu*, ed. 2, pag. 118, n. 71, ait: « Excipe tamen Dominicas, quae occurrunt infra octavas festorum Domini, nempe Nativitatis, Epiphaniae, Ascsnsionis et Corporis Christi ». Et adiiciebat, tamquam ex proprio iudicio, etiam infra octavas Nominis Iesu, SS. Cordis, Redemptoris, Transfigurationis etc. Et concludebat: « Hoc declaratum est postea a S. R. C., suo decreto 30 Decembris 1911 ». Sed nos animadvertimus, post decretum citatum, res ut prius perseverare, quia eadem sunt verba decreti, ac tituli citati Rubricae X, n. 4, ex Constitutione *Divino afflatu*, quinimo decretum ipsum citat eundem titulum et numerum, eique se refert; ergo, hodieque res dubia, saltem, est. Confitemur tamen, re penitius considerata, veriorem esse sententiam faventem

Praefationi de octava. Omne dubium solvent Rubricae novorum Missalium, proxime concinnandae.

XI. Si in Dominica infra octavam Titularis ecclesiae Missa solemnis celebratur de Titulari, estne:

a) haec Missa solemnis votiva licita, sine speciali privilegio?

b) si in Dominica *minori* celebratur, commemorandane est Dominica et Officium occurrens, an cum unica Oratione, *Gloria* et *Credo*, si aliae Missae celebrantur de Officio occurrenti?

c) si est Dominica *maior* II cl. (II Advent.) potestne esse Missa votiva solemnis unica de Titulari, si aliae Missae habentur de Officio occurrenti?

Resp. a) Negative, ut patet etiam ex variis Indultis ad rem datis a S. Rituum Congregatione.

b) Cum supponatur privilegium, standum terminis illius, quia varia est in similibus praxis. Si tamen habeatur, praeter Missam solemnem de Titulari, etiam Missa solemnis, vel utcumque, etiam lecta, conventualis de Officio currenti, nulla fiet in Missa de Titulari commemoratio.

c) Ut ad superiores litteras *a*) et *b*).

XII. In fasciculo 1 « Ephem. Liturg. » an. 1914, p. 15, « adhibitis tamen, *per Octavas,* Responsoriis de Festo » [per Octavas] intelligendum est: « privilegiatas ». Facile aliquis cogitare posset infra octavam S. Ioannis Bapt. aut infra octavam Conceptionis Immaculatae Responsoria esse de festo, quod revera contra tit. III, n. 1 Decreti S. R. C., 28 Oct. 1913, esset.

Resp. Affirmative, et vide eiusmodi responsionem in novis rubricis infra octavas S. Ioseph et S. Ioannis Bapt.

XIII. Dominica III post Pentecosten licitane Missa votiva solemnis de SS.mo Corde cum unica Oratione *Gloria* et *Credo?*

Resp. Festum SS. Cordis Iesu, seu externa illius solemnitas in aliam diem ab Ordinariis locorum designatam potest transferri, etiam cum privilegio celebrationis Missae

propriae de ipsomet SS. Corde; hoc autem privilegium excluditur, quoad Missam solemnem, a duplicibus I cl., et a Dominicis privilegiatis item I cl. Non est omittenda tamen Missa conventualis vel parochialis, Officio diei respondens, ubi eam celebrandi adest obligatio (S. R. C., n. 3960). Quoad orationes in eiusmodi Missa dicendas, decretum tacet, et ait tantum, quod servari debeant Rubricae. Hinc putamus in casu Missam esse considerandam tamquam de festo occurrente I classis. Nihil obstat ex novissimis dispositionibus; huic privilegio, ita ut etiam nunc et in posterum privilegium omnino valeat. Si vero in dubio sermo sit de Purissimo Corde B. M. V., standum Decreto 28 octobris 1913, tit. I, n. 2.

XIV. In Dominica Quinquagesimae, et duobus sequentibus diebus, celebratur solemne Triduum in honorem SS.mi Sacramenti; utrum in Ecclesiis, ubi non observatur *Instructio Clementina*, neque adest obligatio Chori, licita sit Missa votiva solemnis cum *Gloria, Credo* unica Oratione de SS.mo, exceptis festis dupl. I cl. iuxta tenorem Missalis, tit. VI?

Resp. Negative, neque enim Instructio Clementina, ubi retinetur, neque titulus VI Rubricarum Missalis generalium aliquomodo suffragantur: a fortiori nulla favorabilis interpretatio in casu.

XV. Iuxta Decretum S. R. C. diei 28 Oct. 1913, I, 2, « Omnes Missae etc.... », num et in Missa *solemni* etiam sit commemorandum festum simplex?

Resp. Nihil obstat in casu, quominus servetur solitum circa orationes in Missa solemni, et ideo excludenda est a Missa de Solemnitate translata commemoratio festi simplicis, eo modo quo excluderetur, et reipsa excluditur, die festo, ait quippe decretum, loco citato, *addita oratione de officio diei et aliis omnibus, quae dicendae essent, si festum ipsa Dominica incidisset.* Quomodo ergo in festo occurrenti, saltem duplici secundae classis, excluderetur commemoratio simplicis, ita etiam die Solemnitatis translatae excluditur.

Pro Dioecesi Rottemburgen. — I. Quaeritur, utrum Indultum obtinendum, quo oneri Missae parochialis satisfieri possit etiam per applicationem Missae de Solemnitate alicuius festi in Dominicam translata spectet ad S. Congr. Rituum an ad S. Congr. Concilii ?

Resp. Ad S. Rituum Congregationem, utpote quod res non versatur circa onus aliquod, sed circa qualitatem Missae, scilicet ritum et ordinem illius.

II. Iuxta Instructionem seu declarationem super Calendariis propriis reformandis Calendario dioecesano tum alia tum ea festa inserantur, quae cum dioecesi specialem habent relationem. Quaeritur, quid sit intelligendum sub voce « specialis relatio » ?

Resp. Incerta admodum res est, et nihil aliud dici potest nisi quod S. Rituum Congregationis sit expetendum responsum in casibus particularibus : ceterum facta est specialis praescriptio, quoad Calendaria dioecesana et Ordinum vel Institutorum cuiusvis generis, ut ad ipsam S. Congregationem exhibeantur, intra praesentem mensem martium.

III. Decreto S. R. C. d. d. 21 Nov. 1893, n. 3811, I, statuitur: « Si denique utrumque festum fuerit eiusdem dignitatis, festum magis proprium minus proprio praeferatur », et decreto eiusdem S. Congregationis d. d. 28 Oct. 1913, IV, 2 praecipitur: « Festa vero duplicia maiora vel minora aut semiduplicia, quae in universa Ecclesia celebrantur, si accidentaliter vel perpetuo impedita fuerint, non transferuntur, sed de iis fit Commemoratio iuxta Rubricas, et legitur IX Lectio historica ». Quando ergo dies natalis alicuius Sancti, qui in dioecesi ortus est, vel vixit etc., v. gr., in diem 21 Ianuarii incidat, officium eiusdem Sancti celebratur, et de s. Agnete fit tantum commemoratio cum l. IX historica. Quaeritur, utrum stricte praescribatur, ut festum huius Sancti in die natali i. e. in casu d. d. 21 Ianuarii celebretur, an liceat officium huius sancti in diem alium prorsus liberum assignare, ne omittatur officium proprium s. Agnetis, saltem per modum indulti ?

Resp. Neque per modum interpretationis, neque per modum indulti obtineri *per se* potest relaxatio legis, uti exponitur, clarissime promulgatae. Multa sunt, quae aegre sustinentur, sed bonus ordo, obedientia et conscientia recte facti, compensationem gignere debent. Si tamen validae rationes secus suaderent, recurratur ad S. Sedem.

Pro Archidioecesi Varsavien. — Debetne hoc anno 1914 reformari Calendarium pro coenobio Sanctimonialium *Ordinis S. Benedicti* de perpetua adoratione SS. Sacramenti, iuxta Motu Proprio « Ab hinc duos annos », an vero uti licebit hodierno Calendario etiam in anno 1915?

Resp. Nequimus aliter respondere, quam verba allegando Motus proprii « Ab hinc duos annos », sub fine: « Qui ad officium persolvendum romano utuntur Breviario, tum e clero saeculari, tum e regulari utriusque sexus, his praescriptionibus non teneri nisi a Calendis anni 1915. Qui vero, aliud legitime usurpant Breviarium a romano diversum, iis S. Rituum Congregatio definiet intra quos terminos ad easdem praescriptiones accommodare sese debeant ». Si ergo Sanctimoniales, de quibus in casu, Breviario Ordinis utuntur, S. R. Congregationis decisiones expectent.

Pro Heldenstein in Bavaria. — In novo Proprio Congregationis SS. Redemptoris legitur, die 15 Iulii, « Festum SS. Redemptoris, d. I classis cum oct. et Com. S. Henrici in Laudibus tantum ». Nonne legendum est « Com. S. Henrici in Laudibus *et Missis privatis*.

Resp. Ita, procul dubio. Calendarista legit forsan novissimas rubricas, quae Breviarium tantum respiciunt, et non Decretum diei 28 Octobris 1913, IV, 2, ubi dicitur: « Si tamen festum impediens fuerit aliud duplex I cl. (scilicet non Domini Ecclesiae universalis), de officio impedito fit Commemoratio tantum in Laudibus *et in Missis privatis* ».

II. Cum aliquo Collegio eiusdem Congregationis coniungitur in unum Ecclesia parochialis. Ex privilegio possunt in ea celebrari festa Congregationis cum unica Missa solemni, quamvis Directorium Dioecesis aliquid aliud ha-

beat. Quaeritur: Potestne eiusmodi festum etiam celebrari in Dominicis Adventus et Quadragesimae; in Dominicis Passionis et Palmarum?

Resp. Negative; eo quod privilegiati nequeunt latius favorem interpretari, quam ius quod competit Congregationi, celebrandi festum integrum, videlicet iuxta rubricas; quae non sinunt in Dominicis praedictis ulla festa celebrari, etiam I cl. Hinc, si prohibetur in ecclesiis propriis Congregationis festi celebratio, *a fortiori* prohibita censenda est dicta Missa in ecclesia aliena. Excipe tamen ubi concursus populi habetur ad festum v. gr. S. Clementis celebrandum, quia tunc succurrit tit. VI rubricarum generalium Missalis romani; verificatur enim, festum taliter celebrandum impediri, et concursum populi haberi. Exceptiones tamen in eodem titulo designantur, et sunt Dominicae: primae Adventus et Quadragesimae; Dominica Passionis et Palmarum. Cum autem novissime decretum sit evehi Dominicas etiam secundam, tertiam et quartam Quadragesimae ad maiores primae classis, putamus etiam in his, istiusmodi Missam solemnem amodo impediri. M.

E Vallendar (in Germania). — I. Nunc omnis Sacerdos ex decr. S. Officii. 13 Aug. 1913 (A. A. S., V, 429), qui Conciones in S. Missione habuerit, de licentia Episcopi Crucem « *a Missionibus* » benedicere valet cum indulgentiis ibidem relatis. — *Quaer.*: 1. Quanam formula sit utendum? — 2. Requiritur ne licentia Episcopi ad valorem indulgentiarum?

Resp. Iuxta praedictum Decretum, ad erigendas Cruces quae « *a Missionibus* » nuncupantur, quatuor conditiones requiruntur; 1. ut Crux erigenda sit ex solida decoraque materia confecta; — 2. ut Crux determinato loco adhaereat, vel basi firmiter sustentetur; — 3. ut Crux benedicatur per Sacerdotem qui in S. Missione Conciones habuerit, et — 4. ut accedat consensus Ordinarii loci ad erigendam et benedicendam eiusmodi Crucem.

Ad has Cruces *valide* benedicendas, praeter supramemoratos conditiones, requiritur usus formulae in Rituali

praescriptae, quae duplex est: alia communior et brevior in Rituali (tit. VIII, Cap. XXIV), alia solemnior in Appendice. Patet hanc alteram formulam praeferendam esse quando coram fidelibus benedicitur Crux ab iisdem magna veneratione colenda. Adverte hac Benedictione Crucem benedici, non Crucifixum, cuius imago pro eiusmodi Cruce non requiritur (Cf. Nouv. Revue Theol., t. XLV, p. 729; Pighi-Ferrais, *Liturg. Sacerdot.*, n. 619; Ill.mus V. D. Stappen, *de Administrat. Sacrament.*, q. 339; etc.)

II. In nova editione typica Ritualis Romani plures Benedictiones dicuntur reservatae, quae hucusque erant liberae, v. g. Benedictio Bombycum, Cinguli S. Philumenae, Crucis novae (formula simplex) etc.: 1. nonne id intelligendum est ad normam Decreti S. R. C. n. 2143 de Benedictione publica, ad quam rubrica in fine apposita (bened. Crucis novae) referenda videtur? — 2. Cui reservatae censentur Benedictiones signatae « R » magna?

*Resp. ad 1.*ᵐ Affirmative. « Utraque Benedictio (novae Crucis, ait Ill.mus V. D. Stappen l. c.) est ex reservatis; et Sacerdos ad utramque procedere non potest, nisi fuerit ab Episcopo delegatus. Hoc tamen intelligendum est, si agitur de Benedictione cum apparatu et publice facta; nam Crucem private benedicere, ea Benedictione quae describitur in ipso Rituali, potest quicumque Sacerdos, sine delegatione. « Hoc confirmatur Decreto S. R. C. 12 Iulii 1704, n. 2143, ubi dicitur: « Cruces Altarium seu Processionum non sunt benedicendae de praecepto, et simplex Sacerdos potest eas benedicere private, et non solemniter ».

Insuper adverte quod Benedictio *Bombycum* sit tantummodo adprobata pro Archidioecesi Lugdunensi et Benedictio cinguli in honorem S. Philumenae pro Archidioecesi Parisiensi, et consequenter iis respectivis Dioecesibus reservatae censentur illae Benedictiones.

*Resp. ad 2.*ᵐ Videndum est in ipso Rituali Romano, ubi in capite cuiusvis Benedictionis satis indicatur, si sit reservata, cuinam reserventur benedictiones signatae magna

« R » in indice alphabetico eiusdem Ritualis. Aliae enim Benedictiones sunt *Papales*, aliae *Episcopales*, aliae mere *Sacerdotales*. *Papales* sunt illae Benedictiones, quarum Minister est solus Pontifex; ex his vero quasdam Rom. Pontifex numquam delegat (quamvis possit), ut est Benedictio Rosae aureae, Agnorum Dei, Pallii et Ensis; quasdam vero delegat et Episcopis et simplicibus Sacerdotibus, ut est Benedictio super populum, Benedictio apostolica in articulo mortis, etc. — *Episcopales* sunt illae Benedictiones, quarum, sic volente Ecclesia, Ministri sunt tantum Episcopi: istae in Rituali dicuntur simpliciter *reservatae*. — Inter Benedictiones *Sacerdotales* triplex admittenda est classis: quaedam sunt propriae quorumdam Ordinum religiosorum, quaedam spectant ad Parochos, et quaedam sunt omnibus Sacerdotibus communes.

III. Hucusque concedi solebat facultas benedicendi imponendique quatuor scapularia sub unica formula, quintum vero de Monte Carmelo sub speciali formula. Sed ab anno 1910 S. R. C. concessit subinde etiam facultatem quinque haec scapularia sub unica benedicendi formula. Porro in novo Rituali habetur haec tantum formula benedicendi, scil. quinque Scapularia, altera pro quatuor scapularibus omissa.

1.° Recte ne concluditur eos, qui hucusque facultatem, quam primo loco commemoravi, adepti erant, amodo nova formula pro 5 scapularibus licite uti posse? — De *valore* enim ambigendum non esse constat ex rescripto S. C. Indulg. 12 Sept. 1883 ad 3 (Schneider, Rescr. Auth. S. C. Indulg., n. 444), atque ex decreto eiusdem S. C. 24 Aug. 1844 ad 3 (Decr. Auth. S. C. Ind., n. 329), etc.

2.° Cuius Ordinis propria ista nova formula est?

Resp. ad 1.m Est verum, ab anno 1910 denuo permissum est benedicere et imponere sub unica formula quinque Scapularia, quin excipiatur illud de Monte Carmelo (Cf. Beringer, *Les Indulgences* etc., append. ad 3 edit., n. 90). — Utrum autem illi qui antea facultate gaudebant benedicendi imponendique quatuor scapularia sub unica formula, in prae-

senti etiam fruantur illa facultate, qua benedicere et imponere possunt quinque scapularia sub unica formula, uti exstat in nova editione typica Ritualis Romani, si nempe praedicti Sacerdotes polleant facultate benedicendi et imponendi Scapulare de Monte Carmelo, necne? Ad hanc quaestionem *negative* respondendum esse mihi videtur *quoad liceitatem,* cum haec secunda facultas non sit comprehensa in prima et indulta extendi nequeant, sed sumenda et intelligenda sint, prout iacent.

Est verum *de valore* non esse ambigendum pro iis qui gaudent facultate quinque dicta scapularia benedicendi et imponendi, uti constat ex Rescr. S. C. Indulg. d. 12 Sep. 1883, ubi ad 3^m dub.: « An qui dicta quatuor scapularia benedicendi imponendique facultatem obtinuit a respectivi Ordinis Superiore, licite ac valide uti possit breviori formula a Ss. Rituum Congregatione approbata, non obtenta ad hoc a S. Sede facultate speciali? » — S. C. Ind. resp.: « *Valide quidem, sed non licite* ».

Circa impositionem vero Scapularium pluribus accedentibus, pro iis qui praedicta facultate utendi breviori formula non gaudent, utile erit sequens Decretum S. C. Indulg., d. 28 April. 1891, quod est sequentis tenoris: « Aliquando impositio scapularium ab Ecclesia approbatorum, ita pro frequentia populi protrahitur, ut fiat cum assistentium taedio et Sacerdotis defatigatione. *Quaeritur:* Utrum liceat Sacerdoti in impositione Scapularium ab Ecclesia approbatorum omnibus rite peractis, dicere *semel numero plurali* formulare: *Accipite, fratres,* vel *Sorores* etc., *imponendo successive et sine interruptione Scapulare omnibus praesentibus,* vel potius formula numero singulari pro singulis repetenda? » Resp. S. C.: « Affirmative quoad primam partem; Negative quoad secundam, uti decretum est in una Valentinensi, die 5 Febr. 1841 ad dub. IV » (1) (Vide Collectan. S. C. P. F., vol. II. n. 1754, edit. 2).

(1) Dubium erat: « Utrum in adscribendis fidelibus sodalitati sacri Scapularis liceat uti in plurali parva formula: *Accipe vir devote* etc. » S. C. resp.: « Affirmative, iuxta propositam rubricam in precibus benedictionis sacri scapularis » (Collect. cit. in not.).

Circa modum autem imponendi Scapularia S. Congr. d. 26 Sept. 1892 sequens decretum edidit: « Plures Sacerdotes qui benedicendi imponendique Scapularia facultate gaudent, ea tantum humero et non circa collum fidelium imponunt. Hic modus imponendi speciatim cum mulieribus et Monialibus, quibus ob capitis tegumentum difficulter circa collum Scapularia imponi possunt, adhibetur. Et fieri omnino nequit ut mulieres et Moniales, praesertim cum magna populi multitudo in ecclesiis adest, capitis tegumentum deponant: *Quaeritur:* Utrum uni tantum humero, et non circa collum Scapularis impositio valida sit, necne? » — Resp. S. C.: « *Affirmative* » (V. Collectan. S. C. P. F., vol. 2, n. 1817).

Resp. ad 2.^{m} Praefata facultas benedicendi et imponendi quinque Scapularia sub unica formula obtineri potest a S. Rit. Congregatione (Ita Beringer, op. et loc. supra cit.) Insuper ex particulari informatione notificare possum, antiquam facultatem benedicendi et imponendi quatuor Scapularia sub unica formula a S. C. Rituum non amplius concedi.

IV. Ex decreto S. C. Indulg. 7 Martii 1840 (Decr. auth. n. 280) et ex altero d. 16 Iulii 1887 ad 7 (Nuntius Rom. 1887, p. 204-206) (*a*), Sacerdos habens facultatem indiscriminatim, potest et sibi Scapulare imponere vel se Confraternitati adscribere. Quomodo formula in casu est mutanda, seu quanam formula utendum? (recipio te, accipe etc.).

Resp. Circa hanc quaestionem nihil determinatim inveni; sed responsum satis manifestum deduci potest ex Decreto S. C. Indulg. d. 24 Aug. 1844, quod ita sonat: « An rata sit fidelium adscriptio Confraternitati B. M. V. de Monte Carmelo, quae fit a Sacerdotibus quidem facultatem habente, non servata tamen forma in Rituali et Breviario Ord. Carmelitarum descripta? » S. C. resp.: « Affirmative, dummodo Sacerdotes facultatem habentes non deficiant in substantialibus, nempe *in benedictione, et impositione habitus, ac in receptione ad Confraternitatem* » (Decr. auth. n. 329 ad 3, et n. 421 ad 2). — Declaratio autem S. Congregationis *de ser-*

vandis substantialibus in adscriptione fidelium Confraternitati B. M. V. de Monte Carmelo, debet etiam, atque eodem sensu, intelligi quoad cetera Scapularia (Decr. 27 April. 1887, Act. S. Sedis, vol. XIX, pag. 558 ad 3). — Non omnia ergo, quae in diversis Scapularium formulis continentur, sunt ad validitatem necessario proferenda, sed illa quidem quae sunt substantialia, illa verba nempe quae exprimunt benedictionem et impositionem habitus, ac receptionem in Confraternitatem, si haec locum habeat. — Hinc nihil impedit quominus Sacerdos sibi imponens Scapulare dicat *Accipio habitum, Induat me Dominus,* etc.,

V. Pluries indultum est, ut omitti possit tum impositio Scapularium tum inscriptio fidelium; cfr. S. C. Indulg. Decr. Auth., n. 350, atque indulta Fr. Min. Capuc. 14 Dec. 1904, O. Fr. Min. 23 Maii 1905 et 22 Aug. 1906, Carmelitis 16 Iulii 1906, aliisque recenter concessa. — Quomodo intelligi debet clausula in casu « *dove vi sarà grande concorso di fedeli* » (an petentium tantum Scapularia aut etiam confitentium etc.), seu quot circiter requiruntur, ut liceat ritum breviorem sequi?

Resp. Quomodo illa clausula intelligenda sit, ut facultatem habenti liceat breviorem formulam sequi, satis eruitur ex diversis indultis ea de re a S. Sede concessis: In indulto Fratribus Minoribus Capuccinis concesso rescr. S. C. Ind. 14 Dec. 1904, dicitur: « *Tempore Missionum et spiritualium exercitiorum,* Religiosi Ordinis, qui facultate pollent benedicendi S. Scapularia eaque imponendi, hanc benedictionem e suggestu peragere valent, formula in numero plurali, praetermissa impositione Scapularium, quae sibi quisque fidelium imponet, necnon nominum inscriptione atque eorumdem ad respectivam Confraternitatem transmissione » (V. Summar. Indulg. etc. a S. C. Ind. approbatum, pag. 18, n. 1). — In indulto Patribus Ss. Redemptoris concesso legitur: « Licet eis, *occasione Sacrarum Missionum vel magni concursus populi,* praedicta Scapularia benedicere... quin Sacerdototes propriis manibus imponant.... Praefati Sacerdotes a lege inscribendi nomina fidelium in albo Confraternitatis sunt

exempti... » (V. P. Mocchegiani, *Collect. Indulg.* etc., n. 873, in not., nn. 4 et 5). — Demum in Decreto S. C. Ind. d. 18 April. 1891 (A. S. S., XXIII, 638) habentur sequentia verba: « Aliquando impositio Scapularium ab Ecclesia approbatorum ita pro frequentia populi protrahitur, ut fiat cum assistentium taedio et Sacerdotis defatigatione, *praesertim post primam* puerorum Communionem vel exercitia Missionum, quia tunc permulti accedunt ad hos sacros habitus suscipiendos, quae praecaverentur incommoda, si Sacerdoti liceret una tantum vice dicere formulam numero plurali, imponendo successive, sed nulla interposita mora, Scapulare fidelibus praesentibus... » Et S. C. resp.: « Licere Sacerdoti *(in eo casu)* in impositione Scapularium ab Ecclesia approbatorum, omnibus rite peractis dicere semel *numero plurali* formulam: *Accipite, fratres,* vel *sorores* etc..., imponendo successive et sine interruptione Scapulare omnibus praesentibus... ».

Ex praedictis satis liquet illam clausulam intelligendam esse de magno populi concursu, qui Scapularia petunt, uti generatim habentur tempore Missionum vel Spiritualium Exercitiorum, vel occasione primae puerorum Communionis, et in similibus circumstantiis.

VI. In quodam Collegio studiosi minores mane serius assurgunt quam maiores. Unde habetur duplex Missa Communitatis. Nonne prima Feria VI mensis bis Missa Sacratissimi Cordis Iesu dici potest, in eodem Oratorio, cum Communitas sit virtualiter duplex?

Resp. Vide quod dictum fuit in *Ephemeridibus* nostris anno elapso *E Galicia,* pag. 167 et sequenti.

VII... Sanctitas Sua... S. Petrum Claver Conf. e Societate Iesu peculiarem apud Deum Patronum sacrarum Missionum ad Nigritas suprema auctoritate sua declaravit et constituit, die 7 Iulii 1896 (*Nunt. Rom.,* 1897, 40). — Estne exinde eius Festum a Religiosis iis in locis (Africa etc.) sub ritu dupl. I classis celebrandum ad normam decr. S. R. C. n. 3578 ad 2; immo cum Octava, ubi Kalendarium Religiosorum est etiam illud regionis, iuxta novas Rubr. VIII, 3? (cf. Ephemer. Liturg., 1913, 350-355).

Resp. Iuxta novas Rubr., recens revisas, tit. IX, n. 3; « Festa Patronorum principalium Oppidi vel Civitatis, Dioecesis, Provinciae et Nationis, Clerus saecularis et regularis ibi degens et Kalendarium Dioecesanum sequens, sub ritu duplici I classis cum Octava celebrabit; Regulares vero ibidem commorantes et Kalendarium proprium habentes, eadem Festa, quamvis feriata in foro numquam fuerint, eodem ritu celebrabunt, absque tamen Octava, nisi pariter eis alio titulo debeatur?

Cum itaque S. Petrus Claver debite electus et a Sancta Sede approbatus sit ceu Patronus peculiaris sacrarum Missionum apud Nigritas in Africa, etc. (Vide Rescript. S. R. C, d. 7 Iulii 1896, apud *Analecta Ecclesiast.*, an. 1897, pag. 24), exinde eius Festum a Religiosis iis in locis degentibus et Kalendarium illius regionis sequentibus celebrandum est sub ritu duplici I classis cum Octava; Regulares vero ibi commerantes et Kalendarium proprium habentes idem Festum sub eodem ritu celebrare tenentur, sed absque Octava.

VIII. Estne Romae facienda Commemoratio Octavae Ss. Apost. Petri et Pauli quotidie, iuxta decr. 3581, III, ab omnibus, etiam Religiosis qui proprium habent Kalendarium?

Resp. Affirmative; dicitur enim in citato Decreto sine ulla exceptione: « De Festo Ss. Apost. Petri et Pauli, die 29 Iunii, Romae agatur commemoratio singulis Octavae diebus, quocumque Festo occurrente ».

IX. Debetne adhuc post novas Rubricas celebrari festum S. Francisci de Paula sub ritu duplici 2 classis cum Octava iuxta decr. Ord. Fr. Min. Prov. Apuliae, 16 Febr. 1906, ad 6, etiam a Religiosis proprium habentibus Kalendarium?

Ratio dubii est quod hoc decr. sit omissum in Appendice ad Decr. Auth. vol. VI; referuntur vero alia, specietenus saltem contraria (Cf. n. 4087 et 4105 ad 1), et quoad Octavam non convenit cum novis dispositionibus Rubr. VIII, 3.

Quamobrem puto in Ephem. Liturg., 1912, p. 520 esse mendum, ubi dicitur Regulares in Anglia degentes teneri ad festa 'olim feriata « quoad ritum et octavam, iuxta decreta ». Sed quae sunt decreta etiam Octavam praescribentia a Regularibus in casu servandam?

Resp. Affirmative, quia ob indultum particulare ita praescriptum est. Revera, Gregorius XVI, Brevi « *Religiosae Familiae,* die x Maii 1839 ita decrevit »:... Nos igitur... hisce litteris Auctoritate nostra Apostolica etiam pro *Siciliae* Regno citra Pharum eiusdem S. Francisci de Paula diem festum cum omnibus praerogativis Compatroni principalis ad II Dominicam post Pascha Resurrectionis D. N. I. C. perpetuo ita transferimus, ut omnes et singuli *tam Saeculares quam Regulares* utriusque sexus, qui Horas Canonicas recitare tenentur, illius Officium et Missam *cum octava* in posterum recitare et celebrare *debeant* » (Vide *Ephem. Ecclesiast.,* an. 1914, p. 16). Cl. F. I. Moretti in eadem Ephemer. in nota addit: « Distinctio tamen facienda est; nam in Sicilia Insula proprie dicta, in Calabria, aliisque partibus praedicti Regni (delle due Sicilie) S. Franciscus est *praecipuus* Patronus, ideoque ritu duplicis *primae* classis colitur; in Neapolitana vero *Dioecesi,* cum S. Ianuarius nullum umquam passus sit aemulatorem Compatronum aeque principalem (ut se exprimit Ill.mus quidam et in re liturgica peritissimus Vir Neapolitanus) festum huiusmodi Patroni sub ritu duplicis II classis cum *Octava* tamen, etiam a Regularibus celebratur ».

Quamobrem praefatum decr. Ord. Fr. Min. Prov. Apuliae, d. 16 Febr. 1906 ad 6 et 10 (ap. Ephemer. Liturg., an. 1906, p. 322), nullo modo censetur abolitum, sed omnino particulare est pro Regno Neapolitano. Responsum autem, quod dedimus anno elapso (1913, pag. 233) in Ephemer. Liturg. circa eamdem quaestionem, datum fuit sine respectu ad indulta particularia, quae in casu pro Festo S. Francisci de Paula in Ditione Siciliae habentur.

Abstractione itaque facta ab indultis particularibus: iuxta nov. Rubr. recens reformatam, tit. IX, n. 3 et Decreta S. R. C. n. 3925, 3959 ad 1 et 4200 ad 2, Regulares proprio Kalendario utentes tenentur celebrare sub ritu duplici I classis *sine Octava* Festum patroni *praecipui* regni aut ditionis, etiam in casu quo habetur patronus distinctus proprius provinciae; clerus vero saecularis et regulares ibi degentes et Kalendarium dioecesanum sequentes sub eodem ritu, sed *cum Octava* idem Festum celebrabunt; idque etiam

pro utroque Clero, si illud Festum ibidem numquam celebratum fuerit *cum praecepto in foro.*

X. Cum novissimae quoque rubricae taceant circa qualitatem Officii festorum, quae a Regularibus cum Clero dioecesano concelebranda sunt, utrum scil. e Proprio Dioecesis sit desumendum, an ex Corpore Breviarii (si ibi habeatur, licet in Dioecesi aliud Officium habeatur proprium) vel secus de Communi, puto adhuc sustineri posse, nullam esse obligationem ad Officium Dioecesis adhibendum, etsi Ephemer. Liturg. pluries, ni fallor, contrarium docuerint. Nullus enim habetur hac de re textus clarus, neve in Decretis neve in Rubricis, unde talis obligatio posset imponi. Id non probat decr. S. R. C. in una Ord. Min. Capuc. Prov. Rheginen. 26 Iulii 1905 ad 3, quod ceteroquin non exstat in Collect. Auth. Decret. S. R. C. Ibi refertur enim solummodo ad indultum prius petitum, quod dicitur perstare. Item frustra provocatur ad Decr. cit. d. 16 Febr. 1906 Ord. Fr. Min. Prov. Apul. ad 1 et 2; non enim habetur in Coll. Auth.; praeterea non tam de qualitate Officii quam de obligatione festi quaeritur, et responsum minime importare potest generalem obligationem, ubi agitur de casu particulari. Insuper dicendum est S. C. respondere consuevisse ad quaestionem principalem, ad reliqua vero ut plurimum non attendere, licet sint falsa. — Rectene sentio?

Resp. Quidquid dixerint Ephemerides Liturgicae in anterioribus annis circa obligationem desumendi Officia et Missas propria e Proprio Dioecesis (si habentur), quae a Regularibus, etiam proprium Kalendarium habentibus, cum Clero Dioecesano concelebrari debent, mihi adhuc in praesenti videtur, id licitum non esse, nisi haec Officia et Missae propriae etiam ad Regulares proprium Kalendarium habentes explicite sint extensa.

A Rubricis ea de re certe nihil statutum est. Quoad Decreta S. R. C. Videamus:

1° In Decreto S. R. C. d. 26 Mart. 1859 ad 1 et 2, n. 3084 agitur: *a*) de Moniaiibus Ordinario subiectis et proprium Ordinis Kalendarium habentibus; — *b*) de Officiis Sanctorum de praecepto pro Rugularibus in Ecclesia Eu-

gubina ex indulto apostolico recitandis, et consequenter de Officiis, uti ibi sunt descripta, utrique Clero ex indulto Apostolico explicite concessis. — Porro illud Decretum in Indice generali (Decr. Auth. S. R. C., vol. V, verb. *Moniales,* pag. 315) sic exhibetur: « Moniales non tenentur ad Officia Dioecesis, nisi in Rescripto concessionis haec Officia declarata fuerint *de praecepto* etiam pro Regularibus Calendario Dioecesano minime utentibus; sed pro festis s. Patroni, Titularis et Dedicationis Ecclesiae Cathedralis, *etiam ad Officia Dioecesis propria tenentur, si haec Officia etiam ad Regulares extensa sunt;* dummodo Breviarium, quo Moniales utuntur, non discrepet a forma Breviarii Romani ».

2° Recte dicit Inquirens: « id non probat Decr. S. R. C. in una Ord. Min. Capuc. Prov. Rheginen. d. 22 Aug. 1905 ad 3 *(ap. Ephemer. Liturg., an. 1906, p. 5):* ibi refertur enim solummodo ad indultum prius petitum *(et obtentum),* quod dicitur perstare.

3° Item frustra provocatur ad Decr. S. R. C. d. 16 Febr. 1906 Ord. Fr. Min. Prov. Apuliae ad 1 et 2; nam, ut recte dicit Inquirens, non habetur in Collect. Auth., cum sit omnino particulare, uti satis patet ex ipso Decreto et solutione casus IX supra dati, et consequenter illud responsum S. R. C. minime importare potest generalem obligationem seu generale indultum.

XI. Saepius contingit ut Nigritae in Africa laborent e foedis et contagiosis ulceribus (eruzione). Unde quando multi simul baptizantur, v. g. 60 vel plus quam centum, valde molestum, immo periculosum est, singulos baptizandos tangere saliva de ore sumpta. — Potestne in casu haec caeremonia omitti, attento praesertim Rit. Rom. tit. II, c. 4, n. 52, vel uni alterive solum fieri? Aliunde enim S. Sedes concessit, ut in ungendo adhiberetur virgula, decr. n. 3051 ad 2 et 3276 ad 1. Nullum tamen Decretum pro casu proposito mihi notum est omittendi salivae ritum ob periculum contagionis.

Resp. En Decr. S. C. S. Off.: *Feria 4 die 21 Ianuarii 1733.* « I Dubium — *An et quomodo Decretum clar. mem. E.mi Cardinalis de Tournon sit exequendum in ea parte, quae est te-*

noris sequentis: — Districte prohibemus, ne in baptizandis, tam pueris, quam adultis cuiuscumque sexus et conditionis, omittantur sacramentalia, sed omnia palam ahdibeantur, et signanter *saliva,* sal et insufflatio, quae ex Apostolica traditione Catholica Ecclesia recepit, et ob recondita in iis sacris ceremoniis divinae erga nos bonitatis mysteria, sancte et inviolabiliter custodivit; decreto S. R. et U. Inquisitionis de anno 1656 pro Sinis facto, ob diversas rationes et circumstantias, minime obstante ». « Eminentissimi dixerunt — Confirmandum esse decretum E.mi Cardinalis de Tournon, sed consulendum Sanctissimo, quod Missionariis Regnorum Madurensis, Mayssurensis et Carnatensis dispensationem concedat *ad decennium duraturam,* omittendi in collatione Baptismi *salivam,* et occulte utendi insufflationibus, in casibus tamen particularibus, et in quibus gravis et proportionata necessitas urgeat, super qua conscientia Missionariorum oneratur; dummodo non laboret errore habendi salivam et anhelitum, tamquam materiam ineptam, vel incapacem ad inserviendum pro sacramentalibus caeremoniis in Baptismo, utpote omnino incapaces Baptismi, eisque Missionariis iniungendum, ut debitam instructionem, aliasque omnes possibiles diligentias adhibeant, ut aversio populorum a saliva et insufflatione amoveatur, et de instructione, aliisque diligentiis adhibitis Sanctam Sedem intra tempus decennii certiorent.

Insuper monendos esse Missionarios super gravi negligentia non recurrendi ad S. Sedem pro obtinenda facultate dispensandi, et male se gessisse Episcopos concedendo huiusmodi dispensationem, inconsulta Apostolica Sede » (Vide Collectan. S. C. P. F., vol. I, pag. 160, edit. 2) — Clemens Pp. XII dictam dispensationem aegre et difficulter ad aliud decennium prorogavit (Vide ibid., pag. 169).

Instante Vic. Ap. Tunk. Occid., Sanctitas Sua ad *Sinenses finitimasque sive Orientales regiones* extendit Pauli III Const. pro Indiis occidentalibus an. 1537 editam, incip. « *Altitudo divini consilii* », quae est ut sequitur: « Statuimus ut qui in posterum, extra urgentem necessitatem, sacrum Baptisma ministrabunt, ea observent quae a dicta Ecclesia

observantur, oneratis super hac tali necessitate conscientiis eorum, extra quam quidem necessitatem in sacro Baptismo haec quatuor observentur: primum, aqua sacris actionibus sanctificetur; secundum, catechismus et exorcismus fiat singulis; tertium, sal, saliva, capella et candela ponatur duobus vel tribus pro omnibus utriusque sexus tunc baptizandis; quartum Chrisma ponatur singulis in vertice capitis, et Oleum Catechumenorum ponatur super cor viri adulti, puerorum et puellarum; adultis vero mulieribus ponatur in illa parte quam ratio pudicitiae demonstrabit » (Litt. S. C. P. F., 28 April. 1846 — Coll. I, n. 1005).

Inquirens iudicet, si in casu proposito non adsit sufficiens causa ad postulandam S. Sedem pro extensione praefatae Constitutionis Pauli III.

Demum quoad Rubricam Rit. Rom. tit. II, cap. 4, n. 52, Baruffaldus in suo Comment. sequentia dicit: « Haec Rubrica pro Missionariis Apostolicis facit, qui ad Indos, sive ad novum Orbem mittuntur, et a S. C. Propagandae Fidei Romae instruuntur de omnibus iis, quae in tali distantia permitti, et tolerari possunt. Nihilominus cum etiam possit dari casus, ut in gremio fidelium detur aliqua necessitas baptizandi multitudinem infidelium in aliquo urgenti periculo, v. gr., incendii, terraemotus, pestilentiae, vel fluviorum inundationis, et similium, praecipue cum in terris Christianorum Hebraei permittantur habitare palam, et absque restrictione, sciendum est, in istis necessitatibus, si urgeat periculum, vel multitudo sit innumerabilis, posse omitti caeremonias sacramentales, exorcismos et Catechizationes, vel cum pluribus adhiberi, et servari unicam, et solam essentiam Baptismi, in baptizando per Aquam, adhibita forma consueta: *Ego te baptizo,* etc. ».

P. V. ab A.

Appendix
ad Caeremoniale Parochorum

(Continuatio. Vide n. 3, curr. anni pagg. 190-192)

14. Post orationem *Veni, sanctificator, etc,* celebrans, absque genuflexione (D. ibid. ad 5), imposito et benedicto incenso, convertitur ad altare, et incensat oblata (1); quibus incensatis, diaconus calicem e medio corporalis non amovet. Deinde celebrans, quin cum diacono genuflectat, aliquantulum ad cornu evangelii se retrahit, diaconus autem ad cornu epistolae, et in ora suppedanei ambo genuflectunt. Dum diaconus ad dexteram celebrantis posteriorem planetae fimbriam ei elevat, subdiaconus cum patena in loco suo stans permanet (D. 2474), celebrans SS.mum Sacramentum thurificat, proferens verba consueta *Dirigatur, etc.* Deinde cum diacono suppedaneum conscendit, genuflectit, et altare incensat. Post altaris thurificationem celebrans in secundo gradu lateris epistolae vel in plano a diacono incensatur, ibique manus lavat etc.

15. Incensatio choralium et ceterorum, quibus thuris honor debetur, ritu consueto peragitur debitis cum genuflexionibus et inclinationibus, cavendo tamen semper ne terga Sanctissimo vertantur. Dum autem subdiaconus incensandus est non genuflectit, (quia uti celebrans pro impositione incensi, non recedit e medio), sed ad diaconum, cornu epistolae respiciens, conversus, incensatur. Diaconus vero reddit thuribulum clerico, pergit ad locum suum a tergo celebrantis, genuflectit, et se convertit ad thuriferarium recepturus incensationem, uti de subdiacono dictum est; deinde conversus ad altare non genuflectit.

16. Celebrans, post *Lavabo* ad altare ascendit, et facta in medio genuflexione, missam prosequitur iuxta solitum usque ad communionem, si excipias quad ad *Orate, fratres* non perficit circulum; diaconus post *Suscipiat,* si non adest caerimoniarius, genuflectit, et ascendit suppedaneum ad sinistram celebrantis ad

---

(1) In Parasceve genuflectitur, ut declarant rubrica missalis et memoriale rituum, quia non agitur de oblatis ad conficiendum Sacramentum, sed de ipsa divina Eucharistia.

vertenda folia missalis. Ad initium praefationis genuflectit, et descendit ad locum suum post celebrantem; et iterum ad finem praefationis genuflectit (cum diacono, ubi adest consuetudo), et ascendit ad recitandum trisagium, quo expleto, facta genuflexione, descendit, ac ad sinistram celebrantis transit, ubi iterum genuflectit.

17. Ceroferarii ad *Sanctus* intorticia ferentes, cum accedunt ante altare, utroque genu flectunt cum inclinatione capitis. Prolatis verbis consecrationis, dum celebrans genuflectit, ceroferarii, sicut et ceteri, convenienter caput inclinant; deinde in actu elevationis, sacram hostiam aspiciunt dicentes *Dominus meus et Deus meus!* Iterum inclinant caput dum celebrans genuflexionem reiterat. Similiter pro calicis elevatione; qua expleta, et non post sumptionem sanguinis, surgunt, genuflectunt utroque genu, et ad sacrarium redeunt.

18. Ad orationem *Quam oblationem,* diaconus, transiens a sinistra ad dexteram celebrantis, genuflectit antequam descendat non vero in medio. Deinceps a consecratione ad communionem, diaconus, subdiaconus et clerici servant omnia quae in aliis missis solemnibus praescripta sunt. Post communionem ministri similiter observabunt omnes genuflexiones pro aliis missis praescriptas; sed insuper, ratione Sacramenti in throno expositi, genuflexiones praestare debent quoties ad altaris medium accedunt, vel de altaris medio redeunt. Celebrans eodem loco accipit ablutionem et purificationem, et statim, ministri mutant loca, hinc et inde genuflectendo. Subdiaconus debet genuflectere in suppedaneo. antequam calicem accipiat, et eodem cum calice descendat, sed et genuflexionem facit in medio in infimo gradu, ut in aliis missis, quia per medium altaris transit, deinde redit ad locum suum retro post diaconum, sine genuflexione (D. 4172[4]).

19. Diaconus pro cantando *Ite, missa est* genuflectit, aliquantulum se abducit extra altaris medium, versus cornu evangelii, facie quasi versa ad cornu epistolae. Et cum celebrans dicit orationem *Placeat,* ministri genuflectunt priusquam ascendant apud suppedaneum pro benedictione. Si est genuflectendum infra ultimum evangelium, omnes ad ss. Sacramentum se convertunt (D. 3875[4]), et expleta missa, quin in medium altaris accedant, descendunt per breviorem in planum ante altare, caventes ne terga vertant Sacramento, ubi acceptis biretis, genuflectunt

utroque genu cum profunda capitis inclinatione, et ad sacristiam revertuntur: sese cooperiendo cum extra conspectum ss. Sacramenti pervenerint. Si autem post missam benedictionem cum Sanctissimo impertire opus est, ministri similiter genuflectunt utroque genu in plano (D. 4048[5]), et ad abacum pro dimittendis casula et manipulis, et induendo per celebrantem pluviali se recipiunt (1).

(Continuabitur)

(1) Cum ministri ad altare redeunt genuflexionem simplicem in gradu infimo efficient. Ita dicendum est, si facta fuerit aspersio aquae benedictae, cum ministri ad scamnum ibunt, et cum ad altare revertuntur, simplex genuflexio facienda est.

PROPRIETAS LITERARIA

IMPRIMATUR
Fr. ALBERTUS LEPIDI O. P., S. P. A. Magister.

IMPRIMATUR
FRANCISCUS FABERJ, Vicariatus Urbis *Adsessor*.

AUGUSTUS ZUCCONI, Director Domus editricis Desclée et Soc., Romae, *Sponsor*.

Ex Officina Polygraphica Latiali, Fratrum Tempesta, Via Boccaccio, 7 - Roma

S. CONGREGATIO RITUUM

DECRETUM

De festis localibus quae a religiosis recoli debeant.

Rubricae in recitatione Divini Officii et Missarum celebratione servandae ad normam Bullae *Divino afflatu*, tit. IX, num. 2 et 4, perspicue docent quaenam Festa localia sub competenti ritu ex lege generali Regulares, Kalendarium sive dioecesanum sive proprium habentes, celebrare teneantur. Quum tamen constet, anteactis temporibus ex mero Indulto sanctae Sedis nonnulla Festa pro utroque Clero alicui regno, aut provinciae, aut dioecesi concessa fuisse, de quibus in memoratis Rubricis et titulo nulla mentio, inde suborta est quaestio de obligatione Regularium ad haec quoque festa celebranda.

Sacra porro Rituum Congregatio hanc quaestionem dirimere volens, et insuper decernere quo Kalendario uti debeant sive Ordines Regulares, sive Religiosorum Congregationes aut Instituta, itemque alia nonnulla circa eamdem rem opportune definire, audito suffragio Commissionis pro ordine psalteriali reformando constitutae, attentis tenore et mente Bullae *Divino afflatu* et subsequentium Rubricarum et De-

cretorum, omnibusque accurate perpensis, sequentia statuere censuit:

I. Ordines Regulares proprium omnino habere debent Kalendarium, quod pariter adhibendum est a Monialibus et Sororibus eorumdem Ordinum.

II. Congregationes seu Instituta utriusque sexus a S. Sede approbata et sub regimine unius praesidis generalis constituta, si ad recitationem divini Officii teneantur, proprium pariter habeant Kalendarium.

III. Congregationes et Instituta, quae sive Ordinaria sive Apostolica auctoritate sint approbata, non tamen comprehendantur paragrapho praecedenti, uti debenti Kalendario dioecesano prouti iacet, additis iuxta Rubricas, Officiis, quae ipsis peculiariter concessa sunt.

IV. Ordines, Congregationes et Instituta, proprio Kalendario gaudentes, amodo celebrare tantummodo debent officia localia Dedicationis et Titularis ecclesiae cathedralis, nec non Festa solemniora Patronorum principalium, ita ut non amplius teneantur ad Officia alicui regno, provinciae aut dioecesi concessa; neque ad Officia localia quae adnexam habuerunt feriationem, nunc autem habent suppressam.

V. Quoad Festa localia, quae a Regularibus ut supra servanda sunt, ipsi uti debent Officio et Missa Clero saeculari concessis, nisi eadem Festa ab ipsis Regularibus iam habeantur cum Officio et Missa magis propriis.

VI. Si graves extent rationes ad aliqua Festa localia praeter recensita, pro aliqua Religiosa familia conservanda, sacrae Rituum Congregationis iudicio su-

biiciantur, ut praedicta festa, quatenus opus sit, in Kalendario inseri possint.

Quas resolutiones sanctissimo Domino nostro Pio Papae X per subscriptum sacrae Rituum Congregationis Secretarium relatas, Sanctitas Sua ratas habuit, probavit atque praescripsit, contrariis quibuscumque Indultis revocatis, aliisque etiam speciali mentione dignis non obstantibus.

Die 28 februarii 1914.

Fr. S. Card. MARTINELLI, *Praefectus.*

L. ✠ S.

† Petrus La Fontaine Ep. Charystien., *Secret.*

Commentarium.

Non parvi momenti est huiusmodi decretum, ipsum enim multas dubitationes e medio penitus adimit, quae saepe saepius oriebantur circa onus Regularium recitandi officia aliquibus locis concessa.

Habebantur quidem nonnulla officia, quae olim a S. Sede concessa fuerant tam saeculari quam regulari clero; habebantur alia, exquisita pro ditionibus propriis a regibus vel ducibus,vel principibus, quae pariter recitari debuerant ab utroque clero; quia tamen non semper explicita et clara fuit expressio huiusmodi concessionum ex una parte, et ex alia non una interpretatio tum scriptorum, qui hac de re tractarunt, tum regularium ipsorum: et cum multae ac disparatae essent sententiae, ita ut plurima decreta S. R. C. vulgare saepe debuerit; opportunissime hoc generale decretum confecit ipsamet S. C., in quo clarissime ac praecise ponuntur onera regularium circa officia localia ab ipsis recitanda.

Quod si in mente cuiusdam forsan aliqua admiratio

exurgere possit, eo quod nonnulla officia revera a regularibus quoque de praecepto erant recitanda, et nunc declarantur implicite sublata, attendere debet ad duas expressiones, quae in praemissis huiusce decreti inveniuntur, scilicet:

I. *Quum tamen constet anteactis temporibus ex mero indulto Sanctae Sedis nonnulla festa pro utroque clero...*

II. *Attentis tenore et mente bullae « Divino afflatu » et subsequentium rubricarum et decretorum...*

Distinguenda sunt officia, quoad onus recitationis, in duas species: Officia de praecepto, et officia ex indulto. Officia de praecepto, iterum in duas species dividuntur, officia ecclesiae universalis, quae de praecepto proinde ubique terrarum, ab iis qui utuntur breviario romano, recitari debent, et officia propria locorum, quae pariter de praecepto, a clero loci sunt recitanda iuxta antiquas rubricas (tit. I, 1 et, II, 1).

Officia igitur propria universalis ecclesiae, et officia propria alicuius loci, vel dioecesis, vel religionis, sunt revera praeceptiva, et ab ipsis priscis temporibus ecclesiae consueverunt celebrari festa sanctorum iis in locis, in quibus *martyrium, sepulcrum, titulus* de aliquo sancto habebatur. Imo, huiusmodi de festis in honorem sanctorum martyrum, certissima documenta iam habentur usque a secundo saeculo, nam Smyrnae, post mortem s. Polycarpi (155) statuta est anniversaria memoria eius martyrii (Cf. Duchesne « Origines » viij, 5, 8). Officia vero, quae revera propria non sunt alicuius loci, licet legitime fuerint concessa et usque nunc celebrata, nihilominus non *praeceptiva* fuerunt, stricto sensu, sed *permissa,* quia ex mero indulto S. Sedis concessa; nempe licet rationes non adessent ut nonnulla ex huiusmodi officiis tamquam propria alicui loco censeri possent, nihilominus, ex indulgentia, ex gratia, ex indulto, ab apostolica Sede concedebantur, maxime ex instantia principum, et etiam (quare fateri non debeamus?) ut onus quotidiani officii levius evaderet, prout postea nostris temporibus concessa fuerunt officia votiva, ob diminutum clericorum numerum,

et magis auctas eorum occupationes. Hac de re iam suo tempore Gavantus (III, 3, 5) huiusmodi officiorum petitiones lamentabatur dicens: « Videant episcopi, ne pluralitate festorum fiat iniuria officio feriali. » Et Guyet, qui anno 1658 opus suum celeberrimum edidit (I, 1, 19), loquitur « de notabili detrimento, quod infertur officio de Tempore, ex ingenti illa festorum coacervatione ». Similiter Cavalerius et Meratus et Grancolas.

De huiusmodi multiplicatione officiorum in universali ecclesia dolet etiam Benedictus xiv (*Canon. Ss.* IV, p. 2, c. vj, n. 5), et testatur: ne huiusmodi concessiones nimis multiplicarentur decretum editum fuisse a Clemente x, 26 iunii 1671, *ne fiat per quinquaginta annos verbum in S. R. C. super concessione novorum officiorum;* quod Clemens xj die 4 maii confirmavit. His minime obstantibus multa officia in calendario universali inducta denuo sunt, et excepto Benedicto xiv, quatuordecim pontifices, qui post Clementum x Petri cathedram tenuerunt, nova officia plus minusve concesserunt.

Itaque quid nunc dicerent si adhuc viverent huiusmodi clarissimi liturgistae nostris ultimis temporibus, in quibus multa calendaria dioecesana et alicuius ordinis nullum amplius diem liberum in toto anno habebant?

Hodie vero, cum ad levamen cleri, a Vaticano concilio imploratum, satis abunde provisum fuerit per novam distributionem psalterii, non amplius opus est ut multiplicentur officia novem lectionum, ideoque summopere decet ut redeat clerus, absque novo onere, imo cum levamine non exiguo, ad officium de Tempore, et sic omnimode oportet ut de officiis sanctorum illa tantummodo celebrentur, quae vere sint propria et de praecepto, relictis ceteris, quae hucusque ex mero indulto concessa fuerant.

Neque dicatur quod huiusmodi abrogatio officiorum, non respondet menti Pontificis, qui in bulla « Divino afflatu » aperte declarat, noluisse, ut quicquam de sanctorum cultu decederet; eo quod reapse nullum festum ex calendario uni-

versali abrogatum fuit; et si ex calendariis particularibus, ipsis Episcopis poscentibus et capitulis, plurima officia dempta fuerunt, agitur semper de illis, quae nullam cum dioecesi relationem habebant. Esto quod aliquod festum, puta S. Familiae, S. Raphaelis, S. Gabrielis Archangeli, S. Rochi conf. et S. Ioannis Nepomuceni, nisi de iure, saltem de facto, in tota ecclesia erant concelebrata, ideoque ipsa poterant retineri; attamen, cum in definitiva breviarii emendatione, tum ob textum S. Scripturae, tum ob lectiones historicas et sermones SS. Patrum, calendarium quoque universalis ecclesiae recognoscendum sit et emendandum, consultum fuit ut nil hodie moliretur, circa nova festa in ipso introducenda, ideoque in calendariis particularibus tantummodo illa festa retenta fuere a S. R. C. quae revera propria iuxta novissimas rubricas (tit. II, 2) sunt considerata.

Quibus praelibatis, ad commentarium huius decreti deveniamus.

I. *Ordines Regulares proprium omnino habere debent calendarium, quod pariter adhibendum est a Monialibus et Sororibus eorumdem Ordinum.*

Pro ordine Regulari intelligitur congregatio monachorum vel fratrum, sive etiam monialium, in qua sodales vota emittunt perpetua in professione solemni, cum obligatione divinum officium quotidie recitandi. Inter moniales autem et sorores datur distinctio: *moniales* iuxta praxim sacrae Congregationis Religiosorum: sunt illae virgines in monasterio conviventes sub clausura, quae solemnia vota emiserunt: *sorores* illae sunt virgines similiter in coenobio commorantes, sine professione solemni, sed cum votis simplicibus, quae tamen, iuxta constitutiones a S. Sede adprobatas, ad divinum officium recitandum quotidie se adstringunt.

Decretum istud loquitur de monialibus et sororibus ad ordines regularium virorum pertinentibus, sub eadem regula,

quasi filiationes, et ideo in officio persolvendo, sequuntur idem calendarium monachorum vel fratrum eiusdem Ordinis.

Oportet autem, ut ius ad calendarium Ordinis sorores istae habeant, quod revera officium divinum a communitate recitetur quotidie, nam, si huiusmodi honorabili munere non funguntur, calendarium proprium habere nequeunt, licet quodammodo ad ordinem quempiam sint aggregatae.

Sunt nonnulli qui docent, sorores huiusmodi, non recitantes officium divinum, sed officium parvum B. Mariae, iure potiri ut sacerdotes capellani celebrent missam iuxta calendarium Ordinis principalis ad quem pertinent, puta benedictini, franciscalis, etc., eo quod officium parvum locum teneat officii divini; attamen aliter nos dicendum esse censemus etiamsi aliquae ex istis communitatibus, uti sorores Conceptionistae nuncupatae, in officio parvo commemorationem officii occurrentis addant.

Id explicite S. R. C. declaravit die 10 maii 1907 (Cf. Acta Pii x, vol. V, p. 231), nempe: « Sorores tertiariae ordinum Regularium, Ordinariis locorum subiectae, in communitate viventes, ac vota simplicia nuncupantes et tantummodo officium parvum B. M. V. recitantes, non tenentur in propria ecclesia seu oratorio sequi calendarium respectivi Ordinis, relicto calendario dioecesano ».

Novae rubricae quidem et decreta obligant sacerdotes confluentes ad celebrandam missam in alienam ecclesiam, sub quo nomine ad hunc effectum veniunt et oratoria publica et semipublica, ut se conforment calendario illiusmet ecclesiae; porro, tantummodo ecclesiae, in quibus celebratur missa conventualis, respondens officio divino a communitate recitato, rigorose loquendo, habere possunt proprium calendarium; atqui moniales et sororoes quae recitant parvum officium B. Mariae, missam conventualem respondetem officio divino non habent, ergo nec iure gaudent ut sacerdotes confluentes, et etiam capellanus, missam celebrent iuxta calendarium Ordinis. Quod si ex. gr. in ecclesia Filiarum charitatis S. Vincentii a Paulo, quae officium divinum,

non recitant,nec ipsum officium parvum B. Mariae capellanus ordinarius esset unus ex presbyteris Congregationis Missionis, procul dubio tunc missam celebrare posset iuxta calendarium suae congregationis, eo quod oratoria Puellarum a charitate, fictione iuris, pertinent ad ipsam congregationem, cuius supremus moderator est etiam superior generalis ipsarum puellarum.

II. *Congregationes seu Instituta utriusque sexus a S. Sede approbata, et sub regimine unius praesidis generalis constituta, si ad recitationem divini officii teneantur, proprium pariter habeant calendarium.*

Plures novae Congregationes sive virorum, sive mulierum, ultimis hisce nostris temporibus, in ecclesia surrexerunt, perpetuam iuventutem eius testantes, quae sive in solatium pauperum et infirmorum, sive in puerorum educatione, sive in clericorum institutione, se dicarunt. Quia vero cum antiquis ordinibus nullam relationem habent, proprium praesidem generalem eligunt, iuxta regulas a S. Sede adprobatas.

Eiusmodi sunt ex gr. presbyteri a charitate a cl. Antonio Rosmini instituti, vel Salesiani a ven. Ioanne Bosco collecti, vel Missionarii a pretiosissimo sanguine a b. Gaspare del Bufalo congregati ac plurimi alii. Item, inter sorores, habentur Moniales B. Mariae a Coenaculo, Filiae Cordis Iesu, et aliae permultae.

Cum huiusmodi instituta seu congregationes, ad divinum officium recitandum ex constitutionibus se adstrinxerint, cadunt sub praescriptione huius decreti, ideoque, etiamsi usque adhuc calendarium proprium non habuerint, exinde illud poscere debent.

III. *Congregationes et Instituta, quae sive Ordinaria sive Apostolica auctoritate sint approbata, non tamen comprehendantur paragrapho praecedenti, uti debent calendario dioecesano prouti iacet, additis iuxta rubricas, officiis, quae ipsis peculiariter concessa sunt.*

Nonnulla habentur revera Congregationes, quae, licet sint adprobatae tamquam instituta vere religiosa, ideoque a iurisdictione Ordinariorum exemptae, nihilominus quodammodo pertinent adhuc ad clerum saecularem. Huiusmodi generis sunt presbyteri Oratorii S. Philippi Nerii, qui usque adhuc revera usi sunt calendario dioecesano.

Congregationes huius generis, calendario utuntur ergo dioecesano, prout utuntur clerici saeculares, ideoque Dedicationem et Titularem Cathedralis et loci Patronos, concelebrant cum octava, iuxta novissimas rubricas (tit. IX, nn. 2, 3) in hoc enim decreto legimus, uti debere calendario dioecesano *prout iacet*.

In eodem tamen calendario addi possunt specialia officia, quae ad Congregationem ipsam pertinent uti propria, ex. gr. pro sacerdotibus Oratorii praedictis, festa B. Iuvenalis Ancina, et B. Iosephi Grassi, eodem modo quo nonnullae ecclesiae dioecesanae officium aliquod particulare habent, puta ratione Reliquiae insignis.

IV. *Ordines, Congregationes et Instituta, proprio calendario gaudentes, amodo celebrare tantummodo debent officia localia Dedicationis et Titularis ecclesiae cathedralis, nec non festa solemniora Patronorum principalium, ita ut non amplius teneantur ad officia alicui regno, provinciae, aut dioecesi concessa, neque ad officia localia quae adnexam habuerunt feriationem, nunc autem habent suppressam.*

Per hanc praescriptionem omnia dubia revera tolluntur, circa officia localia, quae, aliquibus in regionibus, nimis succreverant. Porro ex. gr. festum S. Philippi Nerii in Urbe, ab ordinibus et congregationibus religiosis, non amplius sub ritu duplici 2 classis recoli debet. In regno neapolitano festa plurima, S. Antonii de Padua, S. Dominici, S. Francisci de Paula, non amplius altiori ritu sunt celebranda, sed tantummodo festa Patronorum principalium, Dedicationis et Titularis Cathedralis.

Quod valet, uti diximus, tantummodo pro iis congre-

gationibus, quae proprio utuntur calendario, nam, uti patet, illae quae sequuntur calendarium dioecesis, dicta officia adhuc recitare debent, si in eodem calendario dioecesano persistunt.

V. *Quoad festa localia, quae a Regularibus ut supra servanda sunt, ipsi uti debent officio et missa clero saeculari concessis, nisi eadem festa ab ipsis regularibus iam habeantur cum officiis et missa magis propriis.*

Praescriptio ista circa officium proprium recitandum a Regularibus, in festis localibus, nempe Dedicationis et Titularis cathedralis, et Patronorum principalium, iam pluries declarata fuerat a S. R. C. ut in Ephemerid. Liturg. saepe saepius probavimus (Cf. an. 1889, p. 678, an. 1899, p. 476, an. 1903, p. 254 et 419, et an. 1906, p. 606).

Et sane, veteres et clariores sacrae liturgiae scriptores hanc sententiam semper tenuerant. Gavantus (III, 12, 5), docet, « Regulares teneri ad festum Patroni loci et ad officium solemne..., ut populus, qui in eo festo ad Regularium ecclesias accedit, missas et officia divina auditurus, ad pietatem erga Patronum suum non minus accendatur quam si ad ecclesiam confluat cathedralem ». Guyet (III, j, 20), ad quaestionem: « An quicumque festa locorum propria celebrant, officiis eorum propriis uti teneantur? » respondet affirmative, referens perpulchram rationem: « Romanum (breviarium) sectantibus, in promptu est affirmativa resolutio ex citatis saepe superius rubricae I verbis: Cum officiis propriis a Sede apostolica approbatis, aut ex eiusdem Sedis auctoritate receptis vel recipiendis ». Cavalerius exponit S. R. C. decretum d. d. 27 martii 1628, quod in antiqua collectione reperiebatur, sub n. 731, praescribens: *Regulares in die festo Patroni civitatis teneri se conformare cum officio et missa de dicto Patrono, prout celebrat clerus saecularis dictae civitatis;* et scribit (T. 1, c. 3, d. 4, n. 1): « Hinc duo in praecepto videntur posita, scilicet *celebratio festi* Patroni principalis, *et recitatio officii* de eodem »; quod Officium, cum idem esse

debeat ac illud a clero saeculari recitatum, si hoc est plus minusve *proprium*, a Regularibus etiam erit adhibendum.

Sed nec pauca sunt S. R. C. decreta quae citari possent pro hac thesi tuenda, cum autem in nova Collectione desiderentur nonnulla, inter quae illud praeclarum, sub n. 731 d. d. 27 martii 1628, supra a Cavalerio relatum, alia sunt praesto. Primum sit quod in nova collectione notatur, sub n. 1708[1], d. d. 20 martii 1683, in una *Ordinis Minorum*. Valde interest ut ex integro referatur: 1. Quaesitum. « An dicti Religiosi praeter officia Patroni principalis loci et Titularis ecclesiae cathedralis **(ad quae recitanda ipsos teneri iam declaratum est)** possint uti calendario dioecesano (1), quoad reliqua officia, quae in cathedrali, vel civitate, vel dioecesi respective recitantur? »

Non casu verba parenthesis crassiori charactere retulimus, eo quod pretiosam confessionem continent, ex parte Regularium, qui dubia S. R. C. exponunt; affirmant enim, **iam esse declaratum, Regulares teneri ad recitanda officia Patroni principalis, et Titularis Cathedralis.** Quae declaratio procul dubio extat in allato Decreto n. 731 antiquae collectionis; quod si in nova omissum fuit, adhuc vim habere implicite dici debet, quia in eadem nova collectione illud aliud Decretum 1708[1] servatum fuit, in quo haec verba parenthesis non sunt nisi compendium decreti omissi n. 731.

Ad quaesitum autem primum itaque S. R. C. ita respondit: *Regulares non posse uti calendario dioecesano, sed tantum teneri* **ad recitationem Officii proprii** *Patroni principalis* et *Titularis ecclesiae cathedralis, nec non Protectoris civitatis.*

Neque quis dicat hic loqui voluisse, in quaesito, de *festo celebrando,* alioquin sensum non haberet; ceterum S. R. C. in responso suo, aperte rem declaravit, decernens: *Regulares teneri ad recitationem officii proprii* de Patrono etc.

(1) Ut sensum habeat quaesitum, vox *Calendarium* hic accipi debet pro *Proprium dioecesanum,* ut hodie melius vocatur.

Et licet aliquis scriptor modernus, alioquin clarissimus, aliam interpretationem huic Decreto dare contendat, dicens, adiectivum *proprii,* non ad *Officium,* sed ad *Patronum* referendum esse; haec tamen interpretatio caret omni fundamento; nam S. R. C. respondens: *Regulares tantum teneri ad recitationem officii proprii Patroni* etc., non aliud intelligere poterat nisi de *Patrono,* de quo in quaesito, scilicet, de *principali Patrono loci.* Ergo adiectivum *proprii* in S. R. C. responso referri nequit nisi ad *officium;* ergo revera **Regulares tenentur ad officium proprium recitandum de Patrono** etc.

Aliud Decretum habemus, sub n. 3084, d. d. 26 martii 1859, in quo ad 2 quaesitum: *Utrum Episcopus possit, vel etiam debeat, praecipere Sanctimonialibus sibi subiectis, ut haec officia* (scilicet officia propria S. Patroni et Cathedralis Titularis) *adoptent, quamvis adhibeant proprii ordinis calendarium?* Respondit: *Affirmative, dummodo breviarium quo moniales utuntur non discrepet a forma breviarii romani;* quo in casu, uti agunt monachi benedictini, ex tribus faciendae sunt quatuor lectiones historicae 2 nocturni.

Aliud decretum n. 3157 declarat, quod Regulares pro suffragio faciendo de Patrono, sumere debent antiphonam ac orationem ex officio proprio, si habeatur; ergo a fortiori, nos argumentabamur, ipsum officium proprium a Regularibus est adhibendum in die festo; primo, quia alioquin undenam sumenda huiusmodi commemoratio? secundo autem, quia si suffragium praecipitur proprium Regularibus, multo magis officium, ut patet.

Pater Aloisius a Carpo, qui aliud tenet (p. 2, n. 175, in nota), scribit: « Quando S. Patronus in Regularium calendario non reperitur, iis fas est adsumere lectiones historicas 2 nocturni pro Clero loci adprobatas ». Quibus ex verbis, Carpo, non refragantem, sed nobis convenientem esse, facile demonstratur. Cum dicimus « Officium proprium » alicuius festi, vel omnes officii partes *proprias* intelligimus, vel aliquas tantum, puta hymnos, antiphonas ad *Magnificat* et ora-

tionem, vel solas lectiones historicas, prout a S. Sede conceditur. Omnes tamen norunt, ex pluribus S. R. C. decretis, et praesertim ab iis, quae inveniebantur in principio breviarii, 13 ianuarii 1631, et 20 martii 1706, nemini licere, marte proprio, *extendere concessa officia de loco ad locum;* neque *recitare officia et missas concessas aliis religionibus,* vel dioecesibus. Hinc, nisi obtineam, a S. Sede indultum, ego, ex. gr. de S. Christina, Titulari meae ecclesiae, legam officium integre de communi, quia nihil habetur de ea in corpore breviarii romani, licet in appendice, pro aliquibus locis, lectiones et oratio propria inveniantur. A pari; si Decretum n. 3084[1]. quo Regularibus prohibetur, ullum dioecesanum officium assumere, nisi explicite illis quoque a S. Sede concedatur, applicandum esset ad officia propria Patroni loci et cathedralis Titularis, ii nequirent prorsus nec lectiones historicas recitare, sed totum officium de communi persolvere. Sententia ergo Aloisii a Carpo hoc sensu accipienda est; puta casum: Titularis ecclesiae cathedralis officium integre proprium habet, sed illud concessum fuit tantummodo pro clero ipsius cathedralis, reliqui vero de clero dioecesano officium agunt de communi, cum lectionibus tantum propriis 2 nocturni. In hoc casu, certo certius et Religiosi has lectiones tantum assumere poterunt; ipsi enim non sunt de gremio cathedralis, sed diebus festis Patroni loci, Titularis cathedralis, eiusque Dedicationis, fiunt, quoad officii recitationem, sicut clerici dioecesani, ideoque officium de communi recitabunt, ut ait a Carpo, et lectiones historicas 2 nocturni.

Haec omnia docuerunt Ephemerides Liturgicae locis citatis, et cl. oppugnator verbaliter testatus fuerat quod argumenta nostra, in casu erant probatoria. Nescimus ergo quomodo in praecedenti numero harum Ephemeridum, scripserit: « Quidquid dixerint Ephem. Lit. in anterioribus annis, circa obligationem desumendi officia propria a Regularibus, mihi adhuc in praesenti videtur id licitum non esse ». Non tantum in anterioribus annis, sed etiam hisce diebus

idipsum tenuerunt Ephemerides nostrae, uti sententiam rationi consonam, et usu constanti Regularium comprobatam, atque decretis et auctoritate maiorum doctorum suffultam.

Hodie vero sententia ipsa a S. Sede adprobata est omnino per huiusmodi decretum, et non sufficit quod contradictor noster hodie (cfr. Consultationes) fateatur: « Roma locuta est etc. », iam enim locuta fuerat.

Hic vero opportunissime decretum istud notat, quod Regulares « uti debent officio proprio clero saeculari concesso, nisi eadem festa ab ipsis Regularibus iam hebeantur cum officio magis proprio ».

Id accidit Vastallae, ubi Patronus principalis est S. Franciscus de Assisio; clerus civitatis et dioecesis recitat officium ut in breviario romano, Regulares vero Franciscales in eadem dioecesi degentes procul dubio suum agunt officium proprium. Quod est optimum et rectum prorsus; quia in casu S. Franciscus dupliciter a Regularibus honoratur, et quia eorum Institutor, et quia loci Patronus; hinc omnino incongruum esset, si *proprium* relinquere deberent officium, ut recitarent de communi. In hoc casu, Regulares aequiparandi sunt v. gr. clero cathedralis, cui totum officium proprium de S. Titulari esset concessum, dum reliquus clerus dioecesanus de communi illud persolvit.

Notandum est etiam, quod non tantum officia propria Titularis cathedralis, et Patronorum, recitare debent Regulares, sed etiam, ubi habeantur, lectiones historicas Dedicationis cathedralis, non tantum quia decretum generice loquitur dicens: « Quoad festa localia », inter quae anniversarium Dedicationis praedictae recensetur, sed etiam quia eadem valet ratio.

Exemplum habe recentissimum, pro casu nostro: in S. R. C. decreto d. d. 16 decembris 1902 (Vide *Ephem. Liturg.* fascic. februarii 1903, pag. 65), quo conceduntur lectiones propriae in anniversario Dedicationis cathedralis Placentinae, haec habentur: *Sanctitas Sua sententiam ipsius sacri Consilii ratam habens, suprascriptas lectiones historicas, ab uni-*

verso Clero saeculari *et* regulari *dioecesis Placentinae, in festo Dedicationis Ecclesiae Cathedralis, in posterum adhibendas, adprobare dignata est.*

VI. *Si graves extent rationes ad aliqua festa localia praeter recensita, pro aliqua religiosa familia conservanda, sacrae Rit. Congregationis iudicio subiiciantur, ut praedicta festa, quatenus opus sit, in calendario inscribi possint.*

Hoc evenire potest, verbi gratia, quando in ecclesia regulari existat aliqua immago prodigiosa, ad quam populus magna devotione concurrit, cuius officium recitetur a clero saeculari. Tunc ratio sufficiens existit ut et in illa ecclesia festum illud servetur, et officium a religiosis illi addictis recitetur.

Quas resolutiones SS. D. N. Pio p. X, per subscriptum S. R. C. Secretarium relatas, Sanctitas Sua ratas habuit, probavit, atque praescripsit, contrariis quibuscumque indultis revocatis, aliisque speciali mentione dignis, non obstantibus.

Clausula ista, e medio tollit rationes cuiuslibet recursus ad S. Sedem, eo quod, nisi explicite revocarentur indulta particularia et privilegia anteactis temporibus a S. Sede concessa, *etiam speciali mentione digna*, pluribus in locis forsan, mordicus ad antiqua iura quis addictus, alia festa localia adhuc celebrare posse contenderet.

Dr. P. Piacenza.

DUBIA.

Sacrae Rituum Congregationi proposita sunt sequentia dubia; nimirum:

I. Qua die recolenda sunt Festa sacrae Familiae et Ss.mi Redemptoris, necnon Festa B. M. V. de pu-

rissimo Corde, de perpetuo Succursu, de Gaudiis, de Consolatione, de Puritate et Maternitate, ubi eiusmodi Festa ratione tituli vel patronatus aut specialis Indulti celebrari adhuc debeant?

II. Quando in Sabbato sancto distribui potest fidelibus sacra Communio?

Et sacra eadem Congregatio, audito specialis Commissionis voto, omnibus perpensis, ita respondendum censuit:

Ad I. Ad maiorem uniformitatem obtinendam, non obstante Decreto S. R. C. diei 28 octobris 1913, nisi aliter a sacra eadem Congregatione provideatur, Festum sacrae Familiae celebretur die 19 ianuarii - Festum Ss.mi Redemptoris, 15 iulii - et Festa B. M. V. de purissimo Corde, Sabbato post Octavam Ss.mi Corporis Christi - de perpetuo Succursu, die 27 iunii - de Gaudiis, die 27 augusti - de Consolatione, Sabbato post Festum S. Augustini Ep. Conf. et Eccl. Doct. - de Maternitate, die 11 octobris et de Puritate die 16 eiusdem mensis octobris.

Ad II. Iuxta praxim et decreta, praesertim decr. n. 2561 *Tifernaten.* 22 martii 1806, licet in Sabbato sancto inter Missarum solemnia sacram Eucharistiam fidelibus distribuere, et etiam expleta Missa.

Atque ita rescripsit et servari mandavit, die 28 aprilis 1914.

Fr. S. Card. MARTINELLI, *Praefectus.*

L. ✠ S.

† Petrus La Fontaine, Ep. Caryst., *Secretarius.*

Commentarium.

Ad I. Licet festa, de quibus in casu agitur, sint recentissimae institutionis, nihilominus, multis in locis erectae sunt ecclesiae sub invocatione vel S. Familiae, vel Ss. Redemptoris, vel purissimi Cordis b. Mariae etc. Proculdubio officia huiusmodi festorum habebantur in appendice Breviarii et Missalis, certis diebus dominicis; cum autem nunc, ex novissimis rubricis, festa etiam Domini, in dominicis perpetuo assignari non possint, necessario, ad obtinendam uniformitatem, ut ait decretum istud, certis ac determinatis diebus reponuntur festa ipsa, nempe iis diebus, quae proximae sint dominicis ipsis, in quibus hactenus celebrabantur. Hoc convenit, non tantum cum repositione facta in calendario universali, festorum Pretiosisimi Sanguinis, S. Ioachim, B. Mariae perdolentis mense septembri, et Ss. Rosarii, quae diebus non procul a Dominica, in qua prius assignata erant, reposita fuere, nec non cum repositione facta Solemnitatis S. Ioseph in feriam iv ante dominicam iij post Pascha, sed etiam cum dispositione contenta in decreto S. R. C. 28 octobris 1913 (tit. I, n. 1 et ibid. lit. h). Hinc opportunissime festum S. Cordis B. Mariae, reponitur in sabbatum post octavam Corporis Christi, nempe, statim post festum Sacratissimi Cordis Iesu. Est autem advertendum, quod cum in novissimo breviario typico non amplius edantur officia pro aliquibus locis, et cum officia Ss. Redemptoris, S. Familiae, Maternitatis B. Mariae et similia, in Propriis dioecesanis non existant, rectores ecclesiarum ex antiquis breviariis, et ex octavario romano, officium et lectiones sibi comparare satagant, quia iuxta aliud S. R. C. decretum officia propria huiusmodi festorum, adhuc sunt adhibenda, licet in proprio dioecesano non amplius sint edita.

Ad. II. Dubitatum olim fuit an in Sabato Sancto fieri posset distributio communionis in ipsa missa, quae ea die unice dicitur; et Gavantus negativam sententiam sustinuit

(Rubr. Miss. IV, x, 38). Nihilominus, ut erudite et subtiliter probat Meratus (ib, lcvij) ex Walfrido Strabone, Bernone augensi, Martène, et Grancolas, praesentibus missae solemni in Sabato Sancto, antiquitus certissime communio tradebatur, sicut et in aliis missis solemnibus. Id evincitur etiam ex ipsis collectis huius diei in sacramentario gelasiano contentis. Benedictus item xiv nullum dubium hac de re supponit, scribens (De Fest. I, viij, 68): « Verum in hac missa (Sabati sancti) non cathecumeni modo, et infantes, sed coeteri quoque, qui aderant, communicabant ». Quod huiusmodi esset praxis antiqua ecclesiae deducitur, ut nobis videtur, et miramur cur nemo id animadverterit, etiam ex communione, quam sumunt in Sabbato sancto clerici, subdiaconi, diaconi et sacerdotes qui sacram ordinationem ea die accipiunt. Igitur in ecclesiis ubi missa Sabbati sancti celebratur, in ipsa missa omnes fideles communicare procul dubio possunt.

Quapropter qui hoc quaesitum S. R. C. proposuit, hac de re nullum dubium supponit; non quaerit enim: *Utrum*, et *quando* distribui potest fidelibus communio? sed tantummodo *quando?*

Ratio huiusce quaestionis in hoc sita est; quod aliquibus in ecclesiis coepta est consuetudo, quod durante missa conventuali Sabbati sancti, et etiam ante illam, in separato altari distribuitur communio fidelibus. Si agatur de militibus, quibus commodum non tribuitur, ut aliis diebus accedere possint ad sacramenta confessionis et communionis, bona mater ecclesia id permittit, saltem tacite, videntibus et assentientibus Episcopis, dommodo tamen hoc fiat in capella separata ac remota, vel in loco ubi adhuc custoditur sacra pyxis pro infirmis. Quod autem idipsum fiat pro omnibus fidelibus in genere petentibus communionem ea die ante missam, hoc reprobatur omnino ab Ecclesia, utpote contra generalem et antiquam traditionem.

Et sane, templa sacra, a missa feriae v in coena Domini, usque ad missam Sabbati sancti, nuda sunt et squal-

lida et moeroris plena, ob luctum Passionis et mortis Domnini; ideoque Ss. Sacramentum in tabernaculo non servatur; quomodo ergo communicari possunt fideles si sacrae species praesto non sunt? Sabbatum sanctum est vere dies aliturgicus; quod si missa de nocte Resurrectionis postea anticipata fuit mane in sabbato, et Sabbatum sanctum propter hoc non amplius ex rigore dici possit dies aliturgicus, nihilominus restat prohibitio sacerdotibus celebrandi missas privatas, etiamsi ea die, aliquod festum de praecepto occurreret, (cf. S. R. C. decr. 1822). Itaque opportunissime S. R. C. per hoc decretum, praxim communicandi admittit tantummodo inter missarum solemnia, et post ipsam; ideoque damnat abusum distribuendi communionem ante ipsam, quacunque in ecclesia, etiam nobilissima.

Audivimus aliquos dicentes, quod in oratoriis monialium et similium bene possit sacra communio distribui in Sabbato sancto, licet missa non celebretur, cum particulis quae in privato loculo asservantur pro infirmis. Ante omnia, nostro iudicio, censemus quod in istis oratoriis, quamquam habeatur indultum conservandi per totum annum Sacramentum, excludi tamen debet Triduum mortis Domini; quia, si in ecclesiis, in quibus *iure* semper Sacramentum custoditur, in dicto triduo id a Rubricis prohibetur, multo magis in oratoriis ubi ex *indulto* tantum conservatur. In paroeciis quidem, in aliquo loculo decenti, sed privatissimo, reponitur sacra pyxis cum aliquibus particulis pro infirmis, et hoc etiam fit in monasteriis exemptis, maxime ubi sit numerosa communitas; in parvulis autem domibus, ubi tantummodo quinque vel sex habentur moniales aut sorores, putamus quod pyxis pro infirmis adservari non debeat, nisi ad summum, in casu quo revera aliqua ex ipsis esset graviter infirma. Pro casibus enim inopinatis, semper potest recurri ad parocchialem ecclesiam. Sed dato etiam quod in dictis domibus, retineatur Sacramentum pro infirmis, hoc pro sanis communicandis inservire nequit, et ideo, si missae celebratio non habeatur istis in domibus monialium, communionem

accipere ipsae non possunt, sed debent ad ecclesiam parochialem vel aliam accedere, ut in inter missarum solemnia (quod est antiquae traditioni magis conforme), vel post missam, communionem excipere valeant.

Ad rem addimus, quod nobis personaliter quaesitum fuit, utrum sacerdotes possint communionem accipere in Sabbato sancto; et nos statim respondimus, affirmative, seu possunt, sed laudabilius, ut diximus, intra missarum solemnia; patet enim; quod si fideles communicare possunt, procul dubio et sacerdotes.

DR. P. PIACENZA.

Archaeologia Liturgica.

De Stationibus in Ecclesia SS. Cosmae et Damiani.

Inter sacra templa, quae in Urbe antiquitate et veneratione clarent, non infimo profecto loco ponenda est Ecclesia SS. Cosmae et Damiani in Foro Romano. Non paucae de ea extant venerandae memoriae, quas historici et archaeologi diligenti cura collegerunt (1). Rerum Liturgicarum cultores maxime interest, de his eas notitias cognoscere, quae sacros ritus respiciunt. In tam insigni Ecclesia, procul dubio peculiares solemnesque sacri conventus habiti sunt, uti mos erat tempore quo Ecclesia catholico cultui addicta fuit.

De his sacris solemnibusque conventibus, qui *stationis* nomine usu veniunt, tota erit tractatiuncula nostra, et maxime circa earum numerum et naturam versabitur.

§ I. — *Disquisitionis nostrae fontes.*

Duo sunt fontes praecipui ex quibus de antiquissimis stationibus, quae in Urbe olim celebrabantur, notitiae hauriri possunt: nempe *Capitularia Evangeliorum* et *Ordines Romani*. *Capitularia Evangeliorum* sunt veteres illi libri ad Ecclesiae usum, in quibus describuntur initium et finis cuiusque Evangelii quod singulis diebus in Missa legitur (2). Horum librorum plura extant in Bibliothecis exemplaria, et plura etiam publici iuris facta sunt (3). Inter diversa exemplaria

---

(1) Copiosam de hac Ecclesia Bibliographiam exhibent: KEHR Paulus Fridol. *Regesta Pontificum Romanorum*, Berolini 1906, Vol. I, *Roma*, pag. 132: CALVI E. *Bibliografia delle Catacombe e delle Chiese di Roma*, Roma 1908, pag. 63.

(2) Cfr. DU CANGE, *Glossarium*. V. *Capitulare*. — CABROL, *Dictionnaire*, etc. V. *Capitulare*.

(3) Diversa recenset ST. BEISSEL, S. I. in erudito suo opere: *Entstehung der Pericopen des Römichen Messbuches*, Freiburg, 1907, pag. 128. Sed cfr. etiam CABROL, l. c. V. *Capitulare Evangeliorum*.

edita, quae nobis parantur, tria tantum peculiariter indicamus, utpote quae antiquitate et auctoritate ceteris eminere putamus. Haec autem sunt:

a) *Capitulare Wirceburgense*, ita appellatum a civitate in qua exemplar asservatur. Fuit accurate editum et erudite illustratum a cl. D. G. Morin O. S. B. (1).

b) *Capitutare Tomasianum* a B. Tomasi Cardinali editum (2). Huius Capitularis editio non super uno tantum exemplari, sed ex collatione viginti circiter exemplarium confecta fuit (3).

c) *Capitulare Gerbertianum* a D. Martino Gerberto O. S. B. editum. Hoc quoque ex duobus exemplaribus depromptum fuit, ex Cod. nempe Rhenaugiensi et ex Cod. Spircensi (4).

Quaenam autem aetas huiusmodi monumentis sit adscribenda, non est tam facile dictu; cum ordinarie desint argumenta ex quibus eorumdem certus confectionis aut scriptionis annus determinari possit, sed saeculis assignantur, in quibus ea confecta vel scripta supponuntur.

Antiquiora, saeculo octavo adscribuntur (5), sed facile est in eis quasdam altioris aetatis reliquias deprehendere, de quibus usus, tempore scriptionis, intermissus iam fuerat.

Cl. Morin in suis super *Capitulare Wirceburgense* considerationibus animadvertit quaedam ibi haberi, quae talia antiquitatis signa praeseferunt, ut ipsius Capitularis

---

(1) Cfr. *Revue Bénédictine*, a. 1910, pag. 41 et ss., et a. 1911, pag. 296 et ss.

(2) Tomasi-Vezzosi, *Opera omnia*, t. v, pag. 431 et ss.

(3) Indiculus Codicum mss. pro collatione adhibitorum extat in praecitato opere, pag. 429 et ss.

(4) Gerbertus, *Monumenta Veteris Liturgiae Alemannicae*, t. I, pag. 418, apud E. Ranke ad calcem operis: *Das Kirchliche pericopensystem*, Berlin, 1847: qui sub titulo: *Appendix Monumentorum*, praefatum quoque Capilulare inter alia edidit.

(5) Cfr. Beissel, *Entstehung der Pericopen* et *Revue Bénédictine* in locis paulo ante indicatis, et Cabrol, *Dictionnaire* etc. V. *Capitulare Evangeliorum*.

scriptione aut confectione antiquiora habenda sint: immo quaedam, scribit ipse, tempore quo Capitulare fuit confectum seu scriptum, iam uti obsoleta et diu intermissa habita fuisse (1).

Alter inquisitionis nostrae praecipuus fons sunt *Ordines Romani*, quo nomine veniunt vetustiores libri de ecclesiasticis ritibus ac officiis divinis in Ecclesia Romana adhiberi solitis. Horum Ordinum quindecim enumerat Mabillonius, qui etiam de eorum aetate ac momento in re liturgica disserit (2).

Non ex his omnibus nobis pro argumento nostro est materia haurienda, sed ex primo vel secundo et undecimo tantum. Duo enim priores ritus et caeremonias exhibent in celebratione stationis olim observatas, alter autem eadem fere continet, sed prout per anni solemnitates distribuuntur. Benedictus, Canonicus B. Petri, *Ordinis XI* auctor, argumentum suum enunciat dicens: « Qualiter, Deo favente domnus Apostolicus cum curia sua, et tota Romana Ecclesia in praecipuis solemnitatibus et quotidianis officiis valeat se regere, prout melius mihi Deus concesserit... elucidare aggrediar » (3).

In duobus vero prioribus generali potius ratione ritus et caeremoniae, ad stationis celebrationem spectantes, exponuntur: in *primo* sacra ministeria a Clero praestanda « secundum rationem simplicem dupliciter diebus singulis dividuntur; idest in processione Apostolici ad stationem, et in egressu sacrarii usque ad Missarum consummationem » (4).

In *altero*, nulla facta de aliqua determinata die mentione, caeremonias exhibet in solemni stationis celebratione ob-

---

(1) En eius verba: « Combien d'autres détails y out été conservés, qui peu-être étaient dès lors considérés comme de purs archaïsmes et depuis longtemps tombés en désuétude ». *Revue Bénédictine*, a. 1911, pag. 322.

(2) Mabillonius, *Musaeum Italicum*. Parisiis, 1724, T. II, pag. VIII et ss.

(3) Idem, ib. pag. 118.

(4) Idem, ib. pag. 4.

servandas, et incipit immediate: « Denunciata statione, diebus festis primo mane, etc. » (1).

De horum duorum Ordinum aetate audiendus est eruditissimus Mabillonius, qui ita loquitur: « Nullum antiquiorem librum habemus de ritibus Ecclesiae Romanae, quam illum, qui vulgo inscribitur *Ordo Romanus* (I). Eius antiquitatem plerique ferunt ad saeculum octavum... Verum Ordinem illum saeculo octavo antiquiorem esse, atque ad tempora vel Gelasii Pontificis († 496), vel saltem Gregorii M. († 604) revocandum existimo » (2).

Ordinis XI aetas optime noscitur, cum Benedictus Canonicus Romanus, eius auctor, obierit circa a. 1141; et Caelestino II Papae inscriptus sit, qui mortuus est a. 1144.

Ex aliis quoque praecipuis veteris Romanae Liturgiae fontibus notitiae et indicationes nobis hauriendae erunt. Non enim fieri potest, ut de sacris functionibus, in Ecclesia olim usitatis, disquisitio rite instituatur, quin etiam ex *Sacramentariis*, ex *Antiphonariis*, ex *Libro Pontificali*, aliisque veteris Romanae Liturgiae monumentis, quae ad rem faciunt, perquirantur (3).

Item necessario illius temporis hac de re Scriptores consulendi sunt; ideo et nobis ad Walafr. Strabonem, ad Amalarium Metens., ad Micrologum, ad aliosque optimae notae sacrae Liturgiae Interpretes recurrendum erit (4).

De his autem fontibus nihil speciale addimus, quia non proprie eis innituntur praecipua nostrae tractationis puncta, et res nimis in longum abiret; eos indicasse sufficiat.

(Continuabitur)

---

(1) Idem, ib. pag. 42.

(2) Idem, ib. pag. VIII.

(3) Praecipuorum veteris Liturgiae fontium optimam indicationem habes in opella Cl. Cabrol cui titulus: *Introduction aux* Etudes Liturgiques, Paris 1907.

(4) Hos veteres S. Liturgiae Scriptores collegit et edidit Melchior *Hittorp*, Coloniensis, sub titulo: *De Catholicae Ecclesiae divinis Officiis*. Coloniae 1568, et etiam Romae 1591.

Quaestiones Liturgicae.

QUAESTIONES CIRCA APPLICANDUM S. R. C. DECRETUM 28 OCTOBRIS 1913 IN REGIONIBUS UBI VIGET CONCORDATUM GALLIAE ANNI 1802.

Quo melius intellegantur solvanturque quaesita, videntur quaedam de ipso Dedicationis festo, quale hactenus in his regionibus viguit, praemittenda:

1. Legitur in Indulto pro Reductione festorum: « Sanctitas sua mandat ut Anniversarium Dedicationis Templorum quae in eiusdem Reipublicae territorio erecta sunt, in Dominica, quae Octavam Festivitatis Omnium Sanctorum proxime sequetur, in cunctis Gallicanis Ecclesiis celebretur ».

Ex Decretis autem, quibus Indultum declaratum fuit, erui potest:

I. Nomine Templorum venisse in Indulto, tum templa iam erecta, tum quae postea erigenda essent, tum consecrata vel consecranda, tum quae ad saeculares pertinerent, vel ad regulares; tum quae in regionibus ubi exstarent dioeceses constitutae, tum quae ubi Vicariatus apostolicus vel Praefectura apostolica tantum.

II. Festum celebrandum fuisse clericis *omnibus* maioribus ordinibus praeditis, ita ut qui, vel sacerdos non esset, vel nulli ecclesiae adscriptus, a sacro faciendo abstinuisset, debuisset nihilominus officium *de Dedicatione* legere, non quidem suae ecclesiae (cum nullius esset), nec cathedralis *qua talis* (cum de ea qua tali a nemine faciendum esset), nec ecclesiae ubi celebrabat (cum haec ex hypothesi non daretur).

III. Ulterius ergo eruitur:

1° et certo quidem in *nulla* dioecesi festum hoc fuisse

festum Dedicationis omnium ecclesiarum dioecesis *qua talium (seu qua ecclesiarum dioecesis),* sed qua ecclesiarum *regni,* ideoque festum fuisse *nationis* qua talis, non vero dioecesis, aut dioeceseum singularum;

2. Indultum — si Indultum stricte dicendum sit — huiusmodi esse cui non possit episcopus aliquis seorsim renuntiare.

3. Indulti paragrapho huic legis potius caracterem inesse — cum dicatur: « Sanctitas sua *mandat* » —, ita ut, suppressa iam praescriptione praecipua, die dominica eademque determinata, Dedicationem celebrandi, et inducta lege cathedralis Dedicationem seorsim instituendi, iam ius commune priori praescriptioni substitui dicendum sit.

Quod assertum exinde confirmatur, quod suppressae praescriptioni nihil in Decreto substituitur. Casui enim nostro minime applicatur paragraphus f) numeri 1 Tituli 1: « Si vero in tota *dioecesi*..... unica die recoli consuevit Dedicatio omnium Ecclesiarum *dioeceseos*.....

IV. Obiectum Festi singulis clericis fuisse non alicuius Ecclesiae Dedicationem, sed omnium Galliae ecclesiarum *in cumulo sumptarum.*

Hinc casus:

1. Ecclesia cathedralis Bituricensis consecrata est die 6 maii 1324. Episcopus vero G. de Broca, in actu consecrationis, diem 5 ut anniversarium assignavit. Quae assignatio ad Concordatum usque servata est. Ab anno autem 1802 iam, ut in aliis gallicis ecclesiis, anniversarium celebrandum fuit Dominica post octavam Omnium Sanctorum.

Quaeritur nonne *dies ipsa anniversaria,* de qua Decretum 28 octobris 1913, ipsi cathedralis sit dies 5ª. Si secus videatur, ratio petitur responsi.

2. Ordo alicuius dioecesis belgicae (in qua iam hoc anno in praxim redactum est Decretum) haec habet: « Anniversarium Dedicationis propriae Ecclesiae celebratur..... die ipsa anniversaria, si ea innotescat (S. R. C. Decret. 28 octob. 1913) ». Sunt porro qui contendunt ita fieri non posse,

cum non liceat renuntiare Indulto (Concordatam porro Indulto aequiparant) quo *collectiva* dedicatio concessa fuit.

Quaeritur nonne Ordo iste potuerit, immo debuerit ita iudicare.

3. Die prima maii 1854 consecrata est Leodii ecclesia aliqua. Episcopus nullam quidem diem anniversariam assignavit, sed, iuxta opinionem auctorum (v. g. Illustrissimi Domini Piacenza) dies anniversaria, in casu, assignanda fuit Dominica post octavam omnium Sanctorum, quippe cum *haec* dies a Concordato assignata fuerit omnium ecclesiarum totius Reipublicae gallicanae (etiam consecrandarum) dedicationi. Hinc quaeritur:

a) Nonne *dies ipsa anniversaria,* de qua in Decreto, censenda sit haec ipsa Dominica?

b) Nonne, cum iam haec *servari* non possit, assumenda sit dis 10 novembris?

4. Ordo alicuius dioecesis belgicae (in quo iam hoc anno applicatur Decretum) ad diem 22 octobris haec habet: « *In Ecclesiis consecratis* (non vero in aliis) *quarum dies Anniversaria Dedicationis* non *innotescit,* ordinantur Officia et Missae ut sequitur ».

Dein praescribitur *Dedicatio Ecclesiae* celebranda die 23.

Hinc quaeritur:

a) Num huiusmodi praescriptio, *sine praevia* S. R. C. approbatione, stet cum iure communi quod, in hac dioecesi, Concordato — quod ad Dedicationis festum — successisse censendum est?

b) Num ipsa (haec praescriptio) servanda sit regularibus eiusdem dioecesis calendario proprio gaudentibus, qui Ordinis sui totius ecclesiarum Dedicationem in cumulo non celebrant?

5. Quinam sacerdotes saeculares, in dicta dioecesi, officium suum iuxta praedictam praescriptionem ordinare debeant?

An quicumque ecclesiae alicui consecratae stricte adscripti non sint?

An ii soli qui ecclesiae alicui non consecratae stricte adscripti sint?

Responsum.

Procul dubio, vi decreti Cardinalis Caprara, in Galliis et in belgica regione, celebratur in dominica post octavam Oo. Ss. non iam anniversarium Dedicationis ecclesiarum cuiuslibet dioeceseon, sed Omnium ecclesiarum regni Galliarum et Belgii.

Item, huiusmodi praescriptio a Cardinali a latere facta nomine Pontificis, et ab ipso Pontifice postea adprobata, ea vi potitur, iuxta ius canonicum, ut neque Episcopus seorsim, neque omnes Episcopi simul, possint ab ea praescriptione derogare, nisi prius obtenta facultate a s. Sede.

Cum autem hodie, post sapientissimam legem, qua diei dominicae pristinus honor restitutus fuit, ita ut in ea nullum festum, etiam Domini, perpetuo assignari possit, praescriptio Cardinalis Caprara non amplius locum habeat, etiam iis in locis, in quibus vigebat concordatum, ad anniversarium Dedicationis ecclesiarum quod attinet, ius commune in suum integrum valorem redit. Ideo Dedicatio ecclesiae Cathedralis uniuscuiusque dioecesis, seorsim ab aliis Dedicationibus celebrandum erit, et aliae Dedicationes, vel sua propria die, vel etiam, si placet, una eademque die, annuente episcopo, recoli poterunt in posterum, ita tamen quod in qualibet ecclesia consecrata celebretur anniversarium Dedicationis propriae, non vero aliarum; et excepta cathedrali, quae ut notavimus, sua die anniversarium proprium celebrabit. Quibus praenotatis, solutionem propositis quaestionibus exhibemus.

Ad I. Licet Episcopus dedicaverit cathedralem Bituricensem die 6 maii, eius tamen anniversarium semper celebratum fuit die 5, ex decreto Episcopi consecrantis, quod est secundum ius, quo conceditur Episcopo consecranti ecclesiam, ut statuere possit aliam diem, pro celebratione anniversarii Dedicationis. Quod si ab anno 1802 usque ad nos, Dedicatio cathedralis Bituricensis celebrata fuit die dominica post octavam Oo. Ss. id fuit ratione decreti Card. Caprara; nunc vero remota huiusmodi praescriptione, et attenta novissima dispositione apostolicae Sedis, die sua antiqua celebrari debet, nempe die 5, non vero 6 maii.

Ad II. Ordo dioecesanus belgicus, de quo quaeritur, iure potuit iam pro anno 1914 indicare quid esset agendum pro celebratione Dedicationis propriae ecclesiae; nam, si, Episcopo adprobante, una die simul in calendario inscribitur

anniversarium omnium ecclesiarum consecratarum dioecesis, excepta cathedrali, unaquaeque ecclesia recolit Dedicationem propriam, sine ulla relatione ad alias ecclesias pariter consecratas; ita in calendariis novissime adprobatis a S. R. C. explicite statutum fuit. Ratio est, quia, licet Summus Pontifex permiserit, ut toto anno 1914 calendarium dioecesanum iam redactum servari possit, non prohibuit tamen, quominus Episcopo iubente calendarium iuxta novissimas suas dispositiones, etiam pro hoc anno, evulgaretur; id factum fuit, ex. gr. pro dioecesi Mechliniensi, et bene.

Ad III. *a*) Episcopus Leodiensis optime in casu diem anniversarium celebrandum indixit in dominica post octavam Oo. Ss., nam eo tempore iam vigebat decretum Cardinalis Caprara; attamen, talis assignatio non est accipienda tamquam usus libertatis, quam Episcopo consecratori tribuit rubrica Pontificalis romani; sciens enim Episcopus quod in toto regno una eademque die Dedicatio recolebatur omnium ecclesiarum, perperam aliam diem designasset; igitur, cum hodie ex opportunissimo decreto pontificio, anniversarium Dedicationis cathedralis seorsim ab aliis concelebrandum sit per totam dioecesim, clare patet quod nunc Episcopus Leodiensis bene potest, imo nostro iudicio debet, statuere celebrationem anniversarii Dedicationis suae cathedralis, non die 10 novembris, sed sua die 1 maii.

Forsitan, si Episcopus consecrator anno 1854 praevidere potuisset, nuperrimam istam s. Sedis dispositionem, circa celebrationem anniversarii Dedicationis cathedralis, non diem 1 maii elegisset pro consecratione ipsa, ne perpetuo impeditum maneret festum ss. apostolorum Philippi et Iacobi; itaque, si modernus Episcopus, audito suo Capitulo, cupiat modo ut anniversarium ipsum die sequenti, 2 maii, celebretur, ut et sua dioecesis simul cum tota ecclesia universali sanctos Apostolos propria die recolere possit, petitionem ad S. R. C. exhibeat, cum spe benignae exauditionis. Ceterum, etiamsi in die sua 1 maii Dedicatio celebraretur Leodiensis cathedralis, id a rubricis antiquis et novissimis admittitur, et absque ulla errandi formidine, die 2 maii festum ss. Philippi et Iacobi perpetuo assignandum esset.

Ad III *b*). Responsum ad quaesitum *b*, non haberet amplius locum, post responsum ad quaesitum *a*; nihilominus pretium operis esse censemus, huic etiam satis facere, pro casibus, in quibus notus non esset dies consecrationis ecclesiae.

Simul conferentes Tit. I, n. 1, lit. c. et Tit. IV, n. 1, De-

creti 28 octob. 1913, hoc statuere possumus: Si dies propria Dedicationis non innotescat, procul dubio alia dies determinanda est semel pro semper; item, festa duplicia 1 et 2 classis, quae huc usque in dominica aliqua celebrata sunt, transferri debent in primam insequentem diem non impeditam iuxta rubricas.

Itaque, nisi dies Dedicationis cathedralis Leodiensis cognosceretur, anniversarium eius in primam insequentem diem post dominicam, quae occurrit post octavam Oo. Ss. reponi deberet, non die 9 novembris, quia impedita est a Dedicatione Basilicae lateranensis sub ritu dupl. 2 classis, sed sequenti die 10.

Ad IV *a*). Recte potuit Episcopus, audito Capitulo, assignare diem 23 octobris pro celebratione Dedicationis ecclesiarum, quarum dies consecrationis non innotescit; nam decretum 28 octobris explicite hoc permittit (Tit. I, n. 1 lit. f).

Ad IV *b*) affirmative; in casu enim nomine Ordinarii venit et Superior Ordinis, ut recte omnia disponantur iuxta mentem S. R. C.

Ad V. Ad celebrationem Dedicationis ecclesiae, quae non sit cathedralis, tenentur tantummodo clerici, qui illi ecclesiae adscripti sunt, vel ratione beneficii, vel ratione etiam servitii cuiuscumque, iuxta mandatum Episcopi; ita ut pro ipsis dici possit, agi de celebratione Dedicationis ecclesiae *propriae;* quod si aliquis sacerdos, sponte quidem, sed quotidie, missam celebrat in aliqua ecclesia consecrata, bene potest se conformare calendario illius ecclesiae, non tantum pro missa, sed et pro divino officio, tam in die Dedicationis, quam per octavam eius; id enim magis congruit menti Ecclesiae, ad celebrationem quod attinet Dedicationis ecclesiarum.

Dr. P. Piacenza.

DISSERTATIO LITURGICA

In Missis cum cantu vel gregoriano vel polyphono « Benedictus » etc. post Consecrationem non autem post Trisagium cantari debet.

Quaestio proposita, ultimis his annis pluries agitata, vi Appendicis decretorum authenticorum Congregationis Rituum anno elapso editae, ad novum, idque nostra opinione ultimum, solutionis stadium pervenit. Ut debitos inter limites controversiam coarctemus, hanc observationem praemittendam duximus: Discrimen missam solemnem inter et cantatam, in re de qua agitur, nihil referre.

Illustrissimo Domino van der Stappen assentimus dicenti: « Missa cantata, quoad ea quae in ipsa cantari debent a schola, seu cantoribus, aequivalet solemni, et omnia, quae in Missa solemni debent cantari, aeque cantari debent in Missa cantata, quemadmodum in Graduali Romano proponuntur » (1).

Quaestio proin de cantando *Benedictus* ante vel post Consecrationem, utrumque respicit missarum genus, tam missam cantatam simplicem, quam solemnem missam cum diacono et subdiacono.

Sententia affirmans, in missis in cantu gregoriano *Benedictus* cani posse ante Consecrationem, imprimis nititur verbis Caeremonialis Episcoporum, lib. I, cap. 28, ad 9: « et post elevationem poterit immediate motettum aliquod opportunum cantari ». Vox *immediate* sumi deberet sensu proprio: immediate post Consecrationem, ante quam prius *Benedictus* cantetur, motettum potest cantari: ergo ante Consecrationem *Benedictus* cantatus est.

(1) Sacra Liturgia. Tomus III, editio altera. q. 278, ad 1^m^, p. 415.

Huic privatae auctorum explicationi contradicit declaratio interpretis authentici Caeremonialis Episcoporum, Congregationis Rituum. Ad textum Caeremonialis praedictum, et non ad alium, propter simplicem rationem, quod unus ille textus tantummodo agit de canendo motetto post Consecrationem, respicit decretum Congregationis Rituum diei 22 maii 1894. Et iuxta hoc decretum verba *immediate post Consecrationem,* significant, quod prius post Consecrationem *Benedictus* cantatus est. *Dum SS. Sacramentum, sive sub una sive sub altera specie elevatur, cantoribus omnino esse silendum iuxta Rubricas, iisdemque Sacramentum cum ceteris esse adorandum. Quod si, peracta ultima elevatione, quam iuxta Rubricas statim « Benedictus » subsequi debet, ad Orationem dominicam usque, aliquid modulari libeat, Sacra Rituum Congregatio id permittit, dummodo de iis quae ex Liturgia canenda sunt, nihil praetermittatur, Celebrans a Missa continuanda haud impediatur, et quod concinitur ad Sacramentum pertineat* (1).

Decretum hoc anni 1894 tacite abolitum esse per novam Gradualis editionem Vaticanam, quae unica hodie iuxta decreta 7 augusti 1907 et 8 aprilis 1908 censenda est editio authentica, plures auctores affirmant. Libenter concedimus, responsum Congregationis 16 decembris 1909 ad quaesitum: *Utrum in Missa solemni « Benedictus » cani possit ante elevationem, vel standum sit praescriptioni Caeremonialis Episcoporum lib. II, cap. VII, 70, 71. Standum Caeremoniali Episcoporum,* de solutione quaestionis agitatae nihil praeiudicasse. Certum tamen nobis videtur, quod Appendix decretorum Congregationis tacitam revocationem decreti anni 1894, si quae facta fuerit per editionem Gradualis Vaticanam, publice revocaverit. Pag. 105 huius Appendicis sub n. 4243 ad VI invenimus quaestionem Congregationi propositam responsumque a Congregatione datum die 16 decembris 1909; responso prius dato « Standum Caeremoniali Episcoporum » addita sunt verba: « et decretis ». Congregationem igitur priora

---

(1) Decreta authentica. P. III, n. 3827.

sua decreta de tempore quo cantari debet *Benedictus* redintegrare voluisse aperte constat. Ultimum autem decretorum, de quibus Congregatio loquitur, est illud decretum anni 1894, ex quo patet, verbum « immediate » in Caeremoniali adhibitum intelligi debere sensu, « quod prius cantatus est *Benedictus* ».

In Indice porro eiusdem Appendicis decretorum, qui Index ab ipsa Congregatione tanquam authenticus agnoscitur, sub voce *Benedictus* Congregatio, declarat: « *Benedictus* » *in Missa solemni cani nequit ante elevationem, sed canendum est peracta elevatione,* lectoremque remittit ad decretum sub n. 4243 ad VI. Quaestioni igitur sub n. 4243 propositae: *Utrum in Missa solemni* « *Benedictus* » *cani possit ante elevationem vel standum sit praescriptioni Caeremonialis Episcoporum,* Congregatio respondit: « *Benedictus* » *in Missa solemni cani nequit ante elevationem, sed canendum est peracta elevatione.*

Consequenter Congregatio Rituum nullum omnino discrimen facit inter missas in cantu gregoriano et missas in cantu polyphono. In missis utriusque generis *Benedictus* cani debet peracta elevatione. Explicatio verborum Caeremonialis de omnibus missis sensu generali data applicari debet praescriptionibus Caeremonialis, lib. II, cap. VIII, ad 70, 71. Sub n. 70 legimus: *Chorus prosequitur cantum usque ad « Benedictus, qui venit », exclusive; quo finito, et non prius, elevatur Sacramentum.* Subestne praescriptionibus praedictis sensus rationabilis unice pro casu, quod verba intelliguntur de missis in cantu polyphono? Sine dubio praescriptum Caeremonialis in parte secunda expressum verbis *quo finito,* etc. omnino esset inane, si unice valeret pro missis in cantu gregoriano. Sed quomodo ex illa affirmatione sequitur duplex Caeremonialis praescriptum unice cantum respicere polyphonum? Datur enim positio intermedia: Duplex praescriptum vim suam exerit tam in missis in cantu gregoriano quam in missis in cantu polyphono. Scilicet chorus debet in omnibus missis canere *Benedictus* **peracta elevatione;**

sacerdos e contra SS. Sacramentum elevare nequit antequam chorus cantum Sanctus absolverit, i. e. practice in missis in cantu polyphono.

Forsitan responsum Congregationis Rituum diei 12 novembris 1831 adduci posset in confirmationem solutionis supra datae. Sequens fuit quaestio a Congregatione solvenda: *Ubi cantus chori non producitur usque ad elevationem Hostiae, « Benedictus, qui venit »*, etc. *cantarine debet post elevationem, an immediate post primum Hosanna in excelsis?* Et Congregatio respondet: *Cantari debet post calicis elevationem.* Quae quaestio proposita nostro concipiendi modo praeprimis attinet ad missas in cantu gregoriano, in quibus pluries datur occasio cantandi adhuc *Benedictus,* antequam sacerdos ad elevationem SS. Hostiae pervenerit; e contra in missis in cantu polyphono sacerdos quam plurimum SS. Hostiam elevare poterit, antequam chorus cantum *Benedictus* absolverit.

Rijsenburg prope Ultrajectum.

DR. TH. VAN OPENRAAIJ.

Consultationes.

E Vallendar. — Quae leguntur in Ephemeridibus Liturgicis an. 1913, 682 s. *pro Galicia*, et 1914, 47 s. opponuntur decreto 4192 ad 3, quod in Indice p. 171 sic redditur: « Festum Titularis, cum Officio ritus duplicis I classis cum Octava, et cum Commemoratione in Suffragio ac in Oratione *A cunctis*, fieri debet tantum in Oratorio *principali* Regularium, solemniter saltem benedicto. *deficiente Ecclesia;* alia autem Oratoria semipublica Regularium, solemniter saltem benedicta, enumerata in Decr. 4007, praefato iure carent, 4192 ad 3 ».

Unde admitti nequeunt quae dicuntur l. c. de celebrando Titulari Oratorii semipublici Regularium, qui simul habent ecclesiam.

Resp. Solutio, quam dedimus, tota innititur significationi, quae tribuenda est locutionibus: *habere ecclesiam* – *deficere ecclesiam*.

Possunt varii dari casus, etiam interdum pro clero saeculari: 1° duarum ecclesiarum *unitarum;* 2° oratorii semipublici solemniter benedicti sine ecclesia; 3° oratorii semipublici solemniter benedicti et ecclesiae *unitae* quamvis forsan materialiter dissitae; 4° ecclesiae vel oratorii semipublici solemniter benedicti et ecclesiae *non unitae*, sed simpliciter et accidenter exercitae.

In primo, fieri a clero debet Titulus de utraque; exemplum habemus v. gr. Capituli alicuius, quod ecclesiam beneficii dereliquit, sed materialiter tantum, et in alia habitua-

liter chorum tenet. In secundo, res per se patet. In tertio, ut in primo. In quarto fieri debet de oratorio et non de ecclesia. In casu proposito, ecclesia estne ita propria Regularium, ut in ea omnia munia exerceant? Negative, quia si ita esset, non indigerent oratorio semipublico: At contra, uti exponitur, oratorium est in commodum Regularium, et ecclesia exercetur uti parochia. Ergo duo manent: vel ecclesia appellari vult unita, et tunc sumus in tertia hypothesi, de qua supra loquimur, et consequenter de utroque Titulari agendum est; vel appellari vult non unita, et tunc sumus in quarta hypothesi, et consequenter de solo oratorii Titulari officium fiet.

Ergo Regulares nullum festum agere debent de Titulari oratorii semipublici solemniter benedicti, si habeant ecclesiam, in qua munia omnia cleri propria exerceant; agere debent, si oratorium pro ipsis est principalis cultus et munerum ecclesiasticorum sedes, ecclesia autem vel omnino careant, vel ipsa sit unita, et propriis iuribus gaudeat, non destructo iure oratorii.

Si res ita non essent, oporteret dicere, inaniter fuisse solemniter benedictum oratorium. Nam, vel oratorium ad usum de quo supra inservire debuit, et legitime benedictum est, vel non, et tunc illicite fuit benedictum. Si vero daretur casus, quo prius Regulares, carentes ecclesia, oratorium solemniter benedictum habuerint, et postea ecclesiam *proprio usui destinatam* aedificaverint, tunc profecto ulla sine iniuria oratorium suis iuribus despoliaretur, quia maiori superveniente, cessat minor, neque casus fieret de ecclesia unita.

Haec nobis consideranda exhibuit proposita quaestio, et deducenda permisit: si alicui non placent, sit ei libertas aliter ratiocinandi, et aliter concludendi.

E Galicia. — I. An post Decretum S. R. C. de die 28 Octobris 1913, infra Octavas duplicium II classis dicendae sunt preces ad Primam et Suffragium; item, quid quoad Symbolum in Missa v. gr. infra Octavam Nativitatis B. Mariae V.?

Resp. Negative; Rubrica enim reformata, ante Preces ad Primam sic se habet: « ...quae tamen (Preces) omittuntur... omnibus insuper diebus, in quibus ad Laudes habita sit commemoratio duplicis, vel factum fuerit Officium aut commemoratio *cuiusvis octavae* ». Si igitur nullum Officium et nulla commemoratio facta est octavae, in casu, Preces non debent omitti.

Rubrica ante Suffragium dicit: « ...ac praeter omnes dies in quibus habita sit commemoratio duplicis, vel factum fuerit Officium aut commemoratio *cuiusvis octavae*..., fit sequens Suffragium ». Ergo, cum de octava neque Officium, neque commemoratio, in casu, agenda sit, omitti nequit Suffragium.

Circa Symbolum in Missa omittendum, directo caremus argumento; sed, indirecto ratiocinio, concludendum est pro omissione; non enim in Officio et Missa nihil fit ratione impedimenti, v. gr. in duplici II classis, sed ratione inexistentiae vel solius commemorationis. Hinc neque Praefatio dicetur in casu, de Beata Virgine.

Dubium aliquod ingeri potest ex novissima Rubrica de infra octavam Nativitatis B. M. V., in qua, cum sermo est de Officio Sanctae Mariae in Sabbato, dicitur: « pro qua tamen omnes Officii partes, quae de Ordinario, Psalterio vel Proprio de Tempore sumendae non sunt, *dicuntur ut in ipso festo Nativitatis*, praeter absolutionem et benedictiones e communi Officio S. Mariae in Sabbato accipiendas, et Lectionem III, quae dicitur ut sequitur ». Sed respondemus, ex hac Rubrica nihil probari in favorem influxus octavae, circa ea de quibus nobis sermo est, quia in casu Officii de S. Maria in Sabbato, reviviscit quodammodo octava, Officium enim vere dicendum est de eadem Persona, in periodo octavae ceterum vacuae. Deduci autem videtur tantummodo, quod Missa, in hoc Sabbato, si celebratur de Beata Virgine, non sit dicenda *secundum varietatem Temporum* (Rub. gen., tit. IV, n. 1), sed de Octava Nativitatis; sed nescimus an Rubrica Missalis, quae adhuc exspectatur,

in casu, reipsa 1° indicatura sit Missam de Nativitate; 2° quatenus affirmative, admissura in ea *Credo* et Praefationem de Nativitate. Nostra opinio est, eligi debere Missam de Nativitate, in qua tamen non dicetur *Credo*, quod rationem solemnitatis secumfert, quae nequit profecto considerari in Missa de ritu simplici; dicetur autem Praefatio Nativitatis, ut sic habeatur ratio Officii et Missae, de festo Nativitatis participantium.

II. Quo ritu celebranda erit solemnitas Nativitatis B. M. V. a Regularibus, degentibus in dioecesi, cuius cathedralis ecclesiae Titulus est Nativitas B. M. V. scilicet, ritu duplici I classis *cum* Octava, vel *sine* Octava?

Resp. Festum titulare ecclesiae cathedralis celebrandum est sub ritu duplici I classis cum Octava per totam dioecesim ab universo clero saeculari et etiam regulari Calendarium dioecesanum adhibente; a Regularibus vero in eadem dioecesi commorantibus *ac proprium Calendarium habentibus*, pariter ritu duplici I classis, absque tamen octava, *nisi haec ex alio titulo sit celebranda* (Rubr. noviss., tit. IX, n. 2). Si ergo Regulares, de quibus in casu, dioecesanum Calendarium possident, nulla quaestio; sin vero possident proprium, ita ratiocinamur: Praemisso quod 1° Festum Nativitatis B. M. V. celebrandum est utique cum octava; ubi est titularis, cum octava communi, in Ecclesia universali, cum octava simplici. 2° Eidem festo, tamquam titulari, datur ritus duplex I classis; in Ecclesia universali datur duplex II classis. 3° Nulli festo duplici I classis datur octava simplex: Regulares, in casu, festum Nativitatis B. M. V. recolere debent sub ritu duplici I classis, quia titulare, et cum octava, quia octava ubique gaudet; sed octava sequi debet naturam festi; ergo Regulares dictum festum recolere debent sub ritu duplici I classis cum octava communi.

III. Quales orationes dicentur in Missa die 30 Decembris, quando fiet de Octava Nativ. vel de Dominica infra Octavam?

Resp. Quando officium fit de die infra octavam Nativi-

tatis Domini, die 30 Decembris in Missa dicentur tres orationes, uti infra omnes octavas, exceptis privilegiatis primi ordinis (Rubr. gen. Miss., tit. IX, n. 9), scilicet secunda de Sancta Maria, tertia *Ecclesiae* vel pro Papa; et quia decurrit tempus natalitium, oratio de Sancta Maria erit *Deus, qui salutis*. Quando vero officium fit de Dominica infra octavam, Missa erit de ipsa Dominica, cum secunda tantum oratione de octava, iuxta tit. IX Rubricarum generalium, n. 10.

IV. In occurrentia duplicis minoris vel maioris, quod est de propriis alicuius Ordinis, cum Titulo vel Dedicatione Ecclesiae propriae, aut cum Titulo vel Dedicatione cathedralis, quid faciendum cum isto festo proprio Ordinis?

Resp. In occurrentia *accidentali* duplicis maioris vel minoris, proprii alicuius Ordinis, cum Titulo vel Dedicatione ecclesiae particularis, officium fiat de Titulo vel Dedicatione, cum commemoratione duplicis impediti, in Laudibus tantum et in Missis privatis (Decr. gen. 28 Octobris 1913, IV, 2), dummodo Titulus non sit festum primarium Domini primae classis, Ecclesiae universalis (Rubr. noviss., tit. IV, n. 4, et tit. VII, n. 1). Similiter in occurrentia *perpetua,* Officium fiat de Titulo vel Dedicatione, cum commemoratione duplicis, quod reponi non debet (Ibid., tit. V, n. 1, in medio).

V. Utrum Ordinarius necessario debeat anniversarium Dedicationis ecclesiae assignare in diem, qua revera ecclesia consecrata fuit, si anniversarium alia Dominica, longe ab ipso consecrationis die distante, hucusque celebrabatur, an possit eligere aliam diem?

Resp. Nulla facta distinctione, inter anniversarium Dedicationis ecclesiae hucusque in Dominica celebratum, longe ab ipso consacrationis die, vel prope, servandum est generale Decretum 28 Octobris 1913, tit. V, n. 2, *b*), ut nempe celebretur ipsa die natali (scilicet consecrationis), si agnoscatur; si vero non agnoscatur, ponetur in aliqua die libera, de consensu Ordinarii, cui ius inest et onus curandi Rubricarum observantiam in dioecesi.

VI. Utrum ea, quae articulo IV, n. 2, Decreti S. R. C. de die 28 Octobris 1913 dicuntur de festis propriis alicuius nationis, dioecesis, etc. (incisum: « Idem servatur de festis propriis..... ») applicari possunt etiam festis, quae in tota *Provincia* regulari impedientur?

Resp. Incisum Decreti generalis S. R. C. diei 28 Octobris 1913, IV, 2: « Idem servatur de festis propriis alicuius Nationis, Dioecesis, Ordinis vel Instituti », ita hisce postremis (Ordini vel Instituto) applicari debent, ut festum *generale* Ordinis vel Instituti, si sit duplex maius aut minus vel semiduplex, non debeat transferri. sed in ea Provincia fiat de eo commemoratio, iuxta Rubricas. Provincia regularis, etsi non nominetur in Decreto se habet proportionaliter ad totum Ordinem, prout ecclesia particularis ad dioecesim vel Provinciam regularem.

VII. Quid faciendum cum S. Anastasio Mart., si Titularis ecclesiae cathedralis est S. Vincentius Levita et Martyr?

Resp. Iuxta recentissimas Rubricas, futuris Breviariis apponendas, tit. IX, n. 4, si Titulus ecclesiae descriptus sit in Calendario cum aliis Sanctis, quibus est ex natura sua coniunctus, scilicet quando inter eos necessaria consanguinitatis aut affinitatis ratio intercedit, non est a Sociis separandus. Si vero illis coniunctus sit ex occasione tantum, quia scilicet eadem die obierint, tunc a Sociis separatur, et de eo agitur festum sub ritu duplici I classis cum octava a clero saeculari, et si agatur de Titulo cathedralis, etiam a regularibus Calendarium dioecesanum sequentibus, absque octava a Regularibus proprium Calendarium habentibus.

Quod si Socii sint cum eo descripti in Calendario sub ritu simplici, de eis nihil penitus fit; si autem sub ritu duplici maiori vel minori aut semiduplici, de eis fit tantum commemoratio, iuxta praecedentem Rubricam, tit. VII, n. 1, fit scilicet commemoratio in Laudibus tantum, exclusa etiam IX lectione ad Matutinum, et iuxta Decretum S. R. C., diei 28 Octobris 1913, tit IV, n. 2. fit etiam commemoratio

de eis in Missis privatis tantum. Si demum inscripti fuerint sub ritu duplici I vel II classis, tunc Socii in proximam diem non impeditam reponuntur, iuxta Rubricas, sub ritu quo in Calendario inscribuntur.

Hinc, quia S. Anastasius M. in universali Ecclesia sub ritu semiduplici recolitur, fiat de eo commemoratio in Laudibus et in Missis privatis.

E dioecesi Ebroicensi. — I. Duplicia I et II cl., quae ab alio nobiliori officio impediuntur, transferenda sunt in proximiorem insequentem diem, quae libera sit ab alio festo duplici I vel II cl., a Dominica occurrenti, a Vigilia privilegiata, et ab aliis officiis, quae huiusmodi festa respective excludant. Festa duplicia maiora aut minora et semiduplicia, si quando sint impedita, non transferuntur, sed commemorantur aut penitus omittuntur, ut dicitur in tit. VII, de Commemorationibus. Festa fixa duplicia I et II cl. perpetuo impedita reponuntur, tamquam in sedem propriam, in primam diem liberam ab alio festo duplici I aut II cl., a Vigilia privilegiata, et ab aliis officiis, quae respective huiusmodi festa respective excludant. Duplicia vero I et II cl., certis feriis assignata, si perpetuo impediantur, item, tamquam in sedem propriam, reponuntur in feriam proxime insequentem perpetuo liberam, ut supra. Festa ritus duplicis sive maioris sive minoris aut semiduplicis universalis Ecclesiae, sive fixa sive mobilia, sicubi perpetuo impediantur, non reponuntur, sed die sua commemorantur vel omittuntur, ut dicitur in praedicto tit. VII. Idem servatur de festis alicuius nationis vel dioecesis, etc., respective in Ecclesiis particularibus impeditis.

In duplicibus I cl. fit, extra festa primaria Domini I cl. Ecclesiae universalis, de quolibet duplici, sive maiori sive minori aut semiduplici, de quibus tamen fit tantum in Laudibus. In duplicibus II cl. fit commemoratio de quolibet duplici vel semiduplici et de simplici, de quo tamen non fit in I Vesperis.

Hinc eruitur quid sit hodie agendum de festis propter festa et octavas Patronorum impeditis.

II. Dominicae impeditae propter festa classica, non sunt reponendae in primam feriam sequentem liberam infra suam hebdomadam, nisi tantum quoad Missam, iuxta Rubricas. Quare autem non sint tractandae prout Dominicae impeditae ante Septuagesimam et post Pentecosten, ratio in hoc est, quia in his earum officium penitus periret, in aliis, primo dictis, habetur saltem commemoratio, sive in officio sive in Missa. Subsumi potest quod antiquitus salva erat, ut plurimum, sola commemoratio; sed hodie datur amplius privilegium; unde videretur privilegium idem bene congruere etiam in casu. Respondemus: Poterat id fieri, sed cum factum non sit, standum in decisis, et non ultra progrediendum.

Nota pro Rev. Inquirente. Novum Breviarium Vaticanae editionis nonnisi circa proximum festum Pentecostes in lucem prodibunt, libellus autem mutationum, utilis pro utentibus antiquis Breviariis, iam venalis exstat.

Ex archidioecesi Leopoliensi Latinorum. — I. Ubi anniversarium Dedicationis propriae Ecclesiae hucusque Dominica IV Septembris celebrabatur, abhinc vero die 9 Septembris recoletur, externa solemnitas (de qua Decr. S. R. C. 28 Oct. 1913, Tit. I, n. 2) poteritne celebrari ulterius hac IV Dominica, an celebranda erit Dominica proxima post diem 9 Septembris?

Resp. Hic non agitur de festo, quod, alicui diei assignatum, poterat, quoad solemnitatem externam, ad proximam subsequentem Dominicam transferri; ita ut, nunc, assignato ipsi festo altero die, ad succedentem Dominicam externa solemnitas haberi queat. Nullimode ergo casui exposito applicari potest regula de solemnitate eiusmodi. Applicatur potius num. 2 Decreti gen. S. R. C., diei 28 Octobris 1913, tit. I, sic dicens: « Ubi solemnitas externa festorum, quae hucusque alicui Dominicae perpetuo affixa erant, in ipsa Dominica celebratur, de solemnitate festi duplicis I cl. permittuntur Missae omnes, etc. ». Unde concluditur, in casu, solemnitatem externam festi Dedicationis ecclesiae

non posse in Dominica proxima post diem 9 Septembris celebrari, sed tantum Dominica IV Septembris. Neque mirum; habemus pro Ecclesia universali exemplum, quoad festum SS. Rosarii B. M. V., quod amodo die 7 Octobris celebrandum est, eius tamen solemnitas externa ad Dominicam I eiusdem mensis affixa manet, etiamsi dominicus dies a die prima ad septimam occurrat, scilicet antecedenter ad ipsum festum, vel in eodem ipso.

II. Festum S. Hyacinthi Conf. celebrabatur Dominica post Assumptionem B. Mariae V. In Ecclesia huic Sancto dicata Missam principalem celebrabit Sacerdos e vicinia, honoris causa invitatus. Cum et ipse sit parochus, quaeritur an verba l. c. Decreti S. R. C.: « Missae omnes, praeter conventualem et *parochialem* » intelligenda sint solum de Missa parochiali dictae ecclesiae, an etiam de omni Missa a quocumque parocho in hac ecclesia celebranda?

Resp. Quando dicitur « Missa parochialis », illa intelligitur quae a quocumque sacerdote pro populo celebratur, scilicet pro populo paroeciae, cuius est ecclesia de qua agitur. Hinc nihil habet communis Missa ab extraneo parocho, forsan ex rationabili causa, in aliena ecclesia celebrata, cum Missa parochiali loci; unde extraneus parochus Missam in casu celebrare poterit de solemnitate. Quaestionem de applicatione pro populo extranei parochi non facimus, quia regulariter Missa pro populo in propria populi ecclesia celebrari et applicari debet; si nequit Parochus, id faciendum est per alium.

M.

Notandum. — Cum responsum ad quaestionem de obligatione desumendi e Proprio Dioecesis Officia et Missas propria quae a Regularibus, Kalendarium proprium habentibus, celebranda sunt cum Clero saeculari, iam conscriptum esset ante publicationem Decreti S. R. C. d. 28 Febr. 1914, illudque typis datum, quin impressionis exemplaria a me revisa fuerint; dictum responsum ea de re in his Ephemeridibus huius anni pag. 250 datum hodie complere ne-

cessarium iudico, dicens: in praesenti *Roma locuta, quaestio finita est;* S. enim Rituum Congregatio d. 28 Febr. 1914, V (A. A. S., VI, 118) praescribit: « Quoad Festa localia, quae a Regularibus ut supra servanda sunt, ipsi uti debent Officio et Missa Clero saeculari concessis, nisi eadem Festa ab ipsis Regularibus iam habeantur cum Officio et Missa magis propriis ».

E Belgio. — I. In Civitate Cathedrali, an illi, qui huic Ecclesiae addicti sunt, debeant insuper celebrare Dedicationem Ecclesiarum Ordinis, in supposito quod illi addicti sint Regulares, et in suo Ordine uno eodemque die celebretur anniversarium Dedicationis omnium Ecclesiarum Ordinis?

R. Negative; hodie enim tum Saeculares quum Regulares Sacerdotes celebrare debent, praeter anniversarium Dedicationis Ecclesiae Cathedralis, Dedicationem *propriae* Ecclesiae tantum, *quando est consecrata,* etiam ubi in aliqua Dioecesi seu Ordine uno eodemque die anniversarium omnium Ecclesiarum celebratur. Quum autem addicti Ecclesiae Cathedrali iam celebrent Dedicationem propriae Ecclesiae, scilicet Cathedralis, et nulli aliae Ecclesiae consecratae addicti supponantur, sequitur, ipsos non posse celebrare anniversarium Dedicationis omnium Ecclesiarum Ordinis.

II. An Regulares Missionarii debeant celebrare tum Dedicationem tum Titularem Ecclesiae Cathedralis sub ritu duplici I classis cum Octava?

R. Iuxta Rubr. reformat. Psalterii, tit. IX, n. 2, « Anniversarium Dedicationis Ecclesiae Cathedralis et Festum Titulare eiusdem celebranda sunt sub ritu duplici I classis cum octava per totam Dioecesim ab universo Clero saeculari et etiam Regulari Kalendarium Dioecesanum adhibente: a Regularibus vero utriusque sexus in eadem Dioecesi commorantibus ac proprium Kalendarium habentibus, pariter sub ritu duplici I classis, absque tamen octava, nisi haec ex alio titulo sit celebranda ». Ex quo sequitur, quod Regulares Missionarii, Ecclesiae Cathedrali addicti, teneantur celebrare tum Dedicationem tum Titularem Ecclesiae Cathe-

dralis sub ritu duplici I classis cum octava; alii autem Regulares Missionarii, in ea Dioecesi commorantes, et Ecclesiis istius Dioecesis ex officio deservientes, pariter sub ritu duplici I classis; sed utrum *cum* octava, an *absque* octava, est quaestio iuxta me nondum decisa. Remitto Inquirentem ad ea quae anno praeterito in his Ephemeridibus pp. 353-355 circa hanc quaestionem afferre iudicavi.

III. In locis in quibus Ecclesiae seu Oratoria solemniter benedicta habeant pro Titulari SS.mum Redemptorem vel Purissimum Cor B. Mariae Virg., quid faciendum, cum huiusmodi Officia e Kalendario nostro suppressa sint et alicui Dominicae non amplius assignari possint?

R. Dicti Titulares celebrandi sunt sub eodem ritu et cum eodem Officio uti antea ab addictis istius Ecclesiae seu Oratorii. Circa dies ipsis assignandos vulgatur decretum S. R. C. in hoc fasciculo, pag. 271.

IV. An per novum reformatum Kalendarium perpetuum Ordinis seu Dioecesis, a S. R. C. approbatum cum clausula « Contrariis non obstantibus quibuscumque », quaelibet indulta particularia circa additionem Officiorum, etc., alicui Provinciae seu Dioecesi, vel alicui particulari Ecclesiae seu Coenobio antea concessa, sint ipso facto abrogata, vel permaneant?

R. Cum per introductionem novi Kalendarii reformati perpetui Ordinis, a S. R. C. cum praefata clausula approbati, omnia indulta contraria antea concessa ipso facto abrogata censeantur, ex hoc sequitur, quod, non solum indulta generalia, sed etiam particularia antea concessa et illi Kalendario contraria, ipso facto abolita censeri debeant. Consequenter huiusmodi Kalendario, sine speciali S. Sedis indulto, alia officia addi nequeunt, nisi ea quae Regulares, proprium Kalendarium habentes, iure communi adiungere teneantur, qualia sunt in praesenti: 1. Festa Dedicationis et Titularis Ecclesiae Cathedralis; 2. Dedicationis et Titularis Ecclesiae propriae; 3. Festa solemniora Patronorum principalium cuiusque loci, dioecesis, provinciae et regni;

et 4. Officia localia quae adhuc hodie adnexam habent feriationem in populo (Cf. Decr. S. R. C. 28 Febr. 1914, hoc fasciculo, pag. 258, n. 4).

V. Cum in Decr. S. R. C. d. 28 Febr. 1914 nihil dicatur de Officio adiungendo novo Kalendario approbato *ratione Corporis aut insignis Reliquiae,* quae in aliqua Ecclesia asservatur, quaeritur: an hoc Officium, uti antea, etiam de iure communi cum aliis supradictis Officiis novo Kalendario reformato sit addendum, etiam ubi iam habetur in illo Kalendario Officium SS. Reliquiarum quae in Ecclesiis Ordinis (seu Dioecesis) asservantur? Et si affirmative, quo ritu?

R. Cum de hoc officio, quod antea iure communi Kalendario adiungi poterat, nihil in novis Rubricis vel recentibus Decretis statuatur, concludendum est, Decreta anteriora circa illud Officium subsistere et permanere.

Porro, ut Officium *ratione Corporis aut insignis Reliquiae,* quae in aliqua Ecclesia asservatur, Kalendario approbato de iure communi adiungi possit, requiritur: 1° *ut Reliquiae sint insignes.* « Insignes autem Reliquias declaravit S. R. C. esse corpus, caput, brachium, crus, aut illam partem corporis in qua passus est Martyr, modo sit integra et non parva, et legitime ab Ordinario approbata » (S. R. C. 8 April. 1628 ad 2 et 3, n. 460, et Decr. *Urbis et Orbis* 13 Ian. 1631, n. 555). Item Reliquia insignis est pars anterior brachii, quae antibrachium dicitur, ab alia parte superiori eiusdem brachii separata; idem dicendum de parte superiori brachii; necnon cor, lingua, manus, si ex miraculo intacta conserventur (S. R. C. 27 Iunii 1899 ad 1-3, n. 4041). Non vero censetur Reliquia insignis quoddam os capitis (S. R. C. 20 Decr. 1628, n. 490), nec sola tibia (S. R. C. 3 Iun. 1662 ad 2 n. 1234 (1).

(1) Hinc Reliquia insignis dici nequit os capitis cui tota maxilla deficit, et consequenter ibi officium illius Sancti dici nequit, ne quidem si talis Reliquia uti insignis ignoranter exhibita fuerit S. Rit. Congregationi, et haec eam ob causam officium illius Sancti concessisset.

2° *Ut Reliquiae sint ex Sanctis in Martyrologio Romano descriptis* (S. R. C. 3 Iun. 1662 ad 1, n. 1234 et Decr. gener. 11 Aug. 1691, n. 1853). et non de Sanctis, quorum nomina mutuata fuerunt, eo quod eorum nomina ignorarentur (S. R. C. 19 Dec. 1643, n. 853; 7 Ian. 1681,n. 1670, et 30 Iulii 1689 ad 3, n. 1815).

3° *Ut constet de identitate Corporis seu Reliquiae insignis illius Sancti, qui reperitur in Martyrologio Romano descriptus* (S. R. C. 3 Iun. 1662 ad 1, n. 1234; 30 Iulii 1689 ad 3, n. 1815; Decr. gener. 11 Aug. 1691, n. 1853 et 1 Oct. 1707 ad 2, n. 2180).

Casu quo supradictae conditiones adsint, unicum Festum intuitu Reliquiarum insignium celebrari *potest,* sine alia licentia S. R. C. aut Ordinarii loci, imo *debet,* si usu receptum sit (1), ab addictis, seu deservientibus in aliquo ministerio illius Ecclesiae tantum, in qua asservatur eiusmodi Reliquia (S. R. C. 12 Mart. 1618 ad 2, n. 361, Decr. gener. 13 Iun. 1631, n. 555; 20 Nov. 1677 ad 1-3, n. 1603 et 10 Ian. 1693 ad 5, n. 1890), in die eius Festivitatis, i. e. in die Martyrii vel obitus, nisi alius dies per Decretum Apostolicum, aut S. R. C. vel in Martyrologio Romano assignetur. Hoc Festum celebrandam est ritu duplici minori. Si iam Festum illius Sancti celebretur, aliud ratione eius Reliquiae institui nequit; Officium tamen omnium Reliquiarum, quod ex indulto celebratur, non impedit quominus Festum particulare celebretur de Sanctis, quorum Corpora vel Reliquiae insignes conservantur.

VI. Quid hodie faciendum sit, si in aliqua particulari Ecclesia vel Coenobio religioso Patronus loci, Dedicatio Ecclesiae Cathedralis, etc., incidat in diem in quo in Kalendario recens reformato recolitur aliquod Festum Ecclesiae universalis, vel Festum Ordinis seu Coenobii proprium?

---

(1) A. a Carpo, *Comp. Biblioth. Liturg.* P. 2, n. 185; De Herdt, *S. Liturg. Prax.*, t. 2. n. 198; Academ. Liturg. Rom. ap. Ephemer. Liturg., vol. XII, p. 160.

R. Iuxta Decretum generale S. R. C. d. 28 Oct. 1913, IV, 1 et 2 (A. A. S., V, 461 et 462) sequentes distinctiones faciendae sunt:

1° Si Festum *impeditum* sit duplex I vel II classis, hoc transfertur in primam sequentem diem, non impeditam a Dominica, Vigilia Epiphaniae, alio duplici I vel II classis, vel ab aliquo Officio eiusmodi Festa excludente.

2° Si Festum *impeditum* (sive accidentaliter sive perpetuo) sit duplex maius vel minus aut semiduplex *Ecclesiae universalis*, hoc commemoratur tantum cum IX Lectione historica. Si tamen Festum *impediens* sit *duplex I classis Domini universalis Ecclesiae*, nihil fit de Festo impedito; et, si Festum *impediens* sit *aliud duplex I classis*, de Officio impedito fit tantum commemoratio in Laudibus et in Missis privatis sine IX Lectione. Hinc si in aliquo loco Patronus loci sit S. Engelmundus et incidat in Festum S. Aloisii (21 Iunii) ritus duplicis, ibi fit tantum commemoratio de S. Aloisio in Laudibus et Missis privatis, sine IX Lectione historica.

3° Idem servatur (ut in n. 2°), si aliquod Festum proprium Nationis, Dioecesis, Ordinis vel Instituti impediatur in aliqua particulari Ecclesia vel Coenobio. Sume exemplum quod pro aliquo Coenobio Patronus loci incidat (accidentaliter vel perpetuo) in aliquod Festum proprium Ordinis ritus duplicis maioris, minoris, vel semiduplicis, tunc ibi fit eo die commemoratio de Festo impedito in Laudibus et Missis privatis tantum, sine IX Lectione.

4° Si vero Festum *impeditum* (ritus duplicis maioris, minoris vel semiduplicis) sit proprium alicuius Nationis, Ordinis, Instituti, vel particularis Ecclesiae, quod in *tota* Natione, in *tota* Dioecesi, in *toto* Ordine vel Instituto, vel etiam in sua particulari Ecclesia impediatur, tunc distinguendum est:

a) Si impedimentum sit *accidentale*, eo in casu Festum *impeditum* commemoratur vel omittitur, ut supra in n. 2°.

b) Si vero impedimentum sit *perpetuum*, tunc Festum *impeditum* reponatur in proximiorem diem liberam ab Officio duplici, semiduplici, Vigiliis privilegiatis et Octavis II Or-

dinis. Hinc vidimus in Kalendario perpetuo Ordinis nostri reformato et approbato plura Festa propria Ordinis ritus duplicis maioris, minoris vel semiduplicis perpetuo impedita in alio die assignata. Eiusmodi casus etiam accidere potest in aliqua particulari Ecclesia seu Coenobio, ubi v. g. recolitur Officium *ratione Corporis aut insignis Reliquiae alicuius Sancti* si hoc *perpetuo* impediatur, tunc ibi hoc Officium in aliam diem liberam reponatur; si vero *accidentaliter* impediatur, tunc commemoratur aut omittitur, ut supra (1).

Quid vero, si aliquis Sanctus proprius Ordinis vel alicuius Provinciae *in tota aliqua Provincia perpetuo impediatur?*

R. cum Decretum supra allatum non loquatur de tali casu, ex eo concludi potest talem Sanctum in casu transferri non posse. Cl. Dr. P. Piacenza in *Ephemer. Liturg.*, an. 1914, pag. 210, hoc etiam affirmare videtur, dicens: « Similiter, eadem ex ratione, si Sanctus aliquis proprius totius Ordinis, in aliqua Provincia impediatur a Festo ipsius Provinciae proprio, non transfertur, sed in sua die commemoratur, ut supra dictum est. Licet ergo in Rubrica ista, quam exponimus, casus iste explicite non exhibeatur, nihilominus sine ulla errandi formidine applicari debet eadem ista dispositio ».

Vide etiam supra, pag. 294, n. VI, opinionem et rationem alterius ex nostris collaboratoribus.

VII. Quid in praesenti faciendum sit in loco ubi S. Dionysius est Patronus loci, an Socii sui (SS. Rusticus et Eleutherius) transferendi vel commemorandi sint?

---

(1) Idem dicendum mihi videtur de Sancto cuius Corpus vel Reliquiae insignes in aliqua Ecclesia asservantur, et cuius Festum iam in Kalendario describitur; V. gr. in Ecclesia Immaculatae Conceptionis B. M. V. apud Capuccinos in Alma Urbe asservantur Corpus seu Reliquiae insignes S. Felicis a Cantalicio cuius Festum in Kalendario perpetuo Ordinis nostri habetur, sub ritu duplici maiori. Supponamus nunc quod in ea Ecclesia seu Coenobio illud Festum sit perpetuo impeditum, eo in casu ibi illud Festum impeditum in primo die libero assignandum est.

R. Iuxta novam Rubricam reformatam Psalterii, tit. IX, n. 4, cum illi Socii S. Dionysio tantum coniuncti sint ex occasione (quia scilicet eadem die obierint) et in Kalendario Romano descripti sint sub ritu semiduplici, de eis Sociis fit tantum commemoratio in Laudibus et Missis privatis, sine IX Lectione.

VIII. Nonne infra Octavam et in die Octava S. P. N. Francisci, cuius Festum habet Officium integrum proprium ad Matutinum, Laudes et Vesperas Antiphonae et Psalmi desumantur de Festo?

R. Iuxta Decr. gener. S. R. C. 28 Oct. 1913, II, 2, « *In Officio tum de die infra Octavam, tum de die Octava* aliorum quorumlibet Duplicium I classis etiam Domini *(quae non sunt privilegiatae)*, Antiphonae et Psalmi ad *omnes* Horas et Versus Nocturnorum dicantur de occurrenti hebdomadae die, et Lectionis I Nocturni, nisi habeantur propriae vel, Lectionibus de Scriptura deficientibus, sumi debeant de Festo aut de Communi, dicuntur cum suis Responsoriis de Tempore... » Rubrica tamen Psalterii manet uti antea, scilicet: « Quod si aliquod ex *Festis* duplicibus aut semiduplicibus proprias vel peculiariter assignatas habent Antiphonas in aliqua Hora maiori, eas in eadem Hora cum suis Psalmis, et ad Matutinum etiam Versibus, retinet: in ceteris Horis Psalmi et Antiphonae dicuntur de Feria occurrenti (tit. I, n. 3) ». « Quod si fortasse aliquid proprium habeatur, *etiam diebus infra Octavam vel in die Octava,* procul dubio haec erunt e suis locis sumenda » (Ita cl. Dr. P. Piacenza in Ephemer. Liturg. huius anni (1914), pag. 78.

P. V. ab A.

BREVIORA RESPONSA

Pro Lucana archidioecesi. — I. Ecclesiae particulares possunt officium celebrare Sanctorum, de quibus corpus vel insignem reliquiam possident, quamvis in dioecesano Calendario, vel numquam extiterint, aut modo fuerint suppressa. Agitur de iure, quasi de privilegio, sed non de obligatione, et ad aliquid in casu decernendum oportet ut habeatur Rev.mi Ordinarii consensus.

II. Si in aliqua particulari ecclesia officium quoddam celebrabatur sub ritu superiori, ad decernendum utrum valeat nec ne in hoc continuari, scire necesse est, an legitime illo ritu eiusmodi officia celebrata fuerint, et constito quod ita sit, poterit in consuetudine perseverari.

III. Religiosorum Congregationes, quae utuntur Calendario dioecesano, additis Sanctorum officiis, quae ad Congregationem sensu proprio pertinent, possunt in usu perseverare, quin ad S. Rituum Congregationem recurrant. Debent tamen ad Ordinarium rem examinandam remittere, quia ipsi competit de regularitate Calendarii iudicium ferre. Calendarium a respectivo Ordinario non approbatum nullam auctoritatem habet. Quod dicitur de integro Calendario, profecto dici debet de qualibet eius parte.

Pro archidioecesi Olomucensi. — I. In parte archidioecesis Olomucen. pertinente ad imperium Germaniae, viget ab initio saeculi XIX indultum apostolicum celebrandi festa Deiparae, Assumptionis et Nativitatis, integra cum Octava, Dominica post 15 Augusti vel 8 Septembris.

Quaeritur: 1. Vigetne hocce Indultum etiam nunc, publicato decreto generali (I. De Dominicis, ad 1): « Dominicae quaevis assignationem perpetuam cuiuslibet Festi excludunt »?

2. An potius haecce festa pro choro diebus 15 Augu-

sti et 8 Sept. celebranda erunt, cum externa Solemnitate in Dominica infra Octavam?

3. Si ad 2 affirmative, estne Vigilia Assumptionis una cum ieiunio diei 14 Augusti restituenda? An potius Vigilia quoad Missam et Officium tantum et ieiunium observandum erit Sabbato ante Dominicam, in qua externa Solemnitas peragetur?

Resp. Ad 1. Negative, ut eruitur ex verbis ipsis citati Decreti, ex mente manifesta ex explicite declarata S. Sedis, et ex facto v. gr. redditae festivitatis S. Ioannis Baptistae ex Dominica ad antiquam diem 24 Iunii, quamvis ageretur de festo ex solemnioribus universalis Ecclesiae.

Ad 2. Affirmative, iuxta Decretum generale S. R. C., diei 28 Octobris 1913, I, 2. Quod tamen respicit *obligationem,* celebrandi eiusmodi externam solemnitatem, putamus eam sustineri vi Indulti, quod in casu praeceptivum evasit, et debet observari in quantum fieri potest, etiam in quantum favet christifidelibus, v. gr. quoad abolitionem utriusque praecepti die 15 Augusti.

Ad 3. Liturgice loquendo, affirmative ad primam partem, uti per se patet; sed quoad obligationem moralem ieiunii, recurratur ad R.mos Ordinarios.

II. Quae praefatio dicenda est in Missa Dominicae anticipatae post Epiphaniam vel post Pentecosten, si attendamus ad verba Decreti generalis diei 28 Octobris 1913 (I. De Dominicis, ad 3): « Officium vero Dominicae... cum omnibus privilegiis tam in occursu quam in concursu », communisne, an de Ss. Trinitate?

Resp. Tam ratione locutionis: *cum omnibus privilegiis Dominicae,* quam ratione ritus semiduplicis, qui excludit typum ferialem ipsius Missae, praefatio dicenda est de Ss.ma Trinitate.

III. Potestne, iuxta idem Decretum generale, peragi externa Solemnitas de festo Ss. Nominis Mariae Dominica post 12 Septembris? (Festum hocce celebratur apud nos sub ritu dupl. II cl.).

Resp. Obstare videtur locutio Decreti: « Ubi solemnitas

externa festorum, quae *hucusque* alicui Dominicae perpetuo affixa erant, in ipsa Dominica celebratur ». Et revera non hucusque, sed vi praecedentis dispositionis, festum praefatum a Dominica infra octavam Nativitatis exulavit. Obstat etiam notio ipsius Dominicae, quae non semper, iuxta antiquum morem, incidebat post diem 12 Septembris. Quod primam respicit difficultatem, videtur nobis solvi posse favorabiliter, sed pro Dominica infra octavam Nativitatis, si post reductionem festi SS.mi Nominis Mariae ad diem 12 Septembris, in ipsa Dominica consuevit adhuc fieri externam eiusdem festivitatem. Sin vero continuatio et possessio deficit, nequit id fieri sine recursu ad S. Sedem. Quod respicit alteram difficultatem, electio Dominicae post diem 12 Septembris nequit fieri vi Decreti, quia *hucusque* nullimode festum SS.mi Nominis Mariae illi Dominicae affixum erat.

Pro dioecesi Baionensi. — Si Missa solemnis vel cum cantu de requie, in ecclesia vel publico oratorio Religiosae Communitatis, occasione exsequiarum alicuius ex Religiosis nequeat celebrari, celebretur lecta; saltem ratione impotentiae ad sustinendas expensas, uti conceditur per Decretum S. R. C., n. 4024. Utrum vero ratione facultatis ab eadem S. C. datae sub nn. 4192, I, et 4235, I et II, quod nempe Missas lectas de requie in oratoriis publicis vel ecclesiis Religiosarum Communitatum, etc. semel tantum licet celebrare, in uno ex tribus diebus ab obitu usque ad sepulturam decurrentibus, dum cadaver praesens est in domo, ecclesiis vel oratoriis publicis praedictis adnexa; ancipites haeremus, quia, si bene intelligimus casum nobis propositum, cadaver non est in *domo,* sed in oratorio publico adnexo. Probabilius censemus id fieri posse, quia: 1° domus religiosa latius in iure sumi potest, ita ut oratorium vel ecclesiam comprehendat; 2° si id licet cadavere praesente in domo, *a fortiori* licebit eodem praesente in sacra aede. Nemo insuper dubitat de privilegio trium dierum, si cadaver sit praesens in sacello semipublico vel privato.

Pro dioecesi Mindonien. — In Octavis S. Stephani Pro-

tom., S. Ioannis Ap. et Evang. et Ss. Innocentium Mm., quae orationes dicendae sunt in Missa?

Resp. Dicentur tres orationes ut in semiduplicibus, aut quinque vel septem ad libitum, iuxta rubricas generales, tit. IX, n. 12. Hic enim novus typus octavae simplicis, considerandus est prout alia festa simplicia, nisi aliter in edendis Missalis rubricis disponatur. Secunda autem et tertia oratio erunt de tempore occurrenti, nempe B. M. V. *Deus, qui salutis,* et *Ecclesiae* vel pro Papa, ut videre est in Vigilia Epiphaniae. Si tamen erit dies primus liber mensis, aut feria II hebdomadae item libera, servanda erit rubrica generalis, tit. V, nn. 1 et 2, circa orationem secundo loco, *Fidelium,* pro omnibus defunctis.

Pro dioecesi N. — I. Ante Matutinum cum Laudibus nulla alia sequente hora estne in Oratione « Aperi » dicendum: « hanc horam », vel « has horas »?

Resp. In Ordinario divini Officii, ante novum Psalterium Pii Pp. X, iam resolutum invenitur dubium; legitur quippe inter parentheses: « vel *hanc tibi horam* ».

II. In Seminario Clericorum est Oratorium, in quo non celebratur Missa, sed dicuntur preces matutinales et vespertinales, et recitantur Matutinum et Laudes communiter ab alumnis superpelliceo non indutis. Estne haec Breviarii recitatio recensenda tamquam privata, ita ut diebus solemnibus anticipari possit in dicto Oratorio Matutinum sine Laudibus, quae ipsa die festi mane cum solemnitate in Ecclesia publica Seminarii cantantur, an valet in casu Rubrica Psalterii Pii X: « In publica vero recitatione Matutinum in Choro a Laudibus separari non potest »?

Resp. Laudes ergo sunt certissime *publicae;* quomodo igitur *publica recitatio Laudum* separabitur, et tali quidem separatione, ut Matutinum ea forma dicatur, quae, saltem ex suspicione, est privata?

III. Estne Breviarii in dicto Oratorio recitatio; quae fit sine vestibus choralibus et luminibus non accensis, habenda tamquam « in Choro », in qua observari debent Rubricae quoad standum et genuflectendum (S. R. C., D.

n. 2657 ad 1), an putanda tamquam « extra Chorum », in qua confessio quidem fit in Prima ut « in Choro », quia plures quam « unus vel duo » recitant Officium, Martyrologium autem non legitur ut « extra Chorum »?

Resp. Negative ad primam partem; affirmative ad secundam; secus enim prohibita esset talis forma officii faciendi, a vestibus incipiendo; nunc autem nemo umquam dubitavit de liceitate eiusmodi praxis, quia nihil impedit quominus in casu nonnullae saltem caeremoniae serventur ut in choro.

IV. Potestne Episcopus conscientia non onerata tolerare, ut alumni Seminariorum Clericorum a magistro chorali loco Cantus choralis editionis Vaticanae hodie quoque instruantur cantu editionis Mediceae, dictitante magistro chorali esse Cantum editionis Vaticanae impossibilem?

Resp. Veneratio R.mis Episcopis debita, vetat responsionem dubio adaequatam dare; satis sit respondere: Consulantur Apostolicae Constitutiones aliaque in re S. Sedis documenta.

Pro Galicia. — I. Anno proximo 1915, festum S. Marci Evang. occurrit in Dominica. An in Ecclesiis parochialibus in quibus unica Missa celebratur, haec debeat esse de Rogationibus, et quatenus affirmative, quae Orationes et Praefatio in ea dici debent, et quodnam Evangelium in fine legendum?

Resp. Affirmative ad primam partem, iuxta S. R. Congr. Decreta, n. 3069, II, et 3189, II. Ad secundam partem: dici in Missa de Rogationibus, in casu, debent orationes: secunda de festo S. Marci, tertia de Dominica; Praefatio erit de Tempore paschali, cum Missa reipsa sit de Tempore: Evangelium tandem, in fine, erit de Dominica, iuxta communes regulas.

II. In hac Ecclesia Cathedrali, festo S. Marci Evang. et tribus Feriis Rogationum, cantata post Tertiam Missa conventuali, fit post Nonam Processio Litaniarum ad alienam Ecclesiam, in qua Missa solemnis Rogationum celebratur; anno vero proximo, 1915, in Feria III Rogationum

nullum occurrit festum: An servari possit consuetudo canendi post Nonam Missam Rogationum in aliena Ecclesia, omissa in Cathedrali Missa conventuali?

Resp. Affirmative, iuxta Decretum S. R. C. n. 121, et praxim plurium Capitulorum, pacifice servatam.

Pro dioecesi Agrigentina. — I. Titulus I Decreti S. R. C. d. 28 Octobris 1913, n. 1: « Festa tam universalis Ecclesiae, quam alicuius loci propria, quae hucusque Dominicis assignata fuerunt, celebrentur die fixa mensis, qua in Martyrologio inscribuntur, si haec habeatur », observandus adamussim est, et littera *h*) eiusdem tituli respiciens festa post Pascha aut Pentecosten valet tantummodo in casibus, quibus dies natalis aut quasi natalis ignoratur. Hoc, ex contextu ipsius Decreti, et ex praxi S. Rituum Congregationis. Adverte, quod dicitur de Martyrologio, non intelligi solum de Martyrologio Romano, sed etiam de particulari, scilicet pro die, qui in Proprio dioecesano, vel ecclesiae particularis, Sancto alicui tribuitur.

II. Titulus IV, n. 2 citati Decreti, ita observari debet, non ut unum de duobus festis duplicibus, et secundae classi inferioribus, eodem die occurrentibus, supprimatur, sed, ut explicite in Decreto edicitur, vel commemoretur vel transferatur, prout aut unum est particulare et alterum generale (unum v. gr. propriae ecclesiae, alterum dioecesis), aut utrumque est particulare, servata norma, circa ritum, qualitatem, etc.

III. Missa votivo-festiva solemnis, quae iuxta Motuproprio de diebus festis, 1 Novembris 1911, de Patrono loci cantari potest in Dominica festum subsequente, impeditur Dominicis I classis et aliis diebus quae festa quaelibet etiam duplicia I classis excludunt, iuxta Decreta S. R. C., generale, sub n. 3754, IV, et *Quebecen.*, sub n. 3890, II. Non prohibetur autem in Dominicis II classis; et hic casus nihil commune habet cum festis quae hucusque alicui Dominicae affixa erant, de quibus loquitur Decretum 23 Octobris 1913.

Pro Eggenburg in Austria. — I. Si Dedicatio Ecclesiarum

occurrit infra tempus Paschale, habetne unumquodque Nocturnum unam tantum Antiphonam, an *tres?*

Resp. Nullam passa est mutationem Rubrica de unica antiphona dicenda in quolibet Nocturno tempore Paschali in Communi Dedicationis ecclesiae, ita ut, prouti antiquitus, nunc etiam in unoquoque Nocturno unica antiphona sit dicenda.

II. Adhuc ne sustineri potest S. R. C. Decr., n. 2189, contra n. 4192, IV?

Resp. Nullam videmus relationem Decreti n. 2189 cum alio, n. 4192, IV, ita ut Symbolum in Missa sancti Titularis non sit dicendum nisi in ecclesia propria, si aliunde non sit debitum; et id tam in festo principali quam in aliis secundariis, si ritu saltem duplici celebrantur. Sic ex. gr. in ecclesia quae S. Damasum habent Titularem, addetur Symbolum in Missa die 11 Decembris, ratione tituli, in eadem ecclesia propria tantum, et simillter in translatione corporis eiusdem Sancti, rit. dupl. die 1 Iunii, in eadem ecclesia dicetur *Credo.*

III. Estne Dedicatio Ecclesiae cathedralis a sacerdotibus saecularibus sub ritu duplici I cl. cum octava, iuxta novissima decreta, celebranda, an tantum Dedicatio propriae Ecclesiae?

Resp. Affirmative, ad primam partem, negative ad secundum, iuxta novissimas Rubricas, quae typico Breviario mox edendo inserentur, titulo IX, n. 2.

IV. An die 2 Ianuarii (in die oct. S. Steph. simpl.) *licitae* sunt Missae votivae privatae et Missae privatae pro defunctis; et an 2 Oratio *Fidelium, Deus.....* in Missa dici debet?

Resp. Affirmative, ad primam partem, cum nulla lex in contrarium faciat, sive ritus spectetur, sive ratio octavae, sive tempus quod decurrit: affirmative etiam ad partem alteram, ut in Rubricis generalibus, tit. V, n. 1.

V. An infra octavam Ascensionis Domini (utpote privilegiata III Ordinis) *nona* lectio *historica* dicenda sit?

Resp. Nullum hucusque dignoscitur impedimentum seu

vetitum, circa lectionem nonam in casu; nova lex, qua erigitur octava Ascensionis ad privilegiatam III Ordinis, nihil habet, prout reipsa habet rubrica quae est et erat de Octava SS. Corporis Christi.

VI. Aliquis putat: Sabbato ante Dominicam Quadragesimae, si non occurrat festum impediens, adhuc locum habere Officium S. Mariae in Sabbato, cum iuxta Liturgicos iam non sit proprie tempus Quadragesimale, sed tempus Quinquagesimae, usque ad Nonam Sabbati. Quid dicendum?

Resp. Sententia eiusmodi sustineri non potest: tempus quadragesimale a feria IV Cinerum initium habet, quidquid sit de aliis considerationibus: officium Sabbati est de feria maiori, et quemodmodum Officium S. Mariae in Sabbato prohibetur in Quatuor Temporibus, etiam extra Quadragesimam, ita et illo Sabbato. Hodie vero non amplius de re dubitare licet, cum novissima Rubrica dicat: « Omnibus Sabbatis, *extra* tempus Adventus, Quadragesimae, *a Sabbato post Cineres inclusive,* Passionis, et Quatuor temporum, nisi...., fit Officium de S. Maria, in quo... ».

VII. Infra octavam duplicis II cl. cum octava, influxus talis esse videtur, ut *neque* Suffragium in Laudibus *nec* preces ad Primam per *totam* octavam dicenda sint, quamvis in Officio et Missa nulla fiat mentio; ita ne?

Resp. Uti iam alias probavimus, nequit haec sententia sustineri, quia standum est verbis Rubricae novissimae, tam quoad Suffragium, quam quoad preces, explicite loquentis; non de *tempore* octavae, sed de *Officio* vel *commemoratione* illius, et addita voce *cuiuslibet,* ut intelligatur etiam sermonem esse de octavis simplicibus; atqui infra illud temporis spatium nullum fit Officium, nulla Commemoratio de octava, ergo...

M.

Appendix

ad Caeremoniale Parochorum

(Continuatio. Vide n. 4, curr. anni pagg. 254-256)

CAPUT VI.

De vesperis solemnibus.

Articulus I.

De iis quae praeparanda sunt.

1. Accenduntur sex cerei candelabrorum.
2. Insuper sacrae reliquiae et imagines sanctorum statui poterunt alterne inter ipsa candelabra (si ss. Sacramentum non exponatur et extra tempus passionis); necnon et vascula cum flosculis, frondibusque odoriferis vel serico contextis (non vero in adventu et quadragesima, quando officium de tempore celebretur, exceptis dominicis *Gaudete* et *Laetare*).
3. Gradus omnes altaris tapete amplo cooperientur.
4. In latere epistolae scamnum oblongum panno decentis coloris cooperietur. in quo celebrans cum duobus assistentibus dignioribus sedebit, prout in illa ecclesia usitatum est; ante scamnum legile panno coloris diei ornatum, et super ipsum ponetur breviarium.
5. Pro reliquis assistentibus, si aderunt, in plano presbyterii, hinc inde ante altare, duo aut quatuor scabella, pro numero assistentium collocabuntur.
6. Ponetur etiam, si id consueverit, scabellum pro caeremoniario ad dexteram primi assistentis, vel in alio loco congruenti, et scamnum oblongum aut nuda scabella pro acolythis prope abacum.
7. In sacristia paramenta pro celebrante et assistentibus: scilicet, superpellicea vel rochetta, si ipsis competant, et pluvialia pro

numero assistentium (1); necnon superpellicea pro ministris inferioribus; thuribulum cum navicula et candelabra cum candelis accensis.

ARTICULUS II.

Ritus servandus in vesperis solemnibus.

1. Celebrans et pluvialistae, si adsint, aliique ministri inferiores hora competenti in sacrario induti, debitis reverentiis praemissis, ad altare ordine sequenti procedunt: 1° duo acolythi ferentes candelabra cum candelis accensis; 2° caeremoniarius ad dexteram thuriferarii; 3° reliqui clerici superpelliceis induti; 4° pluvialistae bini et bini; 5° celebrans, medius inter duos assistentes, fimbrias pluvialis ipsius elevantes, cooperto capite, et similiter pluvialistae omnes.

2. Ad fores sacristiae caput detegunt, et aquam benedictam accipiunt, se signant, deinde caput iterum tegunt; et ad ingressum presbyterii dirimentur ordinatim, caput detegunt, si adest chorum (secus ante altare), et rectam lineam efformantes, celebrans in medio, pluvialistae ad eius utrumque latus, ita ut digniores huic propius adstent, et ceroferarii postremi hinc inde a lateribus, procedunt ante infimum gradum (2).

3. Tunc celebrans et pluvialistae faciunt ad crucem altaris profundam inclinationem (3), vel genuflectunt in plano, si ss. Sacramentum adsit in tabernaculo; caeremoniarius vero, thuriferarius, acolythi aliique clerici genuflectunt. Deinde celebrans et pluvialistae genuflexi super infimum gradum parumper orant, dicentes *Aperi, Domine, etc.* Interea, acolythi statim cande-

(1) Pro assistentia in vesperis adhiberi nequeunt ministri dalmatica et tunicella induti (D. 1194). Similiter cum canentur vesperae coram Sanctissimo exposito, celebrans nequit a principio alba et stola et pluviale induere, nec ei diaconus et subdiaconus dalmaticis induti assistere, etsi processio immediate post vesperas instituenda sit. Idque etiam vetitum in quadragesima, quando vesperae immediate cantantur post Missam solemnem (D. 4271 3, 4).

(2) In accessu e sacristia ad altare, tunc tantum ministri reverentiam choralibus exhibent, si eundo ad altare ante ipsos transeunt; si vero ministri simul cum choralibus ad altare pergunt, ipsis reverentiam omittere debent.

(3) *Caerem. episc.* pluvialistis praescribit, uti alibi dictum est, inclinationem, non vero genuflexionem ad altare quando *una cum celebrante coniuncti sunt;* quandocumque autem sine celebrante procedunt, uti ad praeintonandam antiphonam vel ad chorum incensandum, genuflectere tenentur.

labra ad altaris latera super planum vel infimum gradum deponunt, et extinctis cereis, ad locum suum sicut thuriferarius et alii clerici recedunt, ubi genuflexi parumper orant.

4. Oratione facta, celebrans et pluvialistae assurgunt, et debita reverentia altari renovata, ac choro ab utraque parte salutato, celebrans medius inter assistentes ad scamnum se confert, ubi paulum sedet cooperto capite; et similiter chorales sedent vel non, iuxta consuetudinem (D. 4194[4]). Pluvialistae digniores se sistunt ad eiusdem celebrantis utrumque latus, alii vero in plano chori, facie ad celebrantem conversi.

5. Ad nutum caeremoniarii, celebrans una cum assistentibus caput detegit, surgit, et similiter omnibus choralibus surgentibus, secreto dicit *Pater* et *Ave;* quibus dictis, celebrans cantat *Deus, in adiutorium*, etc., signans se simul cruce, quo tempore ad eius dexteram pluvialis fimbria a primo assistente vel caeremoniario, si absit pluvialista, elevatur.

6. Dum a choro cantatur *Sicut erat*, primus ex assistentibus propius ad celebrantem accedit, atque ante faciem ipsius se sistit, profunde caput ei inclinando; deinde expleto cantu *Alleluia* vel *Laus tibi, Domine,* submissa voce eidem primam antiphonam praeintonat, qua per celebrantem repetita, pluvialistae omnes (exceptis duobus qui a lateribus celebrantis assistunt), facta reverentia ante eum una cum primo, recedunt ad sedilia praeparata.

7. Sive duo, sive quatuor, sive plures dentur assistentes parati, a duobus clericis, iuxta Caerem. episc., cottis vel habitu chorali indutis, psalmos et versiculos intonari praescribitur, qui regulariter in inferioribus subselliis ab utraque parte sedent. Hi, expleto cantu antiphonae a choralibus, procedunt in medium chori, et praemissa altari genuflexione, intonant primum versum psalmi; et iterata altari genuflexione, et inclinatione ad invicem facta, redeunt ad locum suum, suo tempore sedent et caput cooperiunt.

8. Psalmum intonatum prosequitur illa pars chori in qua hebdomadarius adest; omnesque sedent et caput cooperiunt, sedet etiam, si consuetudo habetur, caeremoniarius. Ad *Sicut erat* cantores praedicti surgunt, in medium chori procedunt, genuflectunt ante altare, accedunt ante digniorem de choralibus, et alter ex cantoribus praeintonat eidem secundam antiphonam. Dignior de choro assurgit, et cum ipso saltem tota illa pars

chori. Cantores duo praedicti praeintonant ceteras antiphonas choralibus ab utraque parte chori. Quod si pluvialistae plures sunt quam duo, eorum ultimus loco cantorum praeintonare debet antiphonas; et tunc solus, comitante caeremoniario, accedit ad digniorem de choro (1).

9. Intra quintum psalmum, ceroferarii, salutato celebrante et choro, procedunt ad altare, candelas suas accendunt, et dum repetitur antiphona, coibunt in medium ante altare, genuflectunt simul cum pluvialistis, qui assurgunt quando antiphona post ultimum psalmum repetitur, et omnes ad celebrantem accedunt eumque salutant et assistunt sequenti ordine infra capitulum, faciebus ad invicem conversis:



10. Finita ultima antiphona, celebrans detegit caput, biretum tradit primo pluvialistae, surgit, et cum eo alii in choro assurgunt. Tunc celebrans cantat manibus iunctis capitulum; quo finito, primus pluvialista cum debitis reverentiis, ut supra, praeintonat illi hymnum, quo per celebrantem repetito, praedicti ceroferarii et pluvialistae recedunt (non duo assistentes), praemissis debitis reverentiis, ad loca sua, ubi perstant, donec perficiatur hymnus. Sub finem hymni, thuriferarius redit in sacristiam ad thuribulum deferendum.

11. Circa finem hymni, duo ultimi pluvialistae (2) ad medium chori ante altare accedunt, et genuflectunt ipsi altari, ibique cantant

(1) Antiphonae praeintonandae sunt incipiendo a dignioribus praesentibus in choro, ab utraque parte chori per ordinem.

(2) Si autem duo tantum assistentes parati adsint, tunc versus a duobus cantoribus cantatur, qui et singulos psalmos intonaverunt.

simul versum; quo cantato, cum iisdem reverentiis ad loca sua redeunt.

12. Dum versus iste cantatur, primus assistentium antiphonam celebranti ad *Magnificat* praeintonat, qua per celebrantem repetita, ipse celebrans, et alii omnes in choro sedent.

13. Cum inchoatur canticum *Magnificat*, quod a duobus cantoribus in medio chori intonatur, omnes surgunt et se signant signo crucis. Tum celebrans, detecto capite, procedit in medio duorum pluvialistarum (reverentia choro facta) ante altare, ubi alii pluvialistae ei se coniungunt hinc inde; tum omnes se inclinant ante crucem, vel genuflectunt in infimo gradu, si ss. Sacramentum adest.

14. Mox celebrans cum duobus primis pluvialistis, ascendit ad altare, et solus osculatur illud in medio; reliqui vero pluvialistae ante infimum gradum remanent; interea thuriferarius ad altare ascendit; et celebrans imponit more solito thus in thuribulum, et incensat crucem et altare more solito, interim recitans *Magnificat* alternatim cum pluvialistis. Incensato altari, reddit thuribulum primo assistenti, qui illud thuriferario tradit.

15. Celebrans et duo assistentes ad medium altaris redeunt, et recitato *Gloria Patri*, etc., descendunt simul, sese coniungentes reliquis, et iterum reverentia prius altari, deinde choro facta, celebrans, concomitantibus pluvialistis, ad scamnum revertitur; ubi se sistunt, donec celebrans incensatus fuerit; et facta ei reverentia, ad loca sua redeunt.

16. Primus assistens accipit thuribulum, et incensat celebrantem, ad cuius latus revertitur, post traditionem thuribuli ad ultimum pluvialistam, si quatuor aut sex adsunt, qui dein chorum incensat iuxta consuetum, et ultimo reliquos pluvialistas. Si vero tantum duo pluvialistae assistent, primus, celebrante incensato, tradit thuribulum thuriferario, qui chorum incensat, tum duos pluvialistas, deinde caeremoniarium, ceroferarios et ultimo populum.

Continuabitur.

RECENSIO LIBRORUM

De Boni Pastoris cultu amplificando.

Rev.mus P. Iosephus Antonius a s. Ioanne in Persiceto Ord. Fr. Min. Capuccinorum, in his nostris Ephemeridibus studium suum edidit, de Cultu Boni Pastoris; quod nunc in ampliorem formam redactum vulgari curavit, Romae, typis *Cooperativa Tipografica Manuzio*.

Procul dubio inter antiquiores expressiones externi cultus Christianorum, erga Redemptorem Christum Iesum, illa praeeminet sub imagine boni Pastoris ovem deperditam iuxta evangelium gerentis super humeros, prouti omnes tradunt Archaeologi; imo, testante cl. Wilpert, tres adhuc extant nobis imagines in catacumbis, quae pertinent ad primum saeculum.

Ex hoc cultu antiquissimo movet cl. Auctor, et probat multis argumentis, quod Romana Ecclesia cultum vere liturgicum reddidit Christo sub hoc nomine, et refert ex veteribus liturgiis orationes pulcherrimas, invocationes, antiphonas, versus, et responsoria, quibus explicite Pastor bonus celebratur et invocatur. Agit postea de Statione a s. Gregorio Magno instituta, quae extitit apud s. Petrum satis solemniter celebrata, dominica II post Pascha; item et alia in ecclesia ss. Cosmae et Damiani. In hac dominica adhuc habentur in missa evangelium de bono Pastore, et antiphonae in officio: et cum plurimis Patrum et Doctorum auctoritatibus Rev.mus Pater demonstret cultum erga Bonum Pastorem, vere esse consentaneum fidei, sanae doctrinae, ac fidelium pietati; concludit opellam suam eruditissimam formans votum, ut Episcopi ad s. Sedem postulationes mittant, ad hoc, ut cultus huiusmodi restauretur et amplificetur in Ecclesia.

Scimus iam ipsum cl. Auctorem parasse officium cum missa propria pro novo hoc festo, iuxta bonas traditionis regulas exaratum, et omnia fausta illi ominamur, ut desiderium suum quam primum compleatur.

P. P.

PROPRIETAS LITERARIA

IMPRIMATUR
Fr. ALBERTUS LEPIDI O. P., S. P. A. Magister.
IMPRIMATUR
FRANCISCUS FABERJ, Vicariatus Urbis *Adsessor*.

AUGUSTUS ZUCCONI, Director Domus editricis Desclée et Soc., Romae, *Sponsor*.

Ex Officina Polygraphica Latiali, Fratrum Tempesta, Via Boccaccio, 7 - Roma

Expositio Rubricarum.

COMMENTARIUM

in novissimas Rubricas iuxta Motu proprio SS. D. N. Pii Pp. X " Ab hinc duos annos „ et subsequens S. R. C. Decretum 28 Octobris 1913 emendatas.

(Continuatio. V. num. 4 curr. anni, pagg. 201-213).

4. Dies 2 Novembris, aut subsequens, Commemorationi omnium Fidelium Defunctorum alicubi perpetuo assignata, excludit tum Festa occurrentia, quae non sint Duplicia 1 classis, tum Festa reponenda, cuiusvis ritus (58).

(58) Circa commemorationem Omnium Defunctorum, apertissima est mens legislatoris; die enim 2 novembris, admittitur duplex 1 classis, si occurrat in sua die: item die 3, ubi celebratur eadem Commemoratio, non autem ullum festum quodcumque, licet in sua die occurrat; duplicia enim 2 classis, et maiora vel minora, aut semiduplicia, etiam propriis diebus occurrentia, reponi nequeunt die 2 novembris, nec die 3 in locis, ubi ipsa die 2 celebratur festum aliquod duplex 1 classis.

Opportune ait rubrica, quod die 2, vel 3, ut supra, excludit *festa cuiusvis ritus*, ut excludantur etiam festa ritus simplicis, de quo nil agi potest in commemoratione Oo. Defunctorum.

5. Si intra Octavam aut in ipsa die Octava, perpetuo occurrat Festum aliquod de eadem Persona,

omnia observantur quae de occurrentia accidentali dicta sunt in titulo superiori (59).

(59) Vide supra notam 32. Casus iste accidit semper in locis, ubi Nativitas b. Mariae est Titulus ecclesiae et celebratur cum octava; ibi die 12 septembris, agitur festum ss. Nominis b. V. et fit de festo absque commemoratione octavae, prout antiquae rubricae praescribebant. Aliter vero dicendum est, de octava ss. Nominis Iesu, ubi est Titulus, de qua agenda est commemoratio diebus infra octavam Epiphaniae, iuxta rubricam specialem ipsius festi, quia in hoc ultimo casu, agitur quidem de eadem Persona, non vero de eodem mysterio.

6. Quando Festa universalis Ecclesiae quae cum Octava celebrantur, ob impedimentum perpetuum, in diem proxime sequentem, iuxta Rubricas, sint reponenda, non ideo reponitur eorum dies Octava, quae in universa Ecclesia die sua recoli debet (60). Idem dicendum de die Octava Festi proprii alicuius Nationis, Dioecesis, Ordinis vel Instituti, quod in aliqua particulari Ecclesia alia die sit reponendum. E contra si Festum proprium alicuius Nationis, Dieecesis, Ordinis Instituti, vel particularis Ecclesiae (61), quod cum Octava celebretur, in tota Natione, Dioecesi, Ordine vel Instituto, aut in sua particulari Ecclesia respective impeditum fuerit, ideoque reponatur iuxta Rubricas, reponitur etiam dies Octava, quae celebrabitur octavo die post celebratum Festum, ac si ipsum in die propria recolatur (62).

(60) Rubrica breviarii (tit. x, 1) praescribit: « quando festum habens octavam transfertur; ut non ideo dies octava transferatur, sed ipsa die de ea fiat commemoratio, quae

alias erat octava, si festum non fuisset translatum. Quod si festum post totam suam octavam transferri contigerit, illo anno celebretur sine octava; nisi Titularis ecclesiae privilegio aliter fieri oporteat ».

Ut clare patet ex verbis huiusce rubricae: *illo anno celebretur sine octava,* hic agitur de impedimento accidentali, non vero de perpetuo. Nihilominus nonnulli scriptores hunc locum rubricarum interpretabantur etiam de impedimento perpetuo. A Carpo ex. gr. (P. 2, n. 12) et De Herdt (P. 4, n. 33) docent: « si festum sive accidentaliter, sive perpetuo transferatur post totam suam octavam... celebratur sine octava, nisi speciali privilegio aliter fieri liceat ». Huic doctrinae non parvum pondus praestat decretum 16 sept, 1741, n. 4122 antiquae collectionis, quod tamen expunctum fuit in novissima; imo alia decreta postea data fuere, quae vim conferunt sententiae A Carpo et de Herdt. Decreto 12 iul. 1889, n. 3714 ad 3: quod in locis ubi *perpetuo* festum titularis s. Christophori m. affixum est diei 27 iulii, eo quod dies eius natalitia impediatur a s. Iacobo apostolo patrono nationis, octava eiusdem s. Christophori similiter affigenda est, non die 1, sed 3 augusti; ergo, quando *perpetuo* reponitur festum habens octavam, dies etiam octava celebratur octo post dies, scilicet octava quoque reponitur.

In alio decreto 20 iun. 1899, n. 4034, ad dubium 2: « *Si accidat ut Titulus ecclesiae vel loci Patronus transferri debeant ad aliam diem, quaeritur: Num respective octavam servabunt?* S. Congregatio respondit: *Affirmative, si agatur de translatione perpetua, secus negative.* Nil clarius; ideoque non solum Titulus ecclesiae, quasi ex privilegio, de quo loquitur rubrica paulo infra, sed et Patronus loci, licet celebrentur *perpetuo* extra eorum sedem, alio die assignatam, ius retinent ad octavam perfectam.

Hinc, et imo magis, Dedicatio etiam ecclesiae hoc idem ius habebit; eadem ratio enim militat in casu.

Et sane; si verba citatae rubricae quae dicit: *Octava nunquam transfertur,* intelligi deberent, non de sola transla-

tione *accidentali*, sed de *perpetua* quoque repositione, hoc grave inconveniens obveniret, quod Titulus ecclesiae, et loci Patronus, in casu perpetui impedimenti, nunquam gauderent iure suae octavae, quod a rubrica eis tribuitur. Iustissime ergo S. R. C. quaestionem diremit, et iuribus horum festorum, quae tanta solemnitate celebrantur, opportune providit.

Cum autem verba rubricae breviarii intelligenda sint de translatione accidentali tantum, videndum est nobis quid sibi velit clausula adiecta: *nisi titularis ecclesiae privilegio aliter fieri oporteat*. Doctores communiter aiunt, hic agi de privilegio transferendi octavam, ex. gr. concesso Patribus Minimis pro s. Francisco a Paula (Cf. Guyetum VI, 12, q. 5), et Monachis s. Benedicti pro eorum fundatore (Meratus sect. 3, c. 8). Cum enim occurrant diebus 21 martii et 2 aprilis, respective, frequentissime, imo fere semper, impediuntur, ideoque ad nihilum valeret privilegium octavae, nisi et translatio huiusmodi eis indulgeretur. Videtur ergo quod rubrica breviarii intelligenda sit de privilegio concesso festis per accidens translatis (1).

Hac de quaestione agentes in nostra Expositione rubricarum (Vol. 2, p. 54) ita conclusimus:

---

(1) Guyetus *(ibid.)* dicit etiam: « Observa item non immerito additum hic *nisi Titularis Ecclesiae privilegio* etc. Cum enim, uti ex Baronio alibi retulimus, non quaelibet Ecclesia Titularis proprie appelletur, sed insigniores dumtaxat, puta Cathedrales aliaeque iurisdictionem quasi episcopalem habentes, nonnisi forte de privilegio iis concesso clausula haec intelligenda est; raro enim aliis inferioribus Ecclesiis eiusmodi privilegia conceduntur ».

Sed inanis et inverisimilis interpretatio haec est; quia quidquid sit de vocabulo *Titularis*, in sensu insignioris, vel nobilioris Ecclesiae iuxta Baronium, certo certius in rubrica nullum habet alium sensum, nisi de sancto Titulari, cui Ecclesia dicata est, sit cathedralis, parochialis, vel simplex ecclesiola. Abs re ergo clarissimus Guyetus huius loci rubricarum, non parum obscuri, interpretationem suscipiens, ad sensum Baronii confugit.

« Hoc fortasse usque modo nullus attigit ex scriptoribus; neque Gavantus, Guyetus, Meratus, Cavalerius, De Herdt, A Carpo, ut de minoribus sileamus; nemo enim suspicatus est hanc rubricam: nisi *Titularis ecclesiae privilegio aliter fieri oporteat,* accipiendam esse quasi diceret: si festum habens octavam aliquando a maiori officio accidentaliter impediatur, *illo anno celebratur sine octava,* nisi alicubi *ex privilegio* aliter fieri concessum sit ».

« Hic est verus et unicus sensus huius loci rubricarum, nec alius esse potest, si contextus diligenter perpendatur. Siquidem, sub hac rubrica non cadit impedimentum *perpetuum,* ut diximus, sed tantum *accidentale,* dicit enim *illo anno* celebratur sine octava; et recte, quia in casu impedimenti perpetui Titulus ecclesiae ex alia rubrica (*Tit. VI, n. 1*) quacumque die celebretur, natalitia vel assignata, ius habet ad octavam, quod illi non aufert haec rubrica, neque implicite, neque explicite ».

Parma, ex. gr. Patronum suum principalem colit a saeculis s. Hilarium ep. et doctorem, cuius natalis dies est 13 ianuarii. Antiquitus, teste P. Bordono (*De Episcopis s. Parmensis ecclesiae, p. 12*) ea die sua celebrabatur, at, post breviarii romani impositionem a s. Pio v praescriptam, cum dies octava Epiphaniae, in qua recolitur Baptisma Domini nostri, tali solemnitate ubique celebranda sit, ut excludat quoque duplicia primae classis, in crastino cum feriatione agitur, ac proinde octava eius die 21. Quod factum est, non *ex privilegio,* sed ex natura rei, in obsequium rubricae, quae statuit festum Patroni principalis cum octava celebrari.

Quapropter, procul dubio nobis videtur, quod non tantum Titularis ecclesiae, vel Dedicatio, vel loci Patronus, sed quodcumque aliud festum, habens octavam, et *perpetuo* sua die impeditum, celebrari debeat in die sibi assignata, cum integra sua octava.

Quod hic dicimus ratiocinando, liquido profluit ex spiritu tam rubricarum, quam citati S. R. C. decreti n. 4034; alioquin, quid valeret, ut diximus, ius ad octavam, si

in facto numquam eo uti posset festum perpetuo sua die impeditum?

Attamen quae hucusque disseruimus, videntur obstare legi, quae habetur in hac rubrica 6, quam hic exponendam suscipimus: in ea enim legimus: *Quando festa universalis ecclesiae, quae cum octava celebrantur, ob impedimentum perpetuum, in diem proxime sequentem, iuxta rubricas, sint reponenda, non ideo reponitur eorum dies octava, quae in universa ecclesia sua die recoli debet.* Quia expresse agitur de impedimento *perpetuo,* et tamen dicitur *non esse transferendam diem octavam* in casu; nova lex ista contradicere videtur nostrae doctrinae supra expositae.

Nihilominus si res attente consideramus, nullam exhibet oppositionem nova lex ista, nostrae sententiae, imo, ut videbimus, apprime eam confirmat.

Siquidem, hic agitur de festo universalis ecclesiae, quod aliquo in loco impediatur a festo locali nobiliori; vult ergo ecclesia, ut per totum orbem dies octava concelebretur ab omnibus, quia, ait lex nova: *in universa ecclesia sua die recoli debet.* Exemplum rem magnifice explicabit.

In ecclesia s. Hadriano m. dicata, agitur eius festum sua die 8 septembris, et officium Nativitatis b. Mariae recitatur sequenti die 9. Si bene attendatur, festivitas Nativitatis, scilicet praeceptum audiendi sacrum, et abstinendi ab operibus servilibus, in sua die fixa manebat, quando cum feriatione recolebatur, etiam in ecclesia s. Hadriani; ergo ibi die 9 non *festum* Nativitatis, sed tantummodo *officium* reponitur. Cum autem octava sequatur *festum,* non vero *officium,* si Nativitatis octava agenda fuisset in praedicta ecclesia, non die sua 15 septembris, sed die 16; non *octava* diei *festi,* sed *nona* evasisset, ut patet.

Hac de causa, restringere debemus ea, quae ad rem scripsimus in nostra Expositione rubricarum (*loco citato*), ita ut sententia, quam ibi sustinuimus, valeat quidem quando perpetuo reponitur *officium et festum,* non vero quando reponitur tantum *officium.*

Ut autem dignoscatur quando *festum et officium* reponitur, et quando solummodo *officium*, novae rubricae, quas hic exponimus, implicite exhibent; agunt enim de festo, vel ecclesiae universalis, vel totius dioecesis vel Ordinis, quod revera in sua die manet, quoad *festum*, sed die sequenti *officium* eius celebratur. Exemplum rem melius explicabit: in pago, quem vocant Lugagnano placentinae meae dioecesis, ecclesia parochialis dicata est s. Zenoni episcopo, et quando festum Immaculatae Conceptionis agebatur sub ritu 2 classis, dicto in loco fiebat de sancto Titulari die sua 8 decembris, et officium Immaculatae agebatur die 9, cum octava sua commemorata die 15 in qua occurrebat octava ipsius Titularis, prout nova lex praescribit.

Postquam vero Leo xiij (an. 1883) solemnitatem Immaculatae elevavit ad ritum 1 classis, in pago Lugagnani coeptum est celebrari festum s. Zenonis Titularis die 9. Cum autem, non tantum *officium*, sed etiam *festum*, eo in loco recolatur ea die, necessario dies eius octavus pariter sequenti die repositus fuit, nempe die 16: in casu enim non agebatur de simplici translatione, seu repositione, sed de vera *mutatione* festi.

Exemplum hocce rem apprime illustrat, ita ut quotiescumque ego in mea ecclesia repono tantummodo *officium* alicuius festi, quod pertinet ad totam Ecclesiam, vel ad totam meam dioecesim, tunc eius diem octavum non repono in sequentem diem, sed, simul *cum tota ecclesia*, vel *cum tota dioecesi* octavam, sua die servatam, concelebro per simplicem commemorationem, ut patet, in officio diei octavi sancti mei Titularis; quod si e converso *festum* universalis ecclesiae, vel dioecesis, in sua die maneat affixum, et ego in meo calendario alia die repono, seu muto, festum meae ecclesiae, tunc procul dubio, cum die mutata mei festi, mutabo etiam diem octavum, ut octava eius sit integra et perfecta.

(61) *E contra si festum proprium alicuius nationis, dioecesis* etc. Quae hic diximus de die octava festi universalis

ecclesiae, dicendum est etiam de festo alicuius dioecesis, vel Ordinis, quod cum octava celebretur, quando eodem die occurrat aliquo in loco ipsius dioecesis (vel in aliqua ecclesia eiusdem Ordinis), festum nobilius cum octava.

Ex. gr. per totam dioecesim agitur festum s. Sabini episcopi die 17 ianuarii, ritu duplici I classis cum octava. Quia vero nonnullae habentur in eadem dioecesi ecclesiae s. Antonio ab. dicatae, iis in ecclesiis agi debet de s. Sabino die sequenti 18, et die 24 in die octava s. Antonii titularis, agenda est commemoratio diei octavae s. Sabini.

(62) Dies octava transferri nequit a sua die, etiam quando quodcumque festum habens octavam, accidentaliter impediatur. Vide quae in praecedenti nota docuimus, et apprime cohaerent cum antiqua rubrica breviarii.

Tit. VI - De concurrentia Festorum.

1. Dominicae maiores habent Vesperas integras in concurrentia cum quovis Festo quod non sit Duplex I aut II classis; ideoque in I Vesperis sumunt Antiphonas cum Psalmis de Sabbato, in Adventu tamen Antiphonas de propriis Laudibus cum iisdem Psalmis de Sabbato.

2. Dominicae minores cedunt Vesperas Duplicibus I aut II classis, et omnibus Festis Domini, non vero diebus Octavis item Domini, quae non sint privilegiatae: integras autem habent Vesperas in concursu cum aliis Festis et Officiis, sumptis in I Vesperis Antiphonis et Psalmis de Sabbato, aut, infra Octavas privilegiatas, de Octava currenti (63). Et similiter Festa Domini, etiam secundaria, in Dominica occurrentia, et Vigilia Epiphaniae, integras habent Vesperas in concursu cum Duplicibus maioribus et minoribus, quae non sint Domini (64).

(63) Circa praeferentiam vesperarum dominicae cuiuscumque sive maioris sive minoris, in concursu cum duplicibus maioribus et minoribus, vide Commentarium nostrum in bullam « Divino afflatu » (nota 52). Notandum tamen est, quod ex hac rubrica ad normam Motu Proprii « Adhinc duos annos » ablata fuere verba, quae concedebant praeferentiam super vesperas dominicae minoris, diei octavo festorum Domini. Cum enim in novissimis istis dispositionibus, dies octavus festorum Domini, non amplius habeat praelationem in occursu cum Dominica, ita nec in concursu; quam ob rem in hac rubrica inserta sunt verba: « non vero diebus octavis item Domini, quae non sint privilegiatae »; eo quod concurrente dominica, ex. gr. infra octavam Epiphaniae, cum die octavo eiusdem solemnitatis, vesperae integrae fiunt de ipso die octavo, cum commemoratione dominicae. Siquidem, licet dominicae infra octavas privilegiatas, nempe Nativitatis, Epiphaniae, Ascensionis et Corporis Christi, sint minores, nihilominus, sicut accipiunt ex octava decurrente antiphonas et psalmos in ceteris horis, ita et in vesperis.

(64) *Et similiter Festa Domini, etiam secundaria, in Dominica occurrentia, et in Vigilia Epiphaniae, integras habent Vesperas, in concursu cum Duplicibus maioribus et minoribus, quae non sint Domini.* Ratio huiusce dispositionis pendet ex decreto S. R. C. d. d. 9 februarii 1912, n. iv, in quo positum est, tamquam principium, quod officium festorum Domini (sint haec primaria vel secundaria, hoc non interest), in die dominica occurrentium, *subrogatur officio Dominicae;* aliis verbis, loco officii communis dominicalis, ut in psalterio et in Proprio de Tempore, recitatur in casu officium magis proprium, de occurrente festo Domini. Et est notandum, quod huiusmodi regula pulcherrima, valet etiam, quando agitur de aliquo festo Domini secundario, ut hic indicat rubrica.

Ut dispositio ista melius intelligatur, proponimus casum. Die 23 octobris festum Ss. Redemptoris *(dupl. mai. secun-*

darium), et die 24, festum s. Raphaelis Arch. *(dupl. mai. primarium)*, ideo vesperae sunt de sequenti s. Raphaele, cum commemoratione praecedentis Ss. Redemptoris. Quando vero dies 23 octobris est dominica, iuxta novas rubricas, (tit. IV, n. 2) officium agitur de Ss. Redemptore, cum commemoratione dominicae. Secundae porro vesperae, *licet sequens officium sit primarium*, fiunt de ipso Ss. Redemptoris, cum commemoratione dominicae, et sequentis s. Raphaelis, quia, ut dicit citatum decretum, officium Ss. Redemptoris subrogatur officio dominicae.

Quod hic disponitur pro ceteris officiis dominicalibus, applicatur a rubrica etiam officio vigiliae Epiphaniae. Cum enim huiusmodi officium, ut pluries dictum est, non sit nisi officium dominicae, quae occurrere potest a die 1 ad diem 6 ianuarii, iura omnia ei tribuuntur, quae pertinent ad officium dominicale.

3. Leges peculiares quibus ordinantur Vesperae infra Octavam Nativitatis Domini habentur suo loco in propriis Rubricis (65).

(65) Verba huius rubricae parumper mutata fuerunt; loco enim verborum « leges... immutatae manent », posita sunt: « habentur in suo loco in propriis rubricis », nempe, in breviario suis locis clare dicitur, quomodo sint ordinandae vesperae infra octavam Nativitatis.

Et sane, nunc non amplius habentur octavae ss. Stephani, Ioannis ev. et Innocentium; item dominica infra octavam tam in occurrentia, quam in concurrentia, nunc habet leges suas in breviario typico mutatas; haec porro rubrica remittit ad rubricas speciales eiusdem octavae, quae nonnulla habet propria, verbi gratia legem praemittendi in quolibet festo occurrenti antiphonas et psalmos de ij vesperis Nativitatis.

4. Quando duo Officia eiusdem Personae simul concurrant, si ea sint diversi ritus aut nobilitatis, fit

totum de nobiliori, omissa, nisi agatur de mysteriis Domini diversis, Commemoratione alterius; in paritate autem ritus et nobilitatis fit totum de praecedenti, omissa vel addita Commemoratione sequentis ut supra (66). Attamen in die Octava Corporis Christi, II Vesperae sunt de ipsa Octava, sine Commemoratione sequentis Festi sacratissimi Cordis Iesu (67).

(66) Eodem ex principio exposito supra (nota 51), quando agitur de duobus festis eiusdem Personae, simul concurrentibus in vesperis, omnia fiunt, ex regula generali, de festo nobiliori, sine commemoratione alterius, idem dicatur de concurrentia festi cum die octavo vel infra octavam in honorem eiusdem personae. Quod si officia concurrentia pertineant ad Personam venerandam D. N. I. C., et mysteria vitae eiusdem, in ipsis festis memorata, sint diversa, puta Transfigurationis et Passionis, tunc fiunt vesperae de nobiliori festo, cum commemoratione alterius, ut supra; si vero mysteria non sint diversa, puta festum Pretiosissimi Sanguinis et festum Plagarum, tunc vesperae aguntur de nobiliori sine commemoratione alterius.

Quod si duorum festorum concurrentium idem sit ritus et nobilitas, scilicet, si omnia sint paria in criteriis praeferentiae, de quibus supra (nota 39), tunc, praescribit rubrica ista, quod fieri debeant vesperae integrae de praecedenti, sine commemoratione sequentis. Principium istud inductum est in liturgia a S. R. C. per suum decretum 11 aprilis 1840, n. 2802 ad 5, in quo ad dubium: « Dum duo officia Passionis concurrunt, utrum vesperae debeant fieri de primo vel de secundo »; respondit: « Nihil de sequenti; dummodo non fuerit potioris ritus, tunc enim nihil de primo ». Non parvam admirationem inducit huiusmodi praescriptio, notum est enim, quod primae vesperae semper consideratae fuere nobiliores quam secundae; ideoque, concurrentibus duobus festis eiusdem Personae, eiusdemque ritus et nobilitatis,

fieri deberent primae vesperae sequentis, sine commemoratione praecedentis. Forsitan, magister coeremoniarum qui, uti tunc solitum erat, quando nondum penes Congregationem Rituum habebatur Commissio liturgica, votum suum dedit pro solutione propositae quaestionis, festa concurrentia in casu consideravit sub eodem respectu, ac si ageretur de duobus diebus infra aliquam octavam, aut de duobus ferialibus officiis. Sicut enim, ratiocinari debuit consultor, duobus concurrentibus diebus infra octavam, omnia fiunt de die praecedenti, ac nil de sequenti, ita fieri debet in casu concurrentiae duorum festorum eiusdem ritus, nobilitatatisque, ad eamdem Personam pertinentium.

Si quaestio ista denuo esset agitanda, forsan bonis ex argumentis, oppositam solutionem haberet, exemplum enim duarum feriarum, et duorum dierum infra octavam, non facit ad rem; nam ad ferias quod attinet, omnes sciunt, officium feriale incipi ad Matutinum, et ad vesperas finiri, ita ut concipi nequeant primae vesperae ferialis officii; quod vero pertinet ad dies infra octavam, licet revera, uti probavimus, et novissimae rubricae admiserunt, ius habeant ad utrasque vesperas, nihilominus hae aguntur de praecedenti, non de sequenti, quia agitur de eodem prorsus officio, et non solum de eadem Persona, ideoque praesertim quando habeantur antiphonae ad *Magnificat* propriae pro singulis diebus, summopere congruit, quod fiant vesperae potius de praecedenti die quam de sequenti; ceterum nil in casu deperdit, neque Persona celebrata, neque eius officium,

Attamen, nostro iudicio, aliter res se habet, quando concurrunt duo festa, eiusdem nobilitatis ad eamdem Personam pertinentia; tunc enim non agitur de eodem officio, sed tantum de eadem Persona; et sicut, si diversus esset ritus festorum in casu, et festum sequens nobilius esset, integras haberet vesperas, ita integrae esse deberent in aequalitate ritus; tunc enim, cum omnia sint paria, prae oculis est habenda. parva, sed non spernenda, differentia, nempe maior solemnitas quam habent primae vesperae sequentis, quam secundae praecedentis.

Nihilominus principium a citato S. R. C. decreto n. 2802 acceptum, in praxim est procul dubio deducendum, eo magis quod in novissimis hisce rubricis inductum solemniter fuerit.

(67) *Attamen in die octava Corporis Christi II vesperae sunt de ipsa octava, sine commemoratione sequentis festi sacratissimi Cordis Iesu.* Haec est unica exceptio in toto breviario, contra legem supra expositam. Quia festum s. Cordis ex decreto Leonis xiij d. d. 28 iunii 1889, n. 3712, celebratur in universa ecclesia sub ritu duplici 1 classis, procul dubio agendae essent vesperae integrae de eodem festo, prout fieri mandabant speciales rubricae pro locis in quibus iam festum ipsum sub ritu classico colebatur. Quum vero in decreto ipso aperte praecipiatur: « In concurrentia festi S. Cordis Iesu cum die octava Corporis Christi, vesperae integrae fiant de eadem octava, sine ulla commemoratione, « et additur ratio huiusce exceptionis: *attenta peculiari indole utriusque festi* », dicendum est, quod festa huiusmodi sint revera eiusdem Personae et eiusdem mysterii, et licet festum agatur sub ritu classico, nihilominus, *attenta peculari indole,* visum est potius ut fierent vesperae de octava Corporis Christi, forsan quia in eius honore fiunt processiones, fere ubique, etiam in die octavo post vesperas.

Tit. VII. - De Commemorationibus.

1. In Duplicibus I classis fit Commemoratio de Officio praecedentis diei tantum si illud fuerit aut Dominica quaevis (68), praeterquam in I Vesperis Nativitatis et Epiphaniae (69), aut Octava privilegiata, aut Duplex I vel II classis, aut Feria Adventus et Quadragesimae, etiam si, a nobiliore Officio impeditum, sua die solam habuerit Commemorationem (70). In occurrentia fit Commemaratio de Dominica qua-

cumque, etiam anticipata, de Octava privilegiata, de Vigilia Epiphaniae, et de Feria maiori (71); necnon, extra Festa primaria Domini I classis Ecclesiae universalis, de quolibet Duplici sive maiori sive minori aut Semiduplici, de quibus tamen fit tantum in Laudibus (72). De sequenti autem Officio, etiam impedito ut supra, fit semper Commemoratio, praeterquam de die infra Octavam non privilegiatam, et de Officio Simplici (73).

(68) *In duplicibus I classis fit commemoratio de officio praecedentis diei tantum, si illud fuerit aut dominica quaevis......* Nova est prorsus ista praescriptio, nam in antiquis rubricis de praecedenti dominica nil agebatur in primis vesperis duplicis I classis, nisi esset dominica maior. Ratio huius novae praescriptionis fuit, ut commemoratio dominicae aequiparetur commemorationi de feriis maioribus; etenim, ob restitutum a summo Pontifice antiquum honorem dominicae, commemoratio eius in primis vesperis sequentis duplicis I et 2 classis denegata non fuit. Hac super re concordant rubricae breviarii ambrosiani (Par. 7) et breviarii carmelitarum antiquae observantiae (Rubr. 12, 16).

Forsan alicui non conveniens apparebit dispositio huius rubricae, quae concedit commemorationem dominicae in primis vesperis duplicis I classis, et illam negat festo Domini, quod non sit saltem 2 classis; sic enim argumentari quis potest: festum Domini quodcumque, etiam ritus duplicis maioris, si occurrat in dominica, fit de eo cum dominicae commemoratione; ergo, si primae vesperae duplicis I classis admittunt commemorationem praecedentis dominicae, quae minoris est dignitatis, quam festum Domini, eo magis huius festi admittenda erit commemoratio. Attamen, considerandum est, quod de feriis Quadragesimae quoque et Adventus fit commemoratio in primis vesperis duplicis I classis, et tamen omittitur de duplici et semiduplici praecedenti; cum

autem ad effectum numquam omittendi commemorationem, dominicae aequiparatae fuerint feriis maioribus, nulla discrepantia in rubricis novis existit.

(69) *Praeterquam in 1 vesperis Nativitatis et Epiphaniae.* Excipiuntur hae duae dominicae, eo quod per speciales rubricas huiusmodi solemnitatum, de praecedenti dominica fieri non debet commemoratio. Et sane, in 1 vesperis Nativitatis, si ageretur commemoratio praecedentis dominicae, haec esset dominica iv Adventus, sed indoles officii Adventus est de expectatione Domini, quae male convenit cum officio Nativitatis, in qua canitur natus Iesus. Quod autem attinet dominicam, quae concurrere potest cum 1 vesperis Epiphaniae, notum est, quod deficit officium huiusmodi dominicae, quia positum est in vigilia, cum autem numquam fieri possit commemoratio vigiliae, in 1 vesperis festivitatis, ideo rubricae antiquae et novissimae excludunt omnino dominicae commemorationem in 1 vesperis tam Nativitatis quam Epiphaniae.

(70) *...aut Octava privilegiata, aut duplex 1 vel 2 classis, aut feria Adventus et Quadragesimae, etiamsi, a nobiliori officio impeditum, sua die habuerit solam commemorationem.* Nil reipsa novi habetur in hac rubrica, solummodo explicite declaratur, quod de octava privilegiata, de duplici 1 vel 2 classis, et de feria Adventus et Quadragesimae, agenda est commemoratio in 1 vesperis duplicium 1 classis, licet revera non *concurrant,* quando in praecedenti die non habuerint officium, sed tantummodo commemorationem.

(71) *In occurrentia fit commemoratio de dominica quacumque, etiam anticipata.* De dominica occurrenti semper in duplicibus 1 classis facta est commemoratio, exceptis festivitatibus Nativitatis et Epiphaniae, in quibus de occurrenti dominica nulla fit commemoratio, iuxta antiquas rubricas, quae nunc quoque hac in re, servari debent.

Hoc tamen loco nunc addita sunt verba *etiam anticipata,* nam officio dominicali, etiam quando anticipari debeat, omnia iura recognoscunt novissimae rubricae, quibus gaudet domi-

nica in propria die occurrens, ideoque optime et opportune verba ista addita fuere.

Procul dubio, etiam de dominica posticipata, agenda est commemoratio in duplicibus I classis, quando diebus 29, 30 et 31 decembris occurrant, et aliis diebus de dominica infra octavam Nativitatis fieri non potuerit. Idem dicendum de dominica infra octavam Epiphaniae, quando festum, vel dies octava, in dominica incidunt.

(72) *...de octava privilegiata de vigilia Epiphaniae et de feria maiori, nec non, extra festa primaria Domini I classis Ecclesiae universalis, de quolibet duplici sive maiori sive minori aut semiduplici, de quibus tamen fit tantum in laudibus.* De octava privilegiata, de vigilia Epiphaniae et de feria maiori, nil nobis est dicendum, cum eadem sit dispositio antiquae rubricae; nova tamen est praescriptio de commemoratione duplicis et semiduplicis occurrentis, quae nunc transferri aut reponi nequeunt. De huiusmodi commemoratione in Laudibus et missa lecta, vide notam 53.

(73) *De sequenti autem officio, etc....* Leges concurrentiae in secundis vesperis duplicis I classis mutatae non fuerunt, ideoque, sicut antea, de sequenti officio, etiam impedito, uti esset duplex maius vel minus, aut semiduplex in crastino commemorandum, fit semper commemoratio. Excipiuntur dies infra octavam, et festa simplicia, ideoque etiam octava simplex, de quibus nihil fit.

2. In Duplicibus II classis de Officio praecedentis diei, etiam a nobiliori impedito, ut numero superiori dictum est, semper fit Commemoratio, praeterquam de Festo semiduplici, de die infra Octavam non privilegiatam, de Feria quae non sit Adventus et Quadragesimae; et in Festo Circumcisionis, etiam de Dominica et de Duplici maiori aut minori. In occurrentia fit Commemoratio de Dominica minori, etiam anticipata, de Vigilia Epiphaniae, de quolibet Duplici vel

Semiduplici, de die infra Octavam privilegiatam, de Feria maiori, de Vigilia communi et de Simplici, de quo tamen non fit in I Vesperis (74). De sequenti autem Officio, etiam impedito ut supra, fit semper Commemoratio, praeterquam de die infra Octavam non privilegiatam, et de Officio Simplici (75).

(74) In duplici 2 classis fiunt procul dubio omnes commemorationes tam in occurrentia, quam in concurrentia, quae admittuntur in duplicibus 1 classis, insuper in 1 vesperis fit etiam commemoratio praecedentis duplicis maioris vel minoris, non vero de semiduplici neque de octava communi.

Hac de re, nulla mutatio inducta hic fuit: idem dicendum de exceptione in 1 vesperis Circumcisionis, in quibus de praecedenti dominica, et de praecedenti duplici maiori vel minori non agitur commemoratio.

(75) *De sequenti autem officio, etiam impedito ut supra, fit commemoratio, praeterquam de die infra octavam non privilegiatam, et de officio simplici.* Nova est huiusmodi dispositio circa omissionem commemorationis sequentis diei infra octavam. Antiquae enim rubricae admittebant commemorationem de die infra octavam, de quo cras agendum esset officium in 2 vesperis duplicis 2 classis. De hac nova exclusione rationem exhibebit clarissimus P. Paschalis Brugnani in suo opusculo circa novas rubricas et novum ordinem Psalterii.

3. In Officio Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum nulla fit Commemoratio cuiuscumque Festi vel Officii occurrentis, quod proinde, si transferri nequeat iuxta Rubricas, penitus omittitur (76).

(76) Vide quae disseruimus circa novum officium in Commemoratione Omnium Defunctorum in fine nostri Commentarii in bullam (sub n. viij, ix et x). Procul dubio in

officio defunctorum nulla fieri potest commemoratio alicuius sancti; quia. iuxta sensum Ecclesiae, iungi non licet cantica festiva pro sanctis, cum precibus luctuosis pro mortuis; ideoque, sicut non fit commemoratio de octava Oo. Sanctorum, ita neque de sancto occurrenti, si alicubi die 2 novembris habeatur.

Explicanda tamen est conclusio huiusce rubricae: nulla fit commemoratio officii occurrentis, *quod proinde si transferri nequeat iuxta rubricas, penitus omittitur*. Quid sibi volunt verba: *si transferri nequeat?* Iuxta novissimas rubricas, non amplius transferuntur duplicia maiora et minora ac semiduplicia, etiam in occurrentia perpetua; transferuntur tantummodo duplicia classica; ergo si alicubi die 2 novembris occurrat aliquod festum duplex maius vel minus aut semiduplex, prorsus esset omittendum. Notandum vero est, quod si, ex. gr. ego in mea ecclesia haberem reliquiam insignem s. Iusti martyris Tergestini, cuius natalis dies est 2 novembris, iuxta rubricam 1, tit. V (vide notam 55) festum eius die sequenti celebrare deberem; agitur enim *de mutatione festi*, et non tantummodo *de repositione officii*.

Haec tamen rubrica posita fuit pro occurrentia, quae alicubi dari potest, si die 3 novembris aliquod festum celebretur sub ritu duplici minori vel maiori, aut semiduplici, iis enim in locis, quando Commemoratio Oo. Fidelium defunctorum contigit die 3, eo anno de eodem festo nil fieri debet; quod si esset duplex 2 classis, tunc iuxta rubricas, transferri deberet.

4. Pro Commemoratione sequentis diei infra Octavam, etiam privilegiatam, quando sit facienda, sumuntur Antiphona et Versus e I Vesperis Festi, nisi habeantur propria per singulos dies infra Octavam, aut specialiter per totam Octavam assignata, aut denique nisi extra diem festum sint incongrua (77).

(77) Circa quaestionem sumendi antiphonam et ex I vesperis pro commemoratione sequentis diei infra octa-

vam, vide notam 54 Commentarii nostri in bullam « Divino afflatu » ubi probavimus, contra Gavantum, et alios asseclas eius, sententiam clarissimi Guyeti, qui iam suo tempore docebat (Heortol. IV, 6, q, 7 et 13, q. 6) diem infra octavam ius habere ad utrasque vesperas, prout habent alia officia semiduplicia.

Nihilominus usque adhuc sententia Gavanti accepta fuit a scriptoribus, eo quod et rubricae speciales aliquae illi favebant, ut est rubrica quae legebatur die 15 decembris, quando dies octava Conceptionis Immaculatae occurrit in dominica iij Adventus.

Nunc vero, post S. R. C. decretum *in Atrebaten.* d. d. 5 iunii 1908, aliter sentiendum est: nam in eo praescribitur quod, de die infra octavam, cuius agitur officium in crastino, agenda sit commemoratio, sumendo antiphonam et versum *ex primis vesperis,* et addit rationem, dicens: *quia habetur concursns.*

Quapropter nunc sententia Gavanti omnino deserenda est, et sequenda sententia Guyeti, quam nos ipsi in *Ephemeridibus Liturgicis* (an. 1893, p. 562; 1895, p. 75; 1904, p. 20) novis rationibus defendimus ac propugnavimus; ergo post huiusmodi S. R. C. decretum, et nunc post clarissimam hanc rubricam, revera dicendum est, quod dies infra octavas, sunt quidem officia semiduplicia cum omnibus iuribus ad ritum semiduplicem spectantibus.

Merito ergo hic praescribitur, ut de sequenti die infra octavam fieri debeat commemoratio per antiphonam et versum e primis vesperis festi: sicut fit in primis vesperis diei octavi, quia sunt revera primae vesperae sequentis diei infra octavam.

Notandum est tamen, quod non semper sumenda erit antiphona ex 1 vesperis festi; ut hic advertit rubrica, nam, ex. gr. diebus infra octavas illas, quae ad *Magnificat* habent quotidie antiphonas proprias, ut in octava Epiphaniae; similiter in secundis vesperis Visitationis b. Mariae commemoratio octavae apostolorum Petri et Pauli, non est

desumenda ex primis vesperis festi antiphona: *Tu es Petrus,* sed illa retinenda, quae notatur in breviario, scilicet: *Petrus Apostolus et Paulus doctor gentium, etc.;* quia in die festo officium est totum de s. Petro, excepta oratione communi cum s. Paulo, infra tamen octavam officium est de utroque apostolo, ideoque non est varianda antiphona in casu.

Item neque sumi debet ex primis vesperis, quando antiphona incongrua esset, ideoque, ex. gr. quando die 30 decembris fit officium de octava Nativitatis, in secundis vesperis s. Thomae sumi nequit antiphona *Cum ortus fuerit sol,* et versus *Crastina die,* ex primis vesperis, ut patet, ne dicatur adhuc adventurus, qui iam est natus, sed eo in casu, retinenda erit antiphona: *Hodie Christus,* cum ℣. *Notum fecit etc.*

Dr. P. Piacenza.

(Continuabitur).

Archaeologia Liturgica.

De Stationibus in Ecclesia SS. Cosmae et Damiani.

(Continuatio. Vide num. 5 curr. anni, pagg. 277-278).

§ II. — *Quae fuerint Stationes in Ecclesia SS. Cosmae et Damiani celebratae, et quando incoeperint.*

In praenotatis monumentis quatuor stationes Ecclesiae SS. Cosmae et Damiani assignatas reperimus.

Prima ponitur in Dominica, quae eorumdem Sanctorum Festum, diei vigesimae septimae Septembris inscriptum, praecedit (1). *Altera* in Feria quinta post tertiam Dominicam Quadragesimae (2). *Tertia* in Dominica secunda post Pascha (3); et *Quarta* in Vesperis Dominicae in Albis (4). Pauca de singulis.

Prima habenda est omnium antiquissima, et in *Capitulari Wirceburgensi* dumtaxat indicatur. Cl. G. Morin, O. S. B., eiusdem *Capitularis* editor et illustrator hoc modo expressam nobis exhibet: « *Hebdomada II post natale S. Cypriani: Die Dominica ad SS. Cosmam et Damianum ante natale eorum* » (5).

Variis ex capitibus argui potest huius stationis antiquitas: *a*) Ex ipso codice, cuius antiquitatem eius eruditus Editor talem asserit, ut nullus alius codex ei comparari

(1) *Revue Bénédictine*, a. 1911, pag. 315.
(2) Tomasi-Vezzosi, *Opera omnia*, T. V, pag. 450.
(3) *Revue Bénédictine*, l. c. pag. 305.
(4) Mabillonius, *Musaeum Italicum*, T. II, pag. 145, *Ordo Rom.* XI, n. 54. — Tomasi-Vezzosi opera omnia T. II, pag. 470.
(5) *Revue Bénédictine*, a. 1911, pag. 315.

possit (1). *b*) Ex singularitate indicationis, cum haec statio in nullo alio codice indicata inveniatur, praesumendum est, tempore quo alii codices confecti sunt, praesentem stationem exoluisse aut in aliam diem migrasse. *c*) Ex nomine *hebdomadae*, Dominicae praemisso; divisio enim anni ecclesiastici, in varias hebdomadarum series, propria est antiquiorum temporum, quae divisio etiam invenitur adhibita in illis vetustissimis libris qui veniunt sub nomine « *Comes* » (2). *d*) Ex stationis scopo seu obiecto formali, quod aliud esse non potest nisi commemoratio anniversaria diei Dedicationis; sed de hoc infra uberius agemus.

Cum hac statione procul dubio illa iungenda est quae in die eorundem Sanctorum natali celebratur. Quamvis ista in praefatis monumentis expresse indicata non inveniatur, compertum tamen est apud omnes, non alio modo eo tempore natale SS. Martyrum celebrari consuevisse.

Imo praesumi potest stationem, quam reperimus in Dominica eorum Sanctorum natale praecedenti assignatam, in ipsum diem festum saltem per breve tempus translatam fuisse, eiusque explicatam indicationem deinceps omissam, eo quod in natali SS. Martyrum notum iam erat omnibus, iuxta consuetudinem, stationem super eorum sepulcrum habendam fore (3).

---

(1) Cfr. varia quae erudite disserit cl. Codicis Editor de huius Evangeliarii antiquitate. *Revue Bénédictine*, a. 1910, pag. 41 et ss., et etiam ibi a. 1893 pag. 116.

(2) De libri « Comes » antiquitate, cfr. ibi, a. 1893, pag. 116.

(3) Ita his de rebus egregie disserit MABILLONIUS: « Cum notissimae essent sanctorum festivitates et memoriae, non erat necessarium harum stationum diem et locum assignare in Sacramentariis, in quibus quaecumque propriae sanctorum Missae habebantur, publicas olim stationes exigebant. At vero stationes aliorum dierum, puta Quadragesimae, quatuor temporum, Adventus, Natalis Domini, Paschatis, et similium, cum incertae essent, eas designari oportebat, ne qua oriretur dubitatio, ad quamnam ecclesiam esset procedendum ad publicam stationem. Unde Gregorius eas certis diebus in suo Sacramentario addixit, ut a cunctis cognosci possent ». *Musaeum Italicum*, T. II, pag. XXXII.

Secunda statio ad SS. Cosmam et Damianum, sola est quae adhuc in ea Ecclesia perseverat, et, uti diximus, feriae quintae post tertiam Dominicam Quadragesimae assignata. De eius origine certas has notitias habemus: S. Gregorius II, uti legitur in *libro Pontificali,* « Quadragesimali tempore in quinta feria, ieiunium atque Missarum celebritas fieret in Ecclesiis, quod non agebatur, instituit » (1).

Walfridus Strabo de feriis quintis in Quadragesima et per annum, sequentia, quae noscere interest, habet: « Quia Melchiades, tricesimus tertius ordine Romae praesulatus agens, statuit ut nulla ratione Dominico aut quinta feria ieiunium quis fidelium ageret: pagani enim his diebus quasi ieiunia frequentabant: ideo beatus Gregorius supradictus in dispositione officiorum anni infra Quadragesimam, quintam feriam vacantem dimisit, ut quia festiva erat veluti Dominica, etiam officio diei Dominicae celebris haberetur. Quae quinta feria, quoniam postmodum cepit ut ceterae ieiuniis applicari, Gregorius Iunior statuit eam Missis et orationibus esse solemnem, et undequaque colligens, eiusdem diei augmentavit officia » (2).

Praesens itaque statio inter eas recensenda est, uti omnes affirmant, quas S. Gregorius II instituit, ac propterea eius origo annis 715–730 ponenda est. Celebrior et suo tempore solemnior fuit procul dubio *tertia* statio, quae Dominica secunda post Pascha habebatur.

Tria *Capitularia Evangeliorum,* quae superius antiquitate et auctoritate ceteris eminere diximus, in hac, de qua loquimur, statione indicanda, consentiunt. Eis omnino communis est expressio: *Hebdomada II... ad SS. Cosmam et Damianum.* In hoc tantummodo differunt quod Wirceburgense post verba *Hebd. II,* addit: *post Pascha* et Tomasianum

(1) *Liber Pontificalis* ed. MIGNE *P. L.* 128, 978, n. 182, lin. 16–17.

(2) MIGNE, *P. L.* et 128, 1016, ubi reperies quae de his feriis quintis a Micrologo, a Grimoaldo, a Card. Bona, a Christiano Lupo, a Pamellio dicta sunt. Cfr. etiam MABILLONIUS, *Museaum Itulicum,* T. II, pag. XXXII.

eodem loco ponit: *Die Dominico,* dum Gerbertianum nihil expressioni communi addit (1). His consonant etiam *Capitulare Evangeliorum,* sub Kalendarii Romani nomine a Frontone editum (2), et alia Capitularia non pauca, maxime quae *Karolina* vocantur aut a *Karolinis* originem ducunt (3).

Quamvis Capitularium omnium exemplaria quae nobis stationem testantur sint vetustissima, saeculo tamen VII antiquiora haberi non possunt; ideoque post S. Gregorii liturgicas dispositiones, confecta fuisse tenendum est. Hisce non obstantibus, huius stationis indicatio, ut testimonium praeexistentis usus habetur.

Cl. Morin in notis ad Capitulare Wirceburgense circa hanc stationem animadvertit possibile esse hic vestigium haberi institutionis, cuius origo ponenda sit in saeculo VI, paulo post dedicationem Basilicae in honorem SS. Cosmae et Damiani a S. Felice IV peractam circa annos 526-530 (4).

Quod revera praefatae stationis indicatio, quae in Capitularibus Evangeliorum reperitur ad VI saeculum assignanda sit, duabus de rationibus probabile demonstratur; et *primo* quidem ex repugnantia quam semper Ecclesia habuit ad mutationes introducendas in libris officialibus: *Capitulare Evangeliorum* habebatur quidem etiam tempore S. Gregorii M., ut ipse in sua Epistola ad Secundum Episcopum innuit (5):

---

(1) Cfr. *Revue Bénédictine,* a. 1911, pag. 305. — TOMASI-VEZZOSI, *Opera omnia,* t. V., pag. 460. — RANKE, *Das kirchliche pericopensystem,* Berlin, 1847, pag. XXXVI.

(2) Io. FRONTONIS. *Kalendarium Romanum,* etc. Veronae, 1733, pag. 169.

(3) Cfr. BEISSEL S. I. *Entstehung der Pericopen.,* Freib. 1907, pagg. 129 et 136; et CABROL, *Dictionnaire* etc. V. *Capitulare Evangeliorum,* T. II, col. 2062.

(4) « Il se peut quae nous ayons ici un vestige d'une institution remontant au VI[e] siècle après la dédicace de la Basilique du Forum aux martyrs ciliciens par Félix IV (526-530) ». *Revue Bénédictine,* l. c., pag. 305.

(5) Scribit enim S. Pontifex ad Secundinum Episcopum, se quadraginta lectiones exponere « ex iis quae diebus certis in hac Ecclesia (Romana) *legi ex more solent* ». MIGNE, *P. L.* LXXXVI, 1075.

et, si stationes excipias, nulla aut fere nulla immutatio in eo erat facienda, et aliunde stationes in aliis quoque liturgicis libris inscribi coeperant; ideo *Capitulare* sine immutatione exscribi poterat, et revera paucis adiectis pro quibusdam novis festis, exemplaria, ut antea, conficiebantur sine mutatione. Haec videtur ratio cur in *Capitularibus* antiquitatis signa luculentius occurrant.

Aliam rationem in hoc ponimus quod inter antiquitatis signa, quae Capitularia, prae aliis veteribus libris liturgicis, praeseferunt, Sacramentariis non exceptis, recenseri debet temporis divisio ut supra innuebamus in quasdam *hebdomadarum* series, et Dominicarum appellatio ab *hebdomadis:* ex. gr. Hebdomada IV ante Natalem Domini hebdomada II post Theophaniam, etc. Serius dumtaxat divisioni in hebdomadas, substituta est divisio in Dominicas (1). Constans itaque nostrae stationis indicatio, cum praemissa *hebdomadae* appellatione loco *Dominicae,* habenda est tamquam antiquitatis character, qui in Gregorianis libris pedetentim disparuit, cuius loco, Dominicae appellatio substituta est. Ex hoc igitur, stationis ad SS. Cosmam et Damianum antiquitatem arguimus, et antiquitatem, quae est S. Gregorii liturgicis dispositionibus antecedens.

Quarta statio Vesperis Dominicae in Albis assignata in quibusdam Gregorianis Sacramentariis indicatur (2), et his verbis in Ordine Romano XI describitur: « Mane statio ad Sanctum Pancratium. Ad Vesperum debet esse dominus Pontifex ad Sanctos Cosmam et Damianum, cum omnibus scholis, ibique honorifice cantare Vesperas, sicut in die Sancti Paschatis, et habere coenam de ecclesia, ipse et omnes ordines

(1) Si plura inter se veterum librorum liturgicorum conferuntur exemplaria, divisio temporis in hebdomadarum series, frequentius occurrit in iis quae sunt antiquiora et rarius in recentioribus, usque dum omnino disparet et divisio in Dominicarum series substituta constanter invenitur.

(2) TOMASI-VEZZOSI, *Opera Omnia,* T. II, pag. 470.

palatii, videlicet panem, vinum, lacteas et lactucas » (1). Huius stationis initium et duratio non tam facile determinari possunt. Ex Sacramentariis, quae illam indicant, videtur eius initium saeculo octavo aut paulo ante reponendum esse. Nos probabilem putamus coniecturam quae nobis exhibet hanc stationem in substitutione stationis Dominicae sequentis, secundae post Pascha. institutam fuisse. Sanctus enim Gregorius M., uti plura argumenta saltem coniicere sinunt, ad Basilicam S. Petri stationem Dominicae secundae post Pascha transtulit; ne tamen inde insignis SS. Martyrum Ecclesia stationis honore penitus privaretur, hanc vespertinam solemnemque instituisse videtur (2).

Stationem finem habuisse dicendum est ob civiles perturbationes, quae Pontifices ab Urbe exulare coegerunt. Eugenius III immediate post electionem, quae fuit a. 1145, noctu Roma anfugit et sequentibus quadraginta duobus annis, Romani Pontifices in Urbe fuerunt tantum annis septem cum dimidio.

Ob hanc rationem, quae Ordo Rom. XI praecribit, vix per annum, aut ad summum duos, executioni mandari potuerunt, inscriptus enim fuerat Caelestino II, qui obiit a 1143 (3). Inter sacras functiones, quae ob temporum calamitatem tunc desierunt, haec quoque statio est certo recensenda, cum de ea amplius memoria non occurrat.

(1) MABILLONIUS, *Musaeum Italicum*, Parisiis, 1724, t. II, pag. 145. — MIGNE, *P. L.* LXXVIII, Nota quod hic *dies Paschalis* revocatur simpliciter ad solemnitatem indicandam, non locum: nam statio vespertina ea in solemnitate erat « in Basilica Salvatoris ad Fontes et ad Sanctam Crucem »: ita praecitato *Ord. Rom. XI*, n. 49. — MABILLONIUS, l. c. pag. 142. — MIGNE, l. c.

(2) Dubitari etiam potest, an substitutio stationis Dominicae secundae facta sit potius in Dominica sequenti nempe tertia post Pascha. Clare enim non intelligitur an in *Capitulari Tomasiano* per verba quorumdam codicum: Dominica II post Albas (TOMASI-VEZZOSI, *Opera Omnia*, T. V, p. 459) Dominica indicetur quae nunc vocatur *secunda post Pascha*, vel ea significetur quae appellatur *tertia*. — PANVINIUS inter stationes, quae in singulis Basilicis exsoluerunt, ponit: *Ad SS. Cosmam et Damianum Dominica secunda post Octavam Paschae*, quae esset tertia post Pascha. *De Stationibus* ad calcem operis: *De Vitis Pontificum Rom.* Coloniae 1574, pag. 102. Si revera haec substitutio facta fuit, brevi tempore durasse dicendum est, cum de ea ullum certum vestigium invenire potuerimus.

(3) Cfr. BAUMER, *Histoire du Bréviaire*, T. II, pag. 19.

DISSERTATIO LITURGICA

De cantu ℣. "Benedictus" in Missis cum cantu.

Est quaestio haec ultimis annis multum agitata et posset videri valde intricata, sed re historice considerata omnis difficultas evanescit et res facile solvitur. Quamobrem secundum evolutionem historicam legislationis liturgicae hac in re quaestionem hic tractabimus, ut videamus, quidnam sit hodie iuris liturgici.

Antiquis temporibus finita praefatione totum Trisagium (1) i. e. *Sanctus* et *Benedictus* in unum cantabatur *antequam Canon incipiebatur;* finito demum cantu sacerdos Canonem incipiebat, qui in alto silentio totus est absolutus. Sic Ordo Romanus secundus, compositus saeculo 7 vel 8 hanc habet rubricam: « Quae (scil. praefationem et Trisagium) dum expleverint, surgit solus Pontifex et tacite intrat in Canonem » (2). Praxim Ordinum Romanorum sic comprehendit Mabillon: « Ut Pontifice Canonem recitante *summum in choro* teneatur *silentium* et ministri perstent inclinati et silentes per totum Canonem. Canonem non incipiebat sacerdos nisi *absoluto Trisagii cantu,* ut scil. clerus et populus, sacerdote Canonem *submissa voce* recitante, in admiratione tanti mysterii quasi stupens sileret » (3). Hanc pra-

(1) Nomine Trisagii in sequentibus semper intelligitur totus textus prout nunc a sacerdote finita praefatione recitatur, i. e. « Sanctus » et « Benedictus » vel omnia verba a « Sanctus » usque ad secundum « hosanna » inclusive.

(2) Ordo Romanus II, n. 10. Migne. Patrologia latina, 78, 974.

(3) Mabillon. In ordinem Romanum commentarius praevius VII. Migne. Patrologia latina 78, 876, 877.

xim nobis adhuc refert Bernoldus Constantiensis († 1100), qui in opere suo « Micrologus de ecclesiasticis observationibus » scribit: « Unde et angelicus hymnus, id est, Sanctus, sanctus, sanctus, subsequitur, quem beatus Sixtus papa, in ordine octavus, constituit, ut ante sacrificium diceretur. Hunc autem hymnum *et ipse sacerdos* cum aliis necessario debet dicere, ne seipsum sua prece videatur privasse, qui et suas voces et aliorum angelicis laudibus admitti deprecatus est in praefatione » (1). Finita ergo praefatione totum Trisagium in unum cantabatur et dein demum Canon incipiebatur. Ex his statim perspicitur, quod *Sanctus* et *Benedictus* constituunt *unum tantum cantum,* qui eodem prorsus modo ut hodie sacerdos sine interruptione cum recitat, etiam a choro sine interruptione cantabatur.

Prima ergo periodus in cantu Trisagii est haec, quod Trisagium totum ante Canonem sine interruptione cantabatur, *Trisagium est cantus ante Canonem,* qui Canon in alto silentio totus absolutus est. Quam dico duraverit haec periodus non certe erui potest; volventibus tamen annis Trisagium paulatim cantus factus est, qui *durante Canone* cantabatur.

Statim finita praefatione sacerdos incipiebat Canonem et Trisagium durante hac Canonis recitatione cantatum est. Hunc locum Trisagium hodie adhuc obtinet: est secundum ius liturgicum nunc vigens *cantus infra Canonem.* Etiam hoc tempore Trisagium sine interruptione cantatum est, constituit unum integrum cantum. Nunc autem circa annum 1100 (2) in Canone maxima aliqua mutatio externa facta est: elevatio s. Hostiae et Calicis introducta est. In cantu gregoriano totum Trisagium usque ad elevationem ss. Sacramenti certissime semper absolutum erat, et ad ipsam elevationem altum illud silentium servabatur, quod antea

(1) Micrologus de ecclesiasticis observationibus, cap. XI. Migne. Patrologia latina, 151, 984.

(2) Cf. Thalhofer-Eisenhofer. *Handbuch des Kath. Liturgik.* II. Freiburg 1912, p. 179.

intra totum Canonem servatum est, peracta elevatione usque ad « Pater noster » hoc silentium perduravit.

Ad elevationem igitur altum silentium servabatur et omnes omnino, etiam cantores de choro ss. Sacramentum adorabant. Cum autem decursu temporis musica polyphonica ad maiorem semper perfectionem se evolverit et cantus prolixiores semper evaderent, fieri non potuit, quin ultra elevationem cantus se extenderet et ita ut silentium intra elevationem non amplius servaretur et ipsi de choro cantores ss. Sacramentum non adorarent. Hoc autem inconveniens videbatur et nunc viri circa decorem domus Dei solliciti medium aliquod inquirebant etiam in his cantibus extensis silentium ad elevationem obtinendi.

Maximi momenti est medium, quod hac in re adhibendum proponit Paris Crassus, vir maximae sanae auctoritatis († 1528). In opere suo « De caeremoniis Cardinalium et Episcoporum » haec habet: « Dum autem elevatur sacramentum corporis et sanguinis Domini, omnes quibuscumque diebus et missis praesentes illud adorent genuflexi; inter quos ipsi etiam de choro cantores tunc facto aliquo firmo puncto convenienti, a cantu suo cessantes et penitus silentes illud adorare debent genuflexi: Organista tamen interea officium suum facit et reposito demum calice, ipsi cantores surgentes cantum resumunt et prosequuntur, non obstante nostrae Ecclesiae consuetudine forsan contraria, quae in hoc corrigi potest et debet » (1). Crassus igitur in omni casu ad elevationem silentium postulat et etiam cantores ad adorandum ss. Sacramentum adigit; medium eius est simplex: ubi primum momentum elevationis advenit, cantores cantum abrumpant, « aliquem firmum punctum convenientem » debent facere et in silentio adorare; elevatione calicis peracta cantum resumunt et prosequuntur. Hic Crassi

(1) Paridis Crassi, *De caeremoniis Cardinalium et Episcoporum*, Romae 1564, f. 73 b. Hic Crassi liber post Crassi mortem denique editus est; scriptus est fere inter annum 1500 et 1520.

textus nobis clare ostendit circa annum 1500 adhuc antiquam illam fuisse, ut totum Trisagium absque interruptione cantaretur; ex altera autem parte ostendit, iam tum liturgicos conatos esse, inveniendi aliquod medium ad elevationem ss. Sacramenti altum silentium etiam a cantoribus observatum obtinendi. Crassi medium erat facile propositum, sed non ita facile observatum in praxi — certissime non sine iactura pulchritudinis et decentiae poterant cantores cantum suum subito abrumpere, pausare et dein peracta elevatione cantum resumere. Crassi medium erat igitur insufficiens, medium sufficiens *ex una parte* certum et determinatum punctum in Trisagio assignare debuit, in quo cantores a cantu cessarent; *ex altera parte* sacerdotem obligare debuit ss. Sacramentum tunc de facto non prius elevare, quam chorus ad hoc punctum pervenerat et a cantu penitus cessabat, simul hoc punctum in cantu Trisagii ita eligendum erat, ut Trisagium in duas partes fere aequales divideretur, quarum altera tempus a finita praefatione usque ad elevationem expleret, altera tempus ab elevatione peracta usque ad « Pater noster ». Debuit igitur medium sufficiens ulterius progredi quam Crassus. *Hunc passum denique fecit prima Caeremonialis Episcoporum editio facta anno 1600*. Hic liber praescribit: « Chorus prosequitur cantum usque ad Benedictus exclusive, quo finito et non prius elevatur Sacramentum. Tunc silet chorus et adorat cum aliis. Organum vero, si habetur, cum omni tunc melodia et gravitate pulsandum est. Elevato sacramento, chorus prosequitur cantum Benedictus, qui venit, etc. » (1) Cum hac rubrica efficax gradus in legislatione liturgica factus est; terminus, in quo cantus abrumpendus est, accurate definitur, chorus ad silentium obligatur et sacerdos cantu finito et non prius Sacramentum elevare iubetur. Caeremoniale hac in re sine dubio *novam legem* tulit. Hoc ex una parte e loco antea

---

(1) Caeremoniale Episcoporum iussu Clementis VIII. P. M. novissime reformatum. Romae 1160, p. 207.

citato Paridis Crassi perspicitur; Crassus sub Pontificibus Iulio II (1503-1513) et Leone X (1513-1521) erat Apostolicarum Caeremoniarum Magister; praxim itaque Ecclesiae Romanae optime sciebat, Crassus nunc adhuc nihil scit de interruptione Trisagii ad verba *Benedictus;* eo tempore ergo Romae haec interruptio non erat in praxi, secus Crassus hanc certissime in libro suo retulisset, utpote qui in omnibus aliis praxim Ecclesiae Romanae affert. Haec lex Caeremonialis dein est nihil aliud nisi evolutio quaedam et melioratio ipsius medii a Crasso propositi; et data est haec lex non sine relatione ad Crassi propositum. Crassus suo tempore facile princeps erat in re liturgica, liber eius « De Caeremoniis Cardinalium et Episcoporum » auctoribus Caeremonialis non solum ad manus erat, sed saepe ab iis adhibitus est tanquam norma in Caeremoniali componendo, imo aliqui textus ad verbum e Crasso in Caeremoniale transierunt. Ipsa Caeremonialis lex non est nisi explicatio et determinatio accuratior legis a Crasso propositae. Hac Caeremonialis rubrica novam legem ferri etiam ex ipsis verbis legis patet. Nullibi in toto capite 8 libri II. Caeremonialis tam accurata et minuta praescripta pro cantoribus dantur. Aliis in locis cantus tunc tantum mentio fit, si secundum statum cantus actio liturgica moderanda est. Nullibi v. g. dicitur, *quod* Kyrie cantari debeat, dicitur tantum: *Cum* cantatur a choro ultimum « Kyrie eleison » *surgunt omnes ministri* (1). Nullibi in describenda missa pontificali directe cantoribus aliqua regula datur, ipsae accuratae et minutae regulae, quae in rubrica de interruptione Trisagii dantur, iam signum sunt, quod *nova lex hic primitus proposita est.* Tres igitur hucusque habemus periodus in cantu Trisagii:

1. Trisagium indivisum est cantus *ante Canonem.*

2. Trisagium *indivisum* est cantus *intra Canonem;* usque ad annum 1600.

(1) Caeremoniale, Romae 1600, p. 192.

3. Trisagium *in duas partes divisum* est cantus *intra Canonem*, ita ut una pars ante, altera post elevationem cantetur; inde ab anno 1600.

Haec nova Caeremonialis Episcoporum lex gravissimi sane momenti erat; Trisagium unum — hucusque absque interruptione cantatum — nunc ante verba « Benedictus » interrumpendum est; attamen — hoc bene nota — inde Trisagium non desinit esse *unicus* tantum cantus; per hanc rubricam Caeremoniale noluit novum quendam cantum missae per se stantem et independentem creare, sed *unitus* cantus *in duas partes dividitur*; secundum mentem Caeremonialis *Benedictus* non constituit cantum per se stantem, sed est et manet pars Trisagii, *pars Trisagii cantanda post elevationem*. Hoc etiam ex ipsis verbis novae legis clare perspicitur: Chorus *prosequitur* cantum usque ad « Benedictus » exclusive;..... Elevato Sacramento chorus *prosequitur* cantum « Benedictus, etc. ». Chorus ergo *prosequitur* cantum i. e. non incipit novus cantus, sed cantus interceptus resumitur et perficitur. Hoc idem circumstantiae legis suadent: usque ad annum 1600 totum Trisagium absque interruptione cantatum est — erat unicus cantus unitate etiam externa cantus; omnium menti alte insidebat, quod Trisagium unicus tantum cantus erat; nunc anno 1600 aliqua interceptio huius cantus praescribitur — numquid inde cum verbis post interruptionem cantandis incipit novus cantus? Minime; unusquisque qui anno 1600 vivebat et vivam praxim cantus Trisagii non interrupti adhuc viderat, diceret: cantus Trisagii resumitur, chorus prosequitur cantum suum. Ergo non est mirum, si in Caeremoniali et apud liturgicos huius temporis nunquam inter cantus missae « Benedictus » enumeratur; secundum hos auctores « Benedictus » ad Trisagium pertinet; non est pars missae per se stans, sed pars Trisagii, et ita auctores illi semper loquuntur tantum de « Sanctus, etc. », quod apud eos totum Trisagium, etiam « Benedictus » complectitur.

Illa lex de interruptione Trisagii nunc in praxi magnas

habuit sequelas; ad elevationem pausa aliqua fit, qua finita cantus resumitur; *externe* vere *novus incipit cantus;* musici componistae nunc *Benedictus* separatim a *Sanctus* componunt; typhographi separatim imprimunt, chori separatim cantant et ita re vera paulatim novus aliquis cantus missae — externe saltem — se evolvit. *Sub influxu* ergo legis ab anno 1600 paulatim Benedictus se evolvit in cantum independentem et per se stantem; paulatim etiam sensus hominum pro eo facto, quod « Benedictus » sit pars Trisagii perit et omnes nunc hodie « Benedictus » habent pro cantu independente et per se stante missae; si nos hodie cantus missae enumeramus, dicimus: Credo, Sanctus, Benedictus, Agnus Dei; si autem aliquis auctor liturgicus circa annum 1600 vel etiam postea enumerat cantus missae, dicit: Credo, Sanctus, Agnus Dei; omittit ergo Benedictus; cur? quia est pars Trisagii, quia secundum eum unum quid constituit cum Sanctus; vultne autem auctor iste hac enumeratione negare, Benedictus esse canendum post elevationem? Minime; Benedictus est ei *pars Trisagii cantanda post elevationem.* Ergo omnimode falsum est ex eo, quod auctor aliquis Sanctus et Benedictus non distinctim enumerat, inferre secundum istum auctorem Sanctus et Benedictus absque interruptione cantari, secundum Caeremoniale enim Sanctus, etc. est unus cantus cum interruptione cantandus.

Post editionem Caeremonialis anni 1600 ius liturgicum est ergo hoc: Trisagium in duas partes dividitur, quarum altera ante, altera post elevationem cantatur. Si haec ante oculos rite habentur nullam omnino difficultatem parant, quae habentur in primo libro Caeremonialis de adhibendo organo in missa: « In missa solemni pulsatur alternatim, cum dicitur « Kyrie eleison » et « Gloria in excelsis » in principio missae; item finita Epistola; item ad Offertorium; item ad « Sanctus, etc. » alternatim; item dum elevatur sanctissimum Sacramentum graviori et dulciori sono; item ad « Agnus Dei, etc. » alternatim; et in versiculo ante orationem post Communionem; ac in fine Missae » (1). Hic

(1) Caeremoniale. Editio Romae 1600, 135.

est textus originalis editionis anni 1600, qui mansit intactus usque ad revisionem textus Caeremonialis factam anno 1886. Facile perspicitur, quod in hoc textu omnino non *ordo textus* pro missa describatur, sed hic dantur tantum normae pro adhibendo organo inter missarum solemnia; ergo ii tantum textus enumerantur, in quibus organum cum cantu alternari potest, nullimode autem totus ordo textus totius missae describitur, sic nullum verbum occurrit de Introitu, de Graduali, de Offertorio canendo, potest ex hoc inferri hos cantus non esse cantandos? Sic etiam de Trisagio hic dicitur, ad « Sanctus, etc. » potest organum alternatim pulsari; i. e. Trisagium inter eos cantus numerandum est, qui cum organo alternatim cantari possunt; nihil aliud de Trisagio dicitur, non dicitur utrum Trisagium cantandum sit cum vel sine interruptione, et cur non dicitur? quia hic locus omnino non vult ordinem textus dare, sed normas tantum pro adhibendo organo. Potest ergo dici, secundum hunc textum, Trisagium cantari sine interruptione? Absit; nihil enim dicit hic textus de Trisagio interrumpendo vel non; ordo enim textus in secundo Caeremonialis libro datur. *Ergo ex hoc capite nihil omnino de cantu Benedictus potest inferri,* quia nihil dicitur; dicitur tantum, Trisagium in eos cantus numerari, quae cum organo alternatim possunt cantari. *Quando* ergo *Benedictus* cantandum sit hoc loco non determinatur, sed unice in libro secundo; contra totum textum et finem textus esset igitur ex hoc textu inferre: hic *Benedictus* ante elevationem cantatur. Est hoc principium pro interpretatione Caeremonialis maximi sane momenti: *Caeremoniale in uno tantum loco de cantu Benedictus loquitur, in libro secundo, in quo post elevationem cantari assignatur.* Hoc principium ex ipso Caeremoniali evidenter fluit, nam accurata consideratio textus primi libri statim docet, quod nihil omnino in illo libro de cantu *Benedictus* determinetur; hoc principium etiam auctores liturgici optimae notae omnes unanimiter nos docent; ita (1): Castaldus 1625 (2), Gavan-

(1) Annus post nomen auctoris positus designat annum, quo *prima vice* opus hic citatum editum est.

(2) Andreas Tiscara Castaldus. *Praxis Caeremoniarum.* Lib. I, Sect. VI, cap. I, n. 18. Editio Neapoli 1645, p. 82 a.

tus 1628 (1), Bauldry 1646 (2), Arnaud 1647 (3), Quarti 1655 (4), Lohner 1670 (5), Macri 1677 (6), Bissus 1686 (7), Merati 1736 (8), Cavalieri 1743 (9), Catalani 1747 (10).

Haec sunt nomina omnium auctorum liturgicorum alicuius momenti ex saeculo 17 et ineunte saeculo 18; hi viri ex parte tempori scriptionis Caeremonialis Episcoporum valde propinqui sunt; ipsi mentem Caeremonialis optime sane noverunt. Omnes hi, ubi de cantu *Benedictus* agunt, unice e secundo Caeremonialis libro argumentantur, nulli in mentem venit ex primo Caeremonialis libro aliquid de cantu *Benedictus* statuendi; omnes hi in eo conveniunt, quod in Caeremoniali in uno tantum loco, in secundo libro, de cantu *Benedictus* sermo sit, nam si secundum eos etiam in primo libro de cantu *Benedictus* aliquid evinci posset, hoc sane afferre debuerunt, ubi de cantu *Benedictus* in missa

---

(1) Bartholomaeus Gavantus. *Thesaurus s. Rituum*. II, 7, 11. Editio Coloniae 1705, 110.

(2) Michael Bauldry. *Manuale s. Caeremoniarum*. I, VIII, 7; III, XVI, 17. Editio Venetiis 1681, 22, 196.

(3) Claudius Arnaud. *Thesauri s. Rituum Epitome*. Tractatus I, Pars 2, tit. 7, n. 27. Editio Venetiis 1662, 78.

(4) Paulus Maria Quarti. *Rubricae Missalis Romani Commentariis illustratae*. Pars 2, tit. 7, n. 11. Editio Venetiis 1727, 195 a.

(5) Tobias Lohner. *Instructio practica de missae sacrificio*. Pars 2, tit. 20. Editio Augustae Vind. et Dilingae 1759, 62.

(6) Macri. *Hierolexicon*, sub verbo: « Benedictus qui venit ». Editio Venetiis 1765, 109.

(7) Bernardus Bissus. *Hierurgia*, sub verbo: « Benedictus qui venit ». Editio Genuae 1686, tom. I, 116.

(8) Caietanus Maria Merati. *Novae observationes et additiones*. Pars II, tit. VII, LXXXIII. Editio Augustae Vindelicorum 1740, tom. I, 307.

(9) Michael Cavalieri. *Opera omnia liturgica*. Tom. V, cap. XIV, n. 70. Editio Augustae Vindelicorum 1764, tom. V, 79.

(10) Iosephus Catalani. *Caeremoniale Episcoporum Commentariis illustratum*. Ad lib. I, cap. 28 et lib. II, cap. 8, n. 70. Editio Romae 1744, tom. I, 382, tom. II, 118.

agit; quod tamen nemo facit, omnes igitur agnoscunt principium: *in Caeremoniali in uno tantum loco de cantu « Benedictus » sermo est, in secundo libro, ubi « Benedictus » post elevationem reponitur:* omnes agnoscunt principium: *secundum Caeremoniale « Benedictus », semper peracta elevatione cantandum est.*

Quid autem hi auctores faciebant cum textu libri primi? Omnes optime sciebant, quod in hoc capite de cantu *Benedictus* sermo non esset, quod falsissimum esset, ex hoc capite de cantu *Benedictus* quicquam demonstrare; omnes sciebant, in hoc capite tantum de organi pulsu in missa agi, minime autem de ordinandis textibus missae; si tamen aliquis ex his auctoribus in tractando primo libro de cantu *Benedictus* quid dicere vult, hanc ordinationem e secundo libro depromunt; sic e. g. habet Bauldry: Ad missam solemnem pulsatur alternatim cum dicitur *Kyrie eleison, Gloria in excelsis;* Item finita Epistola, sed Graduale videtur cantandum a choro: Sequentia alternatim. Item ad Offertorium usque ad Praefationem; Item ad *Sanctus* alternatim. Ad elevationem ss. Sacramenti graviori et dulciori sono et facta elevatione chorus prosequitur *Benedictus, qui venit* stando. Caeremoniale Episcoporum, l. I, c. 28 (1). Eundem in modum celeberrimus Caeremonialis Commentator Iosephus Catalani in tractando primo libro dispositionem secundi libri addit: « Item ad *Sanctus* alternatim. Item dum elevatur ss. Sacramentum graviori et dulciori sono; prosequente tamen choro post factam elevationem versiculum *Benedictus, qui venit* voce intelligibili » (2). Manet igitur nullum dubium, quod post factam editionem Caeremonialis anno 1600 ius liturgicum est hoc: *secundum Caeremoniale Episcoporum « Benedictus » semper peracta elevatione cantandum est.* Hucusque tum ex textu Caeremonialis originali

(1) Michael Bauldry. *Manuale s. Caeremoniarum.* I, VIII, 7. Editio Venetiis 1681, 22.

(2) Ioseph Catalani. Caeremoniale Episcoporum Commentariis illustratum. Ad l. I, c. 28. Editio Romae 1744, I, 382.

tum ex unanimi liturgicorum consensu stabilivimus, quod in uno tantum loco Caeremonialis de *Benedictus* sermo est et in hoc loco post elevationem cantandum est, tota res ergo pendet ex hac secundi libri rubrica; de hac lege nunc oriuntur sponte duae quaestiones:

1. De quibus generibus sacrae musicae valet haec lex?
2. Pro quibus missis valet haec lex?

Prima quaestio maximi sane momenti est; vidimus antea, quod eo tempore, quo cantus gregorianus erat unicus in ecclesia cantus, Trisagium sine interruptione ante elevationem cantabatur; vidimus insuper, quod tota lex de interruptione Trisagii lata est sub influxu cantus polyphonici; si cantus gregorianus mansisset *unicus cantus* in ecclesia certissime haec lex de interruptione Trisagii numquam lata esset. Insuper: anno 1600, quo anno haec primitus data est, praxis vigebat tum in cantu gregoriano tum in cantu polyphonico cantandi Trisagium sine interruptione; nunc venit nova lex, quae profunde prorsus mutat et ingreditur in praxim tunc vigentem. Omnes homines tunc viventes sciebant finem et motivum huius legis in cantu gregoriano etiam sine interruptione sufficienter et certo omnino obtinere, omnes sub vivo influxu erant, hanc novam legem, latam esse sub influxu cantus polyphonici — illi homines nos ergo optime de ambitu legis huius docere debent, si illi legem etiam de cantu gregoriano applicant, hoc certissimum sane est signum de mente legislatoris ferre legem quae etiam cantum gregorianum complectitur. Nam homines istius temporis certissime debuerunt dubitare, num haec lex in cantu gregoriano obliget, et revera hoc fecerunt, et responsum, quod nobis dant circa hanc quaestionem est: *sin etiam motivum et finis legis in cantu gregoriano sine interruptione cantus sufficienter obtinentur, lex ipsa etiam in cantu gregoriano servanda est.* Hic primo considerandum est, quod lex ipsa nullum omnino discrimen facit inter cantum gregorianum et polyphonicum, sed lex simpliciter loquitur de cantoribus et cantu: « Chorus prosequitur cantum usque

ad « *Benedictus, qui venit,* etc. » exclusive, quo finito et non prius, elevatur Sacramentum » (1).

Ecce, verba, prout iacent, cathegorice omnino loquuntur et nullo modo suadent, ea in cantu polyphonico tantum valere; nonne auctores Caeremonialis potuissent apponere « si nempe cantus est prolixus »; hoc non fecerunt; verbo, lex prout iacet omnia sacrae musicae genera sub se comprehendit. Hoc etiam ipsi coaequales perspexerunt, et ideo legem etiam in cantu gregoriano servabant. Dicit Gavantus in Thesauro suo: « *Benedictus, qui venit,* etc. non cantatur a Choro, nisi post depositionem calicis. Caerem. Episc. l. 2, c. 8, etiam in missis Defunctorum, quod observatur in Capella Papali » (2). Hanc observationem, quod etiam in *missis Defunctorum Benedictus* cantetur post elevationem saepius invenimus apud liturgicos; sic apud: Bauldry (3), Arnaud (4), Macri (5), Bissus (6). Quid sibi vult haec observatio? Ecce rubrica aliqua Caeremonialis ab anno 1600 totam hanc rem declarat: « In missis et officiis Defunctorum nec organo nec musica quam figuratam vocant, utimur, sed cantu firmo » (7). Quia ergo in missis Defunctorum — de iure saltem — adhibebatur unus cantus gregorianus, poterat et debuit moveri quaestio, utrum etiam in his missis *Benedictus* cantari debeat post elevationem; vides itaque quod liturgici eius temporis revera habebant dubia, num nova

(1) Cf. Editio Romae 1600, 207. Editiones modernae, c. II, VIII, 70.

(2) Gavantus. *Thesaurus*, II, 7, 11. Editio Coloniae 1705, 110.

(3) Bauldry. *Manuale* III, 16, 17. Editio Venetiis 1681, 196.

(4) Arnaud. *Epitome*. Trad. I. Pars 2, tit. 7, n. 47. Editio Venetiis 1662, 78.

(5) Macri. *Hierolexicon*, sub verbo « Benedictus ». Editio Venetiis 1765. 109.

(6) Bissus. *Hierurgia* sub verbo « Benedictus ». Editio Genuae 1686, I, 116.

(7) Cf. Editio Romae 1600, 135; anno 1886, textus hic mutatus est; et editiones modernae, c. I, 28, 13.

haec lex etiam in cantu gregoriano sit adhibenda, et dubia haec in praxi et theoria eo soluta sunt, quod etiam in cantu gregoriano Benedictus post elevationem cantandum sit. Haec liturgicorum confirmatio valde confirmatur per praxim Capellae Pontificiae; vel potius dicamus: haec liturgicorum explicatio efformata est secundum normam Capellae Pontificiae. Ut testatur Gavantus (1), in Capella Papali in missis defunctorum *Benedictus* post elevationem cantabatur; in Capella Papali autem tunc temporis revera rubrica ista Caeremonialis de adhibendo cantu gregoriano tantum in missis defunctorum servata est, ut nobis testantur observationes magistri cuiusdam huius Capellae (2). In Capella Papali ergo *Benedictus* etiam in cantu gregoriano post elevationem cantatum est, et ex hoc Capellae Papalis exemplo praesertim liturgici inferunt etiam in missis defunctorum vel quod est idem, in cantu gregoriano novam hanc rubricam obligare. Sane viri moderantes cantum in Capella Papali optime scire debuerunt, utrum nova haec lex in cantu gregoriano obliget; et si falso hanc legem in cantu gregoriano adhibuissent, auctores Caeremonialis eis certo certius dixissent, novam hanc legem in cantu polyphonico tantum obligare — hoc tamen factum non est, quod est signum evidens prorsus secundum mentem legislatoris novam hanc legem etiam pro cantu gregoriano datam esse. Etiamsi igitur lex haec orta est sub influxu cantus polyphonici, etiamsi motivum et finis legis in cantu gregoriano sine interruptione sufficienter obtinentur, secundum liturgicos et praxim Capella Pontificiae « omnium ecclesiarum magistrae » lex etiam in cantu gregoriano servanda est; *quae legis interpretatio ut signum pro mente legislatoris omnia sacrae musicae genera, non excepto cantu plano, obligandi.*

(1) Gavantus, l. c.

(2) Andrea Adami da Bolsena. *Osservazioni per ben regolare il coro dei cantori della Cappella Pontificia.* In Roma 1727. Hic liber mihi non ad manus est, cito secundum: Haberl. *Kirchenmusikalisches Iahrbuch.* XII, 1897, p. 36 sq. praesertim p. 51, 52.

Ex hisce iam facile iudicatur de placitis quorundam recentiorum affirmantium, legem hanc in cantu gregoriano non esse servandam, ita recentissimo tempore in Germania Dr. Drinkwelder defendere conatur, in cantu gregoriano *Benedictus* ante elevationem cantari posse (1); et nuperrime hic auctor in libello quodam « Gesetz und Praxis in der Kirchenmusik » (2) ulterius adhuc progreditur affirmans: « Rubrica Caeremonialis Episcoporum in omni casu ergo silentium requirit ad elevationem Eucharistiae; in compositionibus prolixis hoc eo obtinetur, quod *Benedictus* a *Sanctus* separetur et elevatione peracta demum cantatur. *In cantu gregoriano et si prolixae compositiones per adhibitam textus recitationem abbreviantur Benedictus ante elevationem cantatur* » (3). Auctor hic totam legem eiusque ambitum unice determinat ex motivo legis et fine; motivum et finis est silentium ad elevationem, hoc obtinetur in compositionibus prolixis per interruptionem cantus ante *Benedictus*, in compositionibus brevibus polyphonicis vel abbreviatis et in cantu gregoriano per cantum *Benedictus* ante elevationem. Quam longe auctor hic aberret a veritate facile perspicitur, lex enim haec etiam tunc obligat, si motivum et finis per cantum non interruptum sufficienter obtinetur; quod sane certo demonstravimus. Ecce, quomodo auctor iste duo confundit, quae tamen non sunt confundenda: *finem legis* et *ipsam legem;* « finis legislatoris non cadit sub praecepto » est adagium celebre, et etiam in hac nostra lege *non servandus est finis, sed ipsa lex,* nam non finis est praeceptus, sed lex. Potuissent sane auctores Caeremonialis *finem* praecipere dicendo: ad elevationem Sacramenti semper et ab omnibus servandum est silentium.

(1) In Ephemeridibus: « Musica sacra ». Ratisbonae, annus 46, 1913, p. 218-220.

(2) « *Gesetz und Praxis in der Kirchenmusik* » (Lex et praxis in musica sacra). Ratisbonae. Pustet 1914.

(3) L. c., p. 179 (Liber germanice conscriptus est; versio latina a me facta est).

Quomodocunque hoc obtinetur, tuto unusquisque *medium* sibi eligere posset, posset fortasse et Paridis Crassi medium adhibere, sed ipsum medium, quo silentium sit obtinendum, ita ut unusquisque nunc non possit eligere, quod sibi placet, sed debet obtinere silentium per interruptionem Trisagii; non silentium est praescriptum, sed *silentium obtinendum per interruptionem cantus*. Licet ergo motivum et finis legis in cantu gregoriano et brevi polyphonico absolute etiam alio modo obtineri possint, de facto tamen etiam in his sacrae musicae generibus per interruptionem Trisagii obtinendi sunt. Secundum hanc Doctoris Drinkwelder theoriam medium uniuscuiusque libertati relinquitur, quisque potest sibi eligere, utrum sine interruptione cantus vel cum interruptione silentium elevationis obtinere vult. Ex hac ipsa huius auctoris explicatione optime etiam perspicitur, quam *rationabiliter* lex ab anno 1600 etiam in cantu gregoriano obliget. Nam: si in cantu gregoriano licitum est, cantare *Benedictus* ante elevationem, cur non etiam in compositionibus univocis non gregorianis? et si in his, cur non etiam in compositionibus brevibus polyphonicis? Omnia haec concedit auctor iste; si autem haec conceduntur omnia iam libertati et libidini relinquuntur; unusquisque magister chori potest inspicere utrum in hac vel illa compositione vult *Benedictus* ante vel post elevationem cantare; hodie cantatur ante, cras post; et si magister chori erret, si cantus non perficitur usque ad elevationem? Agitur sane de re gravissimi momenti, in qua non omnia libertati relinquenda sunt et in qua non solum finis, sed etiam medium accurate sane determinatum esse debet. Dein: maximi momenti hac in re est *uniformitas;* quamobrem rationabiliter omnino egerunt legislatores anni 1600 non ferentes legem pro uno tantum genere musicae sacrae, sed legem suam ferentes pro omnibus sacrae musicae generibus nullo excepto.

Recentiore tempore utique studia historica valde effloruerunt in re liturgica et musica sacra; et multi cognoverunt, quod antiquo tempore in cantu gregoriano Trisagium

absque interruptione totum ante elevationem cantabatur; et nunc ad traditionem illam redire volunt; et notum sane est, quod praefatio editionis Vaticanae Gradualis Romani ab anno 1907 in prima sua recensione cantum *Benedictus ante* elevationem clare permittebat; haec autem rubrica a S. R. C. in textum nunc in Graduali impressum mutata est: « Finita praefatione chorus prosequitur *Sanctus* etc. Dum autem elevatur Sacramentum, silet Chorus et cum aliis adorat » (1) i. e. res indecisa relicta est; utrum « *Sanctus* » cum interruptione vel sine cantandum sit, hic non dicitur, et omnia sunt diiudicanda ex legibus urgentibus praesertim in Caeremoniali datis. Et rationabiliter omnino haec correctio facta est; nam si non adfuissent graves rationes etiam in cantu gregoriano cantandi *Benedictus* post elevationem, certissime anno 1600 homines in antiqua sua praxi perseverassent, hanc relinquentes nobis ostendunt, opportunum omnino esse, etiam in cantu gregoriano cantandi *Benedictus* peracta elevatione; propter uniformitatem scilicet et propter magna incommoda, quae ex contraria praxi sponte fluerent.

Restat solvenda altera quaestio:

Pro quibus missis valet haec lex?

Lex ista in Caeremoniali datur, ubi describitur missa *pontificalis* Episcopi; est nunc quidem lex generalis, quod ea, quae non sunt specialia missae pontificali ad alias missas omnino sunt transferenda; et ita optimo iure plurimi liturgici veteres et recentis temporis legem istam de omnibus missis — tum pontificalibus tum non pontificalibus adhibuerunt; ita ex veteribus: Castaldus 1625, Gavantus 1628, Bauldry 1646, Arnaud 1647, Lohner 1670, Macri 1677, Bissus 1686, Merati 1736, Catalani 1747 (2). Ex recentioribus:

---

(1) Graduale Romanum. « De ritibus servandis in cantu Missae », VII.

(2) Ad hos auctores cf. loca citata supra.

Carpo (1), Falise (2), Martinucci (3), Schober (4). Duo tantum ex antiquis hanc rubricam de missa *pontificali* tantum adhibent et pro aliis missis relinquunt libertatem manendi in antiqua praxi; ita Quarti 1655 et Cavalieri 1743 (5). Ex recentioribus sequuntur hos: Appeltern in Manuali ex anno 1902 (6), de Herdt (7), Schmid (8). Attamen bene considerandus est modus, quo hi auctores sententiam suam proponunt; sic habet Quarti: « *Benedictus, qui venit* etc. non cantatur a choro, nisi post Consecrationem et Elevationem, ex Caerem. Episcop. l. 2, c. 8, quia laus illa addita fuit post Christi incarnationem et idcirco expectatur Christi praesentia in hoc sacramento. Quia tamen hic ritus non praescribitur in Missali, et Caeremoniale loquitur de missis solemnibus celebrante Episcopo, non sunt damnandi, qui illud canunt ante Consecrationem absente Episcopo » (1). Idem omnino affirmat Cavalieri (2); etiam hic quaestionem tantum ponit ex silentio Missalis; etiam secundum Cavalieri ad normam Caeremonialis *Benedictus* semper post elevationem cantandum

---

(1) Carpo. *Manuale*. [7], 1896, 264.

(2) I. B. Falise. *Liturgiae practicae compendium*. Ratisbonae 1876, 118.

(3) Martinucci. *Manuale decretorum S. R. C.* Editio Ratisbonae 1873, 144.

(4) Georgius Schober. *Caeremoniae Missarum solemnium*[2]. Ratisbonae 1909, 102, 279.

(5) Cf. supra.

(6) Victor. ab Appeltern. *Manuale liturgicum*. Mechliniae 1902, I, 222.

(7) I. B. de Herdt. *Sacrae liturgiae Praxis*[2]. Monasterii 1853, I, 135.

(8) Andreas Schmid. *Caeremoniale*[3]. Kempten und München 1906, 207.

(9) Quarti. *Rubricae Missalis Romani Commentariis illustratae*. Pars 2, tit. 7, n. 11. Editio Venetiis 1727, 195 a.

(10) Cavalieri. *Opera omnia liturgica*. V, 14, 70. Editio Augustae Vindelicorum 1764, tom. V. 79.

est. Totum problema, ut ab his auctoribus proponitur, optime considerandum est: ex silentio tantum Missalis locum dant huic quaestioni; etiam hi auctores conveniunt cum omnibus aliis in principio, quod secundum Caeremoniale *Benedictus* semper peracta elevatione cantandum est. Magnum subsidium sane hi auctores sententiae suae tribuissent, si ipsum Caeremoniale pro sua sententia allegare potuissent, si putassent, in primo libro Caeremonialis *Benedictus* ante elevationem cantari posse — nemo autem hoc facit, quod iterum est signum evidens, in primo libro Caeremonialis non agi de cantando *Benedictus*. Stat ergo etiam apud hos auctores principium: *in uno tantum Caeremonialis loco de cantando « Benedictus » sermo est in libro secundo.*

Post editionem Caeremonialis anno 1600 est ergo status iuris de cantu *Benedictus* hic: in omnibus generibus musicae sacrae *Benedictus* post elevationem cantandum est; missas quod attinet, longe maior pars legem ad omnes missas applicat, duo tantum, quos sequuntur aliqui recentes pro missis pontificalibus tantum legem applicant. Post legem anni 1600 res igitur prorsus definita non erat, remaserant dubia aliqua solvenda, quae S. R. C. opportuno tempore solvit.

Primum dubium occurrit anno 1831; interrogatur: « Ubi cantus chori non producitur usque ad elevationem Hostiae, *Benedictus, qui venit,* etc. cantarine debent post elevationem; an immediate post primum Hosanna in excelsis? » respondetur: « Cantari debet post Calicis elevationem » (1). Quid est haec quaestio aliud, nisi dubium de *ambitu legis circa genera musicae?* Debetne servari lex, ubi absolute *Benedictus* ante elevationem cantari posset? Et respondetur servanda est; valet haec quaestio praecise de compositionibus brevibus polyphonicis et maxime de cantu gregoriano, ut recte animadvertit in hisce Ephemeridibus Dr. van Openraaij (2). De novo igitur proponitur principium, quod in omnibus musicae sacrae generibus servanda sit lex.

(1) S. R. C. 2682[31].
(2) Cf. supra, p. 290.

Nunc nobis declarandus est textus, qui hac in quaestione maximas videtur facere difficultates; imo qui totam quaestionem aliquo modo ad tempus obfuscavit, non quia in se aliquid difficile statueret, sid quia difficile tantum prout iacet intelligitur, quia perfecte potest tantum intelligi, si historia eius prae oculis habetur. Anno 1886 revisio aliqua textus Caeremonialis facta est, in qua praecise et unice partes agentes de musica sacra revisae sunt; habet haec revisio historiam suam, de qua alia vice fortasse agemus, et haec historia bene considerata, textus primo aspectu difficilis facilem invenit solutionem; comparationis gratia hic textum originalem et textum revisum simul exhibemus:

Editio anni 1600.

« In Missa solemni pulsatur alternatim, cum dicitur Kyrie eleison, et Gloria in excelsis, etc. in principio Missae; item finita Epistola; item ad Offertorium; item ad Sanctus, etc. alternatim; item dum elevatur sanctissimum Sacramentum graviori et dulciori sono; item ad Agnus Dei, etc. alternatim; et in versiculo ante orationem post Communionem; ac in fine Missae » (1).

Editio anni 1886.

« In Missa solemni pulsatur alternatim, cum dicitur Kyrie eleison, et Gloria in excelsis, etc. in principio Missae; item finita Epistola; item ad Offertorium; item ad Sanctus, etc. alternatim, *ac deinceps usque ad Pater noster;* sed ad elevationem Sanctissimi Sacramenti pulsatur organum graviori et dulciori sono: *et post elevationem poterit immediate motettum aliquod opportunum cantari;* item ad Agnus Dei, etc. alternatim *ac deinceps usque ad Postcommunionem,* ac in fine Missae » (2).

(1) Cf. Editio Romae 1600, 135. Hic textus invenitur etiam in omnibus Caeremonialis editionibus ante annum 1886 factis.

(2) Cf. Editio nunc vigens, I, 28, 9. Additiones per *impressionem* signatae sunt.

Statim perspicitur, quidnam novi appositum sit in hac revisione; primo bis apponitur « et deinceps »...; quid sibi vult hoc « deinceps »? Est antiqua lex liturgica, quod organum in iis tantum missae solemnis partibus possit pulsari de quibus hoc a Caeremoniali expresse permittitur; nunc cogites, quod antiquo tempore totus Canon in alto silentio peragebatur, quod paulatim fieret Trisagium cantus intra Canonem, sed eo ipso, quod cantus Trisagii intra Canonem permittebatur, nullo modo etiam organi sonitus hoc sacro tempore permissus est; e contra, cum primis temporibus cantus Trisagii adhuc esset brevis et non ultra elevationem duraret, inde ab elevatione usque ad Pater noster organi sonitus nequaquam permittebatur, sed altum silentium tenebatur; nulla praescriptio in Synodis saeculo 16 habitis tam frequens est quam ea, per quam organi sonitus post elevationem prohibetur; ita habet Synodus Trevirensis anno 1549 habita: « In elevatione Corporis et Sanguinis Christi et post, usque dum cantatur Agnus Dei, sileant organa » (1), et Synodus Coloniensis habita anno 1550 iubet Visitatores inspicere: « Num organa quid saeculare resonent... et sileantne ab Elevatione Eucharistiae usque ad Agnus Dei: quo interea ab omnibus, sub alto silentio, devote Dominicae passionis et Redemptionis nostrae memoria recolatur » (2). Saepius tales prohibitiones occurrunt; sic etiam textus Caeremonialis ab anno 1600 nullimode permittit organi sonitum intra Canonem, sed tantummodo *ad ipsam elevationem;* tempore libero organum silere debet. Decursu autem temporis hac in re iudicium mutatum est, et nos hodie poscimus, quod organum *omnia momenta a cantu libera in missa debeat supplere;* hac in re itaque revisio textus legem praxi modernae accommodavit, et concessit organi sonitum post Trisagium usque ad Pater noster, et finito *Agnus Dei* usque ad Postcommunionem.

(1) Hartzheim. *Concilia Germaniae*. VI, 600.
(2) Hartzheim. l. c., 632.

Hucusque ergo textus nullam parat difficultatem; finito *Benedictus* usque ad Pater noster pulsatur organum; deinde etiam secundum textum recognitum ad ipsam elevationem pulsatur; secundum Caeremoniale nunc *Benedictus* finitur peracta elevatione; ergo pulsatur organum ad ipsam elevationem, dein cantatur *Benedictus,* quo finito usque ad Pater noster iterum pulsatur organum. Haec omnia sunt clara, dummodo ab uno errore praecaveas: illud organi praeludium, quod habetur « deinceps usque ad Pater noster » et illud ad elevationem, sane *non sunt unum idemque praeludium,* sed duo praeludia distincta; unum — illud ad elevationem — est iam in textu orginali permissum; alterum — finito *Benedictus* — hic de novo agitur. Si nunc quis ponit haec duo praeludia distincta esse unum idemque, quod finito *Benedictus* incipiat et duret usque ad Pater noster et *intra quod* elevatio habeatur, tunc sane eo pervenit, ut dicat *Benedictus* cantari ante elevationem; sed committit talis errorem gravissimum; hanc argumentationem instituit citatus supra Dr. Drinkwelder (1) et inde in falsam suam theoriam de cantu *Benedictus* ante elevationem pervenit. Esse duo praeludia distincta novus textus ipse suadet; dicit: « sed ad elevationem *pulsatur organum* graviori et dulciori sono »; hoc « pulsatur organum » in textu originali deest et hoc addendo significatur, esse hoc *novum aliquod* praeludium.

(Continuabitur)

INNSBRUCK (Collegium Canisianum).

Theol. HENRICUS DE MEURERS.

(1) In Ephemeride « Musica sacra ». Ratisbonae, annus 46, 1913, p. 219.

Consultationes.

* *

E Granata (in Hispania). — I. An iuxta Decretum gen. S. R. C. 5 Iunii 1899, teneatur Clerus titularis et adscriptus cuiuscumque Parochiae, nulla excepta, ad Officium et Missam Festi Titularis cum ritu I classis et Octava, quamvis usque nunc hoc non adimpletum fuerit? — Et si affirmative; — Quid, si eadem Parochia habeat duas vel tres Ecclesias illi adnexas, sed distinctos Titulares?

Resp. Responsum ad praefatas quaestiones dependet ab his duabus aliis:

1°. De quanam Ecclesia seu Oratorio Titularis celebrandus est;

2°. A quonam Titularis Ecclesiae seu Oratorii recolendus est. — Porro, *quoad Im quaestionem:* Decretum gener. S. R. C. d. 5 Iunii 1899 (n. 4023) praescribit, nn. 1 et 3: « In quibusvis Ecclesiis publicisque Oratoriis, vel consecratis vel saltem solemniter benedictis, relativum Titularis Festum quotannis esse recolendum sub ritu duplici I classis cum Octava. — Ad effectum celebrandi Titularium Festa, illas sacras aedes esse intelligendas, quae pro Missis celebrandis sacrisque aliis, etiam solemnioribus, functionibus peragendis ab Ordinariis locorum destinatae, vel consecrantur vel solemniter benedicuntur, ut publico fidelium usui libere plus minusve deserviant ». Hinc Titularis alicuius Capellae, in qua hic et nunc Missa celebratur, non est celebrandus a Parocho cum Octava (S. R. C. 27 Febr. 1847 ad 2, n. 2939).

« In Oratoriis autem, quae existunt in aedibus episcopalibus, Seminariis, Hospitalibus, Domibusque Regularium, relativum Titularis Festum non celebrabitur, nisi in casu quo aliqua ex iis consecrata vel benedicta solemniter fue-

rint » (Decr. cit. 5 Iunii 1899, 5, et 14 Mart. 1903, n. 4110).— Insuper S. R. C. d. 10 Nov. 1906 ad 3, n. 4192 declaravit: quod si in aliqua domo religiosa plura habeantur Oratoria semipublica, solemniter benedicta, uni tantum et quidem principali, quod Ecclesiae locum teneat, competere ius ad Festum Titularis.

Quoad IIm quaestionem: Decretum gen. S. R. C. d. 9 Iulii 1895 (n. 3863), n. 2, decrevit: « Eodem ritu duplici I classis cum Octava celebrari debet Festum solemnius Titularis Ecclesiae ab iis omnibus e Clero, quibus eadem Ecclesia propria est, aut ratione beneficii aut ratione subiectionis »; in Decreto vero citato d. 5 Iunii 1899, n. 4 dicitur: « Relativi Titularis Festum a toto Clero, si extiterit, vel a Sacerdote Rectore Ecclesiae aut publico Oratorio addicto, per integrum Officium celebrabitur: secus, in defectu cuiusvis Cleri, per solas Missas iuxta Rubricas ».

Ut autem pro aliquo Ecclesia propria dici possit, vel ut quis dici valeat alicui Ecclesiae addictus pro Festo Tituli et Dedicationis celebrando, requiritur, ut illi Ecclesiae vere adscriptus sit a legitima et competente auctoritate, ad Sacramenta ministranda, docendum populum, Officia Ecclesiae celebranda, etc. Tales sunt parochus, vice-parochus, deservitor, coadiutor, sacrista seu custos Ecclesiae. Non sunt vere addicti alicui Ecclesiae, qui a competente auctoritate illi non sunt adscripti, sed ibi tantum celebrant, vel aliquod munus explent ex charitate seu benevolentia (S. R. C. 7 Dec. 1644 ad 1, q. 1. n. 2872; 11 Aug. 1877, P. I, dub. I–IV, et 18 Aug. 1877 ad 3, n. 3433).

Demum, S. R. C. d. 11 Aug. 1877 ad dub. VI et VII, P. I (n. 3431) explicite declaravit: Capellanos, Ecclesiae parochiali addictos, ad Tituli Capellae Officium celebrandum non teneri, neque Parochos ad Officium Titularis Ecclesiarum filialium. Et quoad Missionarios qui curam parochialem exercent in pluribus simul oppidis valde dissitis et in uno tantum regulariter resident, S. R. C. declaravit: ipsos celebrare debere Titulum Ecclesiae illius tantum, apud quam

residere solent, vel quae dignior est (25 Aug. 1882, n. 3554; 27 Febr. 1883 ad 2, n. 3571 et 16 April. 1886 ad 2, n. 3661).

II. — In Collecta « *Et famulos* » etc. quae in Hispanico regno dici potest omnibus Missis tam lectis quam cantatis etiam solemnioribus, an omitti debeat incisum « *et Captivos Christianos qui in Saracenorum potestate detinentur* » ? — Vel quamvis dato Decreto 14 Iunii 1873, *S. Iacobi de Chile,* et 19 Aug. 1802 *Hispan.,* an dici possit, maxime cum haec sit consuetudo in hac Dioecesi?

Resp. Abstractione facta a Decreto d. 18 Aug. 1802 (*Hispan.*) quod invenire non potui, respondeo: in Orationibus a S. Sede approbatis vel indultis nihil addi, omitti vel mutari potest sine licentia S. Sedis; indultum vero particulare Provinciae ecclesiasticae S. Iacobi de Chile concessum, sine speciali indulto ad Dioeceses Hispanicas extendi nequit.

III. — In novis Rubricis statuitur, quod in Suffragio ad litteram N. exprimatur nomen Titularis, non vero Patroni. Cum vero Titularis huius Ecclesiae Metropolitanae sit Annuntiatio B. M. V., in Oratione *A cunctis* nominatur Patronus huius Dioecesis, S. Caecilius: an sequi possit haec consuetudo?

Resp. In Suffragio de Sanctis vel in Oratione *A cunctis,* ubi Ecclesia, vel Oratorium saltem solemniter benedictum, Titularem habet Sanctum iam nominatum, nempe vel B. Mariam Virg., vel S. Ioseph, vel Ss. Apostolos Petrum et Paulum, eo in casu non fit eius iterata nominatio, sed omittuntur *atque Beato N. (Vide Rubr. reform. Ordinarii ad Suffrag. de Sanctis).* Consuetudo vero nominandi in Oratione *A cunctis* ad litteram N. Patronum Dioecesis, retineri non potest, cum sit contra S. R. C. Decreta (v. gr. 23 Sept. 1837 ad 7. n. 2769), et nulla adsit ratio pro eius continuatione. — In Oratorio tamen publico vel privato, quod non habet Titularem, in Oratione *A cunctis* nominandus est Patronus Civitatis vel loci (S. R. C. 12 Sept. 1840 ad 1, n. 2814, et n. 2823 ad 3).

IV. — In Officio Defunctorum tam in die quam extra diem obitus decantatur Invitatorium et primum Nocturnum

(ut in Breviario) absque Laudibus; an haec antiqua praxis sequi possit?

Resp. Invitatorium cum Ps. *Venite, exultemus* dicendum est, quoties Officium ritu *duplici* peragitur (1), licet unus tantum Nocturnus dicatur, ac etiam quoties recitatur integrum Officium Defunctorum (Rubr. spec. Brev. et S. R.C. 9 Maii 1739 ad 2, n. 2344). — In exequiis pro depositione Defuncti, quando unicus recitatur Nocturnus, dicatur primus Nocturnus; in Officio autem Mortuorum extra diem obitus seu depositionis Defuncti, semper sumi debet Nocturnus Feriae occurrenti correspondens; et si dicatur horis Vespertinis, debet respondere Feriae qua canitur Missa (S. R. C. 6 Febr. 1892 ad 5 et 6, n. 3764, et 11 April. 1902 ad 2, n. 4095).

V. In Processionibus intra claustra, et in absolutione pro Defunctis, omnes tam parati quam non parati procedunt vel stant capite cooperto, exceptis in illis dum fit thurificatio, in hac dum dicitur *Kyrie* et Oratio tantum; an tolerari possit haec generalis consuetudo in hac Dioecesi?

Resp. 1°. Quoad *Processiones:* in iis, in quibus defertur Ss. Sacramentum vel Reliquia Ss. Crucis, omnes detecto capite incedere debent; in aliis vero Processionibus, in quibus deferuntur Reliquiae vel Statuae Sanctorum, tunc saeculares et Ecclesiastici, qui eas deferunt (ac Clerici assistentes Celebranti vel dirigentes Processionem), detecto capite; alii vero Clerici incedere possunt *extra* Ecclesiam tecto capite cum bireto (S. R. C. 2 April. 1667, n. 1352; 2 Sept. 1690 ad 1, n. 1841; 23 Sept. 1837 ad 6, n. 2769; 25 Sept. 1852 ad 5, n. 3002, et 23 Iulii 1897, n. 3961). *Intra* Ecclesiam in quibuscumque Processionibus omnes detecto capite incedunt, ex-

(1) Officium Defunctorum fit ritu *duplici* in Commemoratione omnium Fidelium Defunctorum in die obitus, die 3°, 7°, 30° et anniversario, etiam late sumpto, necnon quando accipitur nuntium de alicuius obitu, et quoties solemniter celebratur Officium (Rit. Rom., tit. VI, cap. IV, n. 1, edit. typica); in reliquis autem Officiis ritus semiduplex est adhibendus.

ceptis Celebrante et Ministris sacris, aliisque paratis qui caput tegunt, modo Ss. Sacramentum aut Reliquia Ss. Crucis non deferatur (Cf. Caerem. Episc. l. 2, c. 3, n. 1; De Herdt, *S. Lit. Prax.*, t. 3, n. 317, cum aliis ibid. cit.).

2. Quoad *absolutionem pro Defunctis:* iuxta Rubricistas, omnes capite detecto incedant ad tumulum, ibique stent, excepto Celebrante et probabilius etiam Diacono, qui incedunt ad tumulum capite cooperto; cum autem hi ibi venerint caput detegunt (Vide Martinucci, *Man. Ss. Caerem.*, l. 4, c. 10, n. 20 et 22 (1): Schober, *Caerem. Miss. solemn.*, art. 6, c. 4, nn. 2, 3 et 5; *Man. Liturg.* P. Victorii ab Appeltern, p. 349, etc.

VI. — In Capella regali Regum Catholicorum huius Civitatis antiqua est consuetudo celebrandi Officium et Missam *de Requie* anniversaria die obitus catholici Regis Ferdinandi V, scilicet, 23 Ianuarii, Festo S. Ildephonsi quod celebratur ritu duplici 2[ae] classis; an servari possit haec consuetudo, dignitate tanti Regis attenta, necnon ex eo quod eius corpus in praedicta capella sit tumulatum?

Resp. Indultum, Decreto «*Aucto*» S. R. C. d. 8 Iunii 1896 concesso, approbante Leone XIII, respicit tum Ecclesiam vel Oratorium publicum ac principale ipsius Coemeterii (separati tamen ab Ecclesia parochiali), tum *Sacella privata*, quae, Altari portatili munita, erecta sunt vel erigentur super alicuius sepulchro vel super sepultura membrorum cuiusdam familiae, seu Communitatis religiosae, etc. — Ibi Missae *de Requie* permittuntur diebus non impeditis a Festo duplici I vel II classis, a Dominicis, aliisque Festis de praecepto servandis, necnon a Feriis, Vigiliis, Octavisque privilegiatis. — Item anniversaria, seu Missae *de Requie* cum cantu, sive fundata a testatoribus pro die obitus aut alia determinata die, sive privata ad petitionem viventium, dummodo pro die obitus, prohibentur in omnibus duplicibus I et II classis, etc.

Hinc si eiusmodi Missa *de Requie*, de qua in casu, post-

(1) Edit. 2[a]. - In 3[a] edit., curante I. B. Menghini novissime vulgata, tit. I, cap. IV, art. III, iisd. numeris *(N. R.)*.

poni vel anticipari nequeat, melius est ut petatur indultum speciale a S. Sede.

VII. — An Capellanus saecularis monasterii Religiosorum uti debeat Missali Ordinis ipsius monasterii, et Missam celebrare iuxta Rubricas Missalis Romani? — Et si celebrare debeat cum Missali Romano, quid faciendum diebus in quibus Missae propriae Sanctorum Ordinis inveniantur tantum in Missali Ordinis?

Resp. Omnes et singuli sacerdotes, tam saeculares quam regulares, celebrantes Missam in aliena Ecclesia seu Oratorio (sive publico sive semipublico, si nempe ibi recolitur Officium ritus saltem duplicis, vel aequivalens, Missam privatam votivam vel *de Requie* excludens) omnino se conformare debent huic Ecclesiae vel Oratorio, sive illae Missae in Missali Romano sive in illo Regularium contineantur; exclusis tamen peculiaribus ritibus Ordinum propriis (Decr. *Urbis et Orbis* S. R. C. 9 Iulii 1895, approbatum a Leone XIII, 9 Decembr. 1895).

Ex quo sequitur, Capellanum saecularem, celebrantem in monasterio Religiosorum, proprium Kalendarium habentium, si ibi recolitur Officium respuens Missas votivas privatas et *de Requie,* Missam celebrare debere, conformem illi Ecclesiae vel Oratorio monasterii, utendo Missali huius Ordinis, si Missa sit Ordinis propria, exclusis tamen eius ritibus propriis.

VIII. — Preces in fine Missae ex mandato SS.mi Papae Leonis XIII recitandae, suntne omittendae in Missa Conventuali sive cantata sive lecta; an servari potest antiqua consuetudo in Ecclesiis quorumdam monasteriorum, easdem ex devotione recitare post Conventualem lectam?

Resp. Dicta consuetudo nullimode contraria est Decretis S. R. C. d. 7 Dec. 1888 ad 7, n. 3697 et 20 Iunii 1913, quia haec loquuntur verbis facultativis: Missae conventuales sine cantu *considerari possunt* veluti solemnes, quoad Preces etc. (n. 3697); aliqua similis Missa lecta *haberi potest* uti solemnis eique *applicari valent,* etc. (20 iun. 1913), sed pu-

tamus in praesenti esse potius iuxta mentem et spiritum S. Matris Ecclesiae (uti exposuimus in his Ephemerid. ann. 1913, p. 725), quod preces in casu omittantur, et consequenter haec consuetudo sensim est abolenda.

IX. — An in Sabbato Sancto intra Missam vel finitis Officiis administrari possit S. Communio in Ecclesiis ubi numquam haec consuetudo fuit?

Resp. Affirmative, vide Decretum S. R. C. 22 Mart. 1806, n. 2561, et 28 aprilis 1914, II, et Ephemer. Liturg., vol. III, p. 153, vol. XXVIII, p. 273.

X. — In quodam monasterio, ad s. Communionem ex devotione Sororibus infirmis administrandam, haec sequitur praxis: Capellanus locat Pyxidem ad fenestellam, et accepta Pyxide procedit comitantibus etiam Monialibus luminibus accensis ad habitaculum Sororis infirmae, ibique Communione sacra iuxta Rituale peracta, benedictionem cum Sanctissimo Sacramento impertit infirmae simulque Monialibus assistentibus. Quaeritur: an benedictio haec dari debeat Sorori infirmae? — Et si affirmative, an eadem benedictio repeti debeat in Altari Ecclesiae, ubi Sanctissimum Sacramentum reponitur, Monialibus (et etiam fidelibus quamvis hi non assistant) dictis *O Sacrum*, Versu et Oratione?

Praeterea non raro datur s. Communio Sorori infirmae (procedendo intra Claustra indicto iam modo), sed in Choro superiori Ecclesiae; debeatne hoc casu administrari iuxta Rituale pro infirmis, vel prout extra Missam?

Resp. 1°. Quando S. Communio *solis* Monialibus distribuenda est extra celebrationem Missae, et Chorus est retro post Altare vel ab Altari nimis distat, eo in casu Sacerdos debet post recitatum *Confiteor* deponere Pyxidem ad fenestellam Chori, et ibi ad Moniales conversus dicere *Misereatur vestri*, etc. (S. R. C. 6 Febr. 1892 ad 14, n. 3764, et 13 Iunii 1893, n. 3800).

2°. S. Communio licite administrari potest *intra Missam* in Xenodochiis (et consequenter etiam in monasteriis Monialium), *dummodo Altare e conspectu suo Celebrans non amittat*, neque tunc Psalmum Miserere interea recitet (S. R. C.

19 Dec. 1829 ad 1, n. 2672; vide Suffr. in IV vol., p. 313, et 3448, dub. 8). Eo in casu Minister *Confiteor* et Celebrans *Misereatur vestri* etc. dicere debent ad Altare more solito, non vero prope infirmum (S. R. C. 16 Nov. 1906 ad 4, n. 4193. — Insuper S. R. C. d. 7 Febr. 1874 (n. 3322) declaravit: nihil obstare quominus a Sacerdote deferatur *intra Missam* S. Communio in valetudinario ad infirmos sine velo humerali, et a duobus tantum candelas accensas deferentibus comitatus, etiam ad infirmos in aliquibus cubiculis, ex quibus, *etsi Altare non videatur, tamen vox Sacerdotis Celebrantis audiri potest*, dummodo tamen in delatione Ss. Sacramenti umbella omnino adhibeatur. Quo in casu etiam preces, a Rituali Rom. pro administranda S. Communione intra Missam praescriptae, ad Altare prius dicendae sunt.

3°. In administranda infirmis S. Communione, non per modum Viatici, servandae sunt tam extra quam intra cubiculum infirmi omnes Caeremoniae a Rituali praeceptae pro administratione Viatici, exceptis excipiendis (S. R. C. 13 Febr. 1892 dub. additionale 3, n. 3767). — Porro in administranda Communione infirmis Rituale Rom. (tit. IV, C. 4) inter alia praescribit: *a*) Ut, « facta de more confessione generali, sive ab infirmo, sive eius nomine ab alio, Sacerdos dicat: *Misereatur tui* etc. *Indulgentiam....: tuorum tribuat tibi* etc. ». — *b*) Post Communionem, dicta Oratione *Domine sancte*, etc., Sacerdos « accipiens vas cum Sacramento, facit cum eo signum Crucis super infirmum, nihil dicens.... » — *c*) « Cum pervenerint ad Ecclesiam, ponit Sacramentum super Altare, adorat, deinde dicit: ℣. *Panem de Coelo* etc. - *Dominus vobiscum* - Oratio *Deus, qui nobis* etc. Deinde annuntiat Indulgentias etc. - Postea cum Sacramento in pyxide velo cooperta faciat signum Crucis super populum, nihil dicens. Postremo illud in loco suo reponat ».

Ex praedictis satis liquet, in quo praefata praxis (de qua in casu) discedat a modo a S. Sede praescripto pro Communione infirmis distribuenda.

XI. — Iuxta Caeremoniale Episcoporum in divinis Of-

ficiis, quae praesente Archiepiscopo celebrantur, genuflectere coram ipso debent Ministri ante eum transeuntes, exceptis Canonicis. In hac Cathedrali Ecclesia non fuit consuetudo haec, sed nunc hoc faciunt ministri inferiores tantum. *Quaer.*: debentne etiam coram ipso genuflectere ceteri ministri tam in Altari dum Officium Diaconi vel Subdiaconi peragant, quam in Choro, beneficiatis non exceptis?

Resp. Beneficiati et ceteri, qui non sunt de gremio Capituli tam ante Altare, quam ante Episcopum sive pontificaliter, sive Cappa, seu Mozzeta indutum genuflectere debent, licet a longo tempore invaluisset usus solummodo caput et humeros inclinandi (S. R. C. 9 Maii 1857, n. 3046).

P. V. ab A.

Appendix

ad Caeremoniale Parochorum

(Continuatio. Vide n. 4, curr. anni pagg. 315-319)

17\. Cum antiphona post *Magnificat* repetitur, omnes sedent, et caput cooperiunt. Interim ceroferarii cum candelis accensis, et pluvialistae, qui in presbyterii scamnis consistunt, accedent ad celebrantem, cum debitis altari et ipsi celebranti reverentiis, uti ad capitulum, et consistunt infra orationem, sive orationes. Oratione cantata, duo ultimi assistentes ad medium chori ante altare accedunt (interim ceroferarii, factis debitis reverentiis, discedunt et redeunt in medium altaris, ubi genuflectunt et in loco suo reponunt candelabra), factaque ibi genuflexione, iidem pluvialistae versiculum orationis, si unica dicenda sit, necnon *Benedicamus Domino* decantant, atque iterata genuflexione coram altari, denuo ad celebrantem se conferunt.

18\. Si autem commemorationes faciendae sunt, ceroferarii apud celebrantem usque ad ultimam orationem consistunt; antiphonae a cantoribus concinuntur, vel a toto choro, versiculi autem a duobus cantoribus cottis indutis canendi sunt (DD. 235, 4039[4]), si duo tantum pluvialistae adsunt; si autem quatuor vel sex assistunt, versiculos omnium commemorationum duo ultimi pluvialistae cantant, qui hoc in casu, cantato *Benedicamus Domino*, tandem ad celebrantem redeunt.

19\. Celebrans, expletis orationibus cum suis conclusionibus, ac eodem loco dicto voce remissiori *Fidelium animae* etc., prosequitur secreto *Pater noster*, et voce mediocri subiungit *Dominus det nobis suam pacem;* responso a choro *Et vitam aeternam. Amen*, ipse celebrans incipit eadem voce mediocri antiphonam finalem stans ibidem, seu genuflectens, stantibus pariter vel genuflectentibus omnibus, pro ratione temporis, quam postea submissa voce prosequitur; et in fine eadem voce versiculum, orationem et *Divinum auxilium* etc. dicit.

20. Assistentes apud celebrantem remanent (1), et ad antiphonam finalem cum eo et choro vel stant vel genuflectunt, pro ratione temporis, non tamen assurgunt, quando celebrans, antiphona finali flexis genibus expleta, pro dicenda oratione surgit.

21. Dicto a celebrante *Divinum auxilium* etc., surgentes, cum ipso chorales, qui item surrexerint, salutant, atque ad altare accedunt, ubi facta debita reverentia altari, discedunt iuxta Caerem. episcop., vel iuxta laudabilem praxim, in infimo gradu genuflectunt et orationem *Sacrosanctae* etc. secreto recitant, nisi alia sacra functio statim sequatur: tandem ad nutum caeremoniarii assurgentes repetunt simul cum celebrante coram altari debitam reverentiam, et capite cooperto, manibus iunctis, eodem ordine in sacristiam redeunt, quo venerant.

Notae.

a) Si vesperae celebrantur in altari in quo ss. Sacramentum non asservatur, cum thurificatio ad ipsum altare sit praeceptiva (2), etiamsi vesperae celebrentur a simplici sacerdote, scilicet, sine assistentibus (DD. 915^{3}, 1322^{1}, 3110^{6}, 3410^{1}), hic ritus, iuxta cl. Schober, asservatur:

Acolythi infra antiphonam, quae ante *Magnificat* intonatur, candelabra accipiunt et pergunt ad finem presbyterii, quos praecedit thuriferarius cum thuribulo et navicula. Celebrans, cantico *Magnificat* intonato, discedit de loco suo cum duobus primis pluvialistis, et pergit in medium altaris; alii vero pluvialistae ei se coniungunt hinc inde. Altari et choralibus reverentia facta, pluvialistae bini et bini sequuntur ceroferarios, deinde celebrans in medio duorum pluvialistarum, et cooperto capite accedunt ad altare ss. Sacramenti. Postquam eo pervenerunt, genuflectunt ante infimum gradum. Celebrans cum duobus primis plu-

(1) Si ad antiphonam finalem genuflectendum est, iuxta consuetudinem ecclesiae, assistentes cum celebrante, iam durante *Pater noster*, ad altare reverti, ibique in infimo gradu genuflexi usque ad finem manere possunt. Facta tunc coram altari debita reverentia, et dicto ℣. *Dominus det nobis etc.*, celebrans ibidem in infimo gradu genuflexus inchoat antiphonam praefatam, eamque simul cum choro prosequitur; ad orationem cantandam surgit, et dicto ℣. *Divinum auxilium etc.*, iterum in infimo gradu genuflectit pro recitanda oratione *Sacrosanctae etc.*

(2) Videtur tamen haec incensatio esse adhibenda tantum occasione solemnitatis. In nulla ecclesiarum, etiam maiorum basilicarum, in singulis dominicis et festis ad altare ss. Sacramenti thurificandum acceditur, nisi solemnioribus diebus occurrentibus; servetur igitur consuetudo, attento praesertim D. 915^{3}.

vialistis ascendit ad altare, et illud solus in medio osculatur, imponit incensum et thurificat altare, interim recitans *Magnificat*, si adsit consuetudo. Post thurificationem huius altaris eodem ordine omnes revertuntur ad chorum (1), et praemissa choralibus reverentia, celebrans cum pluvialistis ad altare accedit, reverentiam facit, cum duobus primis pluvialistis ad altare ascendit, et illud solus osculatur; deinde, quin incensum iterum imponat, altare chorale thurificat, ut supra dictum est.

b) Si immediate post vesperas fiat benedictio vel processio cum ss. Sacramento, primo pluvialistae, pluviali tantum induto, non licet ostensorium ponere vel deponere, sed alius sacerdos seu diaconus cum cotta et stola ponere vel deponere ostensorium cum ss. Sacramento debet (D. 2528[1]).

c) Quando expositio et benedictio ss. Sacramenti immediate sequitur vesperas solemnes, nec celebrans recedit a presbyterio, ipse potest induere stolam cum pluviali ab initio officii. Et si processio cum ss. Sacramento immediate subsequitur vesperas, cum paramentis rubris vel viridibus cantatas, cum iisdem illa fieri debet (D. 4269[12, 13]).

d) Si vesperae coram Sanctissimo exposito celebrandae sunt, reliquiae vel statuae sanctorum ad ornatum ad altare non collocantur, neque crucem apponi necesse est. In loco eminentiori parabitur thronus cum baldachino, et in basi ipsius corporale extendetur. Ad minus sex cerei super altaris candelabris accendi debent; sed attendendum est decret. n. 4257[4], scilicet, *Ad Ordinarium* (recurrendum), *servatis Decretis*. Laudabiliter, duodecim vel plures candelae accenduntur (D. 1992). Celebrans induit quoque stolam, si in fine vesperarum expositio fiat et benedictio cum eodem Sanctissimo impertiri debeat; et ob solam incensationem Sanctissimi expositi ad *Magnificat* induere non debet (D. 4084[2]). Pro exponendo et reponendo ostensorio, caeremoniarius, si in ordine sacerdotii vel diaconatus constitutus, stolam suo temporea ssumet, secusa lius sacerdos vel diaconus superpelliceo et stola indutus. Celebrans cum assistentibus et reliquis ministris, quum ante altare advenerint, facta prius ab omnibus ge nuflexione in plano, celebrans et pluvialistae in infimo

---

(1) Si erit incensandum aliud altare, iuxta decret. S. R. C. n. 3547, eadem se gerent ratione, exceptis genuflexionibus et thuris impositione.

gradu genuflectunt, caeremoniarius vel alius sacerdos imposita sibi stola exponit Sanctissimum more solito; quo facto, celebrans incensum administrat et ss. Sacramentum thurificat. Incensatione peracta, omnes adhuc genuflexi orationem praeparatoriam secreto recitant; deinde ad sedes suas se conferunt, praemissa genuflexione unico genu super infimum gradum. Si vero Sanctissimum ante vesperas iam sit expositum, celebrans cum omnibus ministris, simul atque in conspectu eius advenerint, caput detegunt; ante ipsum vero altare utrumque genu simul flectunt, addita mediocri reverentia corporis; mox assurgentes, in infimo gradu genuflexi, orationem praeparatoriam recitant; qua finita recedunt ad sedes, praemissa simplici genuflexione super infimum gradum. Similiter faciendae sunt genuflexiones ante et post incensationem altaris. Vesperae celebrantur ritu consueto; omnes tamen salutationes choralium in accessu et recessu ab ipso, assistentium et ceterorum ministrorum erga celebrantem omittuntur (D. 2544), exceptis tantummodo iis reverentiis, quae ad proprium ritum pertinent, ex. gr. quae singillatim faciendae sunt a praeintonante et thurificante. Alia altaria in huiusmodi vesperis numquam incensantur, multo minus imago aliqua extra altare posita (D. 2185[2]).

CAPUT VII.

De expositione et benedictione ss. Sacramenti.

ARTICULUS I.

Praenotiones.

1. Distinguendum est inter simplicem benedictionem cum ss. Sacramento et expositionem proprie dictam. Simplex benedictio cum ostensorio consistit in repositione ostensorii super altaris mensa (1), in incensatione, in cantu *Tantum ergo* cum suo ℣. et oratione, in ipsa benedictione, et in repositione in tabernaculo; ita ut celebrans toto tempore quo Sacramentum extra

(1) Habenda est quoque tamquam simplex benedictio, licet praemittantur nonnullae preces in honorem alicuius sancti aut b. Mariae virginis, puta in novendialibus vel triduis.

tabernaculum manet, altare non deserat, ideoque rubrica tum ritualis tum caeremonialis episcoporum, non in throno, sed super altare collocandum ostensorium praescribunt. Expositio autem consistit in solemniori ritu quo ss. Sacramentum adorationi fidelium per notabile tempus proponitur, scilicet tota die, vel aliquibus horis, quae consuetudo retineri potest (D. 3124[5]), ita ut celebrans, facta expositione, ab altari recedat. In casu, tum ratione maioris solemnitatis, tum quia altare manet sine suo ministro, decet ut Sacramentum in throno cum luminibus hinc inde accensis collocetur, non vero simpliciter super altare.

2. Procul dubio thronus expositionis in altare permanenter non est retinendus, nam, ut plurimum, impedit quominus suo loco digniori et eminentiori, inter candelabra crux cum imagine Crucifixi statui queat. Et sane, ut vidimus, nulla lex praescribit appositionem throni pro simplici benedictione cum ss. Sacramento, imo rubrica tum ritualis tum caeremonialis illum excludit; thronus enim non requiritur nisi pro solemni expositione per aliquod tempus; ergo cum huiusmodi expositiones rare in eadem ecclesia fiant per annum; liquido patet, quod continua permanentia throni super altare, tempore vesperarum, missarum solemnium, necnon et pontificalium, est verus abusus, omnino removendus a rectoribus et custodibus, et ab ecclesiarum inservientibus ad parcendum labori excogitatum.

3. Hac de re opportunissime S. R. Congregatio, decreto 27 maii 1911 ad IV, aperte declaravit: *Non licere super tabernaculum erigere thronum, seu parvum ciborium fixum pro expositione ss. Sacramenti, sed debere erigi thronum tantummodo propter expositionem, et amoveri post ipsam* (Decr. auth., n. 4268). Ergo, ne rubrica missalis, quae exigit magnam crucem inter candelabra altaris, perpetuo contemptui habeatur, ecclesiarum rectores debent omnino praescribere suis clericis, ut thronus, peracta expositione, ab altari amoveant, imo ne pro simplici benedictione illud in altari ipso apponant.

(Continuabitur).

Appendix.

S. CONGREGATIO RITUUM

I.

DECRETUM

De orationibus servos Dei cum sanctitatis fama defunctos respicientibus.

Proposito sacrorum Rituum Congregationi dubio: « An Orationes quae Domino Deo diriguntur ad gratias impetrandas ob intercessionem Servorum Dei qui cum sanctitatis fama decesserunt, indigeant venia episcopi, ut imprimi ac inter fideles diffundi valeant? », sacra eadem Congregatio respondendum censuit: *Affirmative* ad normam Constitutionis *Officiorum et munerum;* attamen ad tramitem et mentem decretorum S. R. et U. Inquisitionis et sacrorum Rituum Congregationis Episcopus abstinere se debet ab eisdem orationibus commendandis ac praesertim indulgentiis ditandis.

Atque ita rescripsit die 21 martii 1914.

Fr. S. Card. MARTINELLI, *Praefectus.*

L. ✠ S.

† PETRUS LA FONTAINE, Ep. Charystien., *Secret.*

II.

DECRETUM

adprobationis editionis typicae Ratisbonensis Breviarii Romani.

Cum Pontificia Commissio per chirographum Ss.mi D. N. Pii PP. X die 2 iulii 1911 instituta ad novum Psalterii ordinem in Breviario Romano disponendum et retractandas congruenter eidem ordini Rubricas, ipsi Ss.mo Domino nostro retulerit in Ratisbo-

nensi editione Breviarii Romani, in quatuor partibus divisa, esse omnia disposita et impressa ad normam Bullae *Divino afflatu* et Motu proprio *Abhinc duos annos* ac consequentium Decretorum, sacra Rituum Congregatio, de mandato Ss.mi Domini nostri, ipsam editionem uti typicam habendam esse decernit, cui reliquae omnes editiones conformandae erunt, quaeque in posterum prorsus immutata manebit, donec praesidio optimorum codicum et veterum monumentorum absolutis omnibus, quibus perficiendis longius tempus requiritur, nempe textu sacro recognito, lectionibus historicis emendatis hymnisque revisis, Patrum et Doctorum homiliis et sermonibus ad veram lectionem revocatis, extremam manum operi adponendam Sedes Apostolica iusserit.

Ex Secretaria S. R. C. die 25 martii 1914.

Fr. S. Card. MARTINELLI, *Praefectus*.

L. ✠ S.

† PETRUS LA FONTAINE, Ep. Charyst., *Secretarius*.

Sacra Rituum Congregatio, collatis cum editione typica F. Pustet, in quatuor partes divisa, editionibus ceterorum Typographorum ipsius S. R. C., nempe Desclée et Soc., A. Mame, H. Dessain et P. Marietti, eas iuxta typicam diligenter dispositas reperit, et die 27 martii adprobavit.

BIBLIOGRAPHIA

Sac. Prof. VINCENZO TIROZZI, Cerimoniere Vescovile di Aversa — **La Sacra Ordinazione** — Aversa: L. 1,50.

Abbiamo detta a suo tempo la nostra parola di plauso al Rev.mo Prof. Tirozzi pel suo breve cerimoniale concernente la **Consacrazione e Dedicazione della Chiesa**; quindi di nuovo per l'opuscolo intitolato la **Consacrazione di un Vescovo**; ed oggi, dopo il lasso di cinque mesi, o poco più, siamo invitati a felicitarci la terza fiata con lui pel novello lavoro liturgico la **Sacra Ordinazione**. Il ch. Autore non è lungi dal vero scrivendo nel proemio del nuovo suo libro, che, per quanto a prima vista possa parer facile ed agevole cotesta materia, è in realtà molto complessa e difficile, vuoi riguardata dal lato giuridico, vuoi dal lato liturgico, per i tanti e svariati decreti che in ogni tempo furono emanati, e per la disparità de' pareri di autori anche recenti, che vanno, magari, per la mag-

giore nel campo delle questioni liturgiche. D'altra parte conveniva, soggiunge il ch. Autore, che si fosse per così dire pubblicato un testo completo di tutta la parte teorica e pratica riguardante le sacre Ordinazioni: giacchè è necessario confessare, che non in tutte le cattedrali si vede rigorosamente e uniformemente osservato il Pontificale Romano e non è a tutti guari nota la pleiade de' decreti posteriori emanati dalle sacre Cong.ni Romane... Per fissare adunque la regola certa e sicura nel conferimento di sacri Ordini, l'A. è venuto esponendo per sommi capi, nella prima parte del suo opuscolo, ciò che riguarda la quistione storico-canonico-teologico-liturgica, sia in ordine alle facoltà de' Vescovi, sia in rapporto a' singoli Ordini in particolare; svolgendo la genesi e la storia degli Ordini in genere e di ciascuno di essi in ispecie; spigolando in fine con solerte pazienza e compendiando i principali e più recenti decreti del sant'Ufficio in ordine alla nullità o liceità o validità dell'Ordinazione; cosa di precipua importanza, e, purtroppo, da non pochi ignorata o negletta. La prima parte adunque, a detta del sullodato A., è come un prontuario di cose sommamente utili, che dovrebbero essere spesso riscontrate per l'esatto adempimento di una funzione di tanto rilievo. La seconda parte è tutta rituale e pratica. Vi si svolge in primo luogo il processo della *Ordinazione generale privata senza canto e senza solennità*, con opportuni riflessi, a maggior chiarezza e sollievo di spirito. Segue la esposizione dell'*Ordinazione solenne e con canto*; ed in ultimo l'*Ordinazione privata del Sabato Santo*, che differisce, come ognun sa, da quelle che si compiono ne' quattro tempi. Noi, che in particolar modo siam consapevoli delle difficoltà che pullulano, ci si passi l'espressione, in materia così complessa, salutiamo con vivo trasporto l'apparire di cotesto lavoro, elaborato e diligentato quanto non potevasi sperare di più. Facciamo quindi un caldo appello agli Ecc.mi Ordinari, nonchè ai Rev.mi Rettori di Seminari, a' Cerimonieri ed Ordinandi di provvedersi dell'accennata opera, dietro la cui scorta si è bene in grado di vedere eseguite le sacre Ordinazioni e de' quattro tempi dell'anno e di quei fuori degli assegnati, non pure senza ombra di ansietà, per tema di qualche errore in materia di sì alto momento, ma altresì con piena sicurezza e spigliatezza di pratica, la quale non v'è chi nol vegga, quanto concorra allo splendore dell'augusta funzione, al fervore dello spirito nei singoli candidati agli Ordini, e al risveglio della fede negli assistenti sia del clero sia del semplice laicato. L'opera sullodata non è così voluminosa come qualcuno potrebbe immaginare; essa consta di 148 pagine appena; ed in sì limitato numero di pagine, è ben sorprendente, vi si riscontra ogni quistione del genere sviluppata con pienezza di dottrina, con sodezza di prove e con lucidezza di esposizione. Con l'apparizione di questo recente lavoro, che compie per così dire, giusta la felice espressione dell'Ecc.mo Vescovo Mons. D. Settimio Caracciolo de' Principi di Torchiarolo, il ciclo di uno studio fino ad ora non abbastanza trattato exprofesso e in forma popolare, ci auguriamo che l'esimio Autore si apra la via a novelli lavori; e a noi, affermiamo il nostro proposito, non tornerà mai discaro di fargli pervenire il plauso dell'animo nostro grato e riconoscente.

PIETRO M. DE AMICIS
Prete della Missione

PROPRIETAS LITERARIA

IMPRIMATUR
Fr. ALBERTUS LEPIDI O. P., S. P. A. Magister.
IMPRIMATUR
FRANCISCUS FABERJ, Vicariatus Urbis *Adsessor*.

AUGUSTUS ZUCCONI, Director Domus editricis Desclée et Soc., Romae, *Sponsor*.
Ex Officina Polygraphica Latiali, Fratrum Tempesta, Via Boccaccio, 7 - Roma

Acta Sanctae Sedis
sacram Liturgiam spectantia.

SACRA CONGREGATIO RITUUM

I.

DECRETUM

adprobationis et concessionis circa Officia et Missas de Communi plurium confessorum Pontificum vel non Pontificum et plurium Virginum vel non Virginum.

Quum in Kalendariis particularibus aliquoties duo vel tres Sancti aut Beati sub eodem Communi descripti, eadem die et sub eodem ritu ita occurrant, ut unico Festo, Officio et Missa sint recolendi ad normam decreti 28 octobris 1913, humiles enixaeque preces ab eiusmodi Kalendaria habentibus sacrae Rituum Congregationi porrectae sunt, ut pro his casibus nova Officia cum Missis de Communi, praeter cetera iam exsistentia, conficere atque adprobare vellet, in Propriis particularibus opportune inserenda. Sacra porro ipsa Congregatio his votis precibusque indulgens, facto verbo cum sanctissimo Domino nostro Pio Papa X, quatuor Officia cum Missis de Communi, nempe plurium Confessorum tam Pontificum quam non Pontificum itemque plurium tam Virginum quam non Virginum concinnanda curavit; atque, opere diligenter

absoluto et reviso, eiusdem sanctissimi Domini nostri auctoritate probavit. Potestatem insuper fecit R.mis Episcopis aliisque locorum Ortinariis ac Superioribus cuiusvis Ordinis, Congregationis seu Instituti Kalendarium particulare habentis, suprarelata Officia et Missas de Communi iuxta prudens eorum iudicium, respectivis Propriis adprobatis inserendi, et semel pro semper ecclesiis, clero aliisque personis ad divinum Officium recitandum adstrictis ac subditis concedendi, iubendi ac praeceptiva declarandi in enunciatis Festis, sive ex integro, sive pro ea parte quae de Communi sumenda est, si altera propria habeatur. Pro clero autem saeculari almae Urbis sacra eadem Congregatio, de mandato ipsius sanctissimi Domini nostri, eadem Officia praeceptive adhibenda esse declarat.

Contrariis non obstantibus quibuscumque; etiam speciali mentione dignis. Die 22 maii 1914.

Fr. S. Card. MARTINELLI, *Praefectus*.

L. ✠ S.

† Petrus La Fontaine, Ep. Charyst., *Secretarius*.

Commentarium.

Nulla declaratione indiget huiusmodi decretum, cum per se pateat. Communia enim, a S. R. C. proposita et adprobata, in praecepto non sunt, ideoque in illis ecclesiis adhibenda erunt, pro quibus Ordinarii, vel Ordinum Regularium Superiores, in proprio respectivo inseri mandabunt.

Quia vero aliquando occurrere potest quod alicubi iam habeantur nonnullae partes propriae, pro festis plurimorum confessorum (puta Tarvisii in festo ss. Florentii et Vindemialis Episcoporum et Confessorum) hinc in hoc decreto

dicitur, quod, in casu, sumi poterunt tantummodo partes deficientes, ex. gr. Responsoria, et Hymni.

Ut plurimum, iuxta novissimas rubricas, pro festis necessariae sunt tantummodo aliquae partes divini officii, nempe Capitula, Hymni, Antiphonae ad *Magnificat* et *Benedictus*, Responsoria et Lectiones iij nocturni; cum vero alicubi plures simul Confessores vel Plures Virgines (uti Bosae in Sardinia) Patroni esse possint, integrum officium, cum antiphonis et lectionibus novem pro matutino, paratum fuit.

Iis ergo in locis, in quibus Ordinarii inducere volunt huiusmodi communia, nos arbitramur ipsa adhiberi posse etiam in festis ss. Perpetuae et Felicitatis, VII Fundatorum, et ss. Cyrilli et Methodii, pro partibus non propriis.

Ceterum, cum in novo proprio pro Clero romano, nonnulla habeantur festa plurimorum confessorum, Summus Pontifex disposuit ut usus communium istorum esset de praecepto, pro eodem clero.

Dr. P. P.

II.

DECRETUM

circa Festa propria, quae in aliquibus Religiosorum provinciis, conventibus, monasteriis aut domibus speciali ratione recoluntur.

Ut debitae uniformitati in Ordinibus et Congregationibus religiosis quoad rem liturgicam consulatur, et quaedam incommoda, quae ex reformatione Kalendariorum generalium in Religiosorum provinciis, conventibus, monasteriis aut domibus oriri possunt, propulsentur, sacra Rituum Congregatio, audito suffragio Commissionis pro ordine psalteriali reformando constitutae, sequentia statuere censuit:

I. Festa Sanctorum Ordinis seu Congregationis, in ecclesiis coenobii, monasterii aut domus, in quibus obierunt, vel eorum corpus aut insignis reliquia asservatur, sub ritu Duplici secundae classis recolantur. Festis vero Beatorum, sive solemniter sive aequipollenter beatificationis honores adepti sint, ritus duplex maius, in casu exposito, tribuatur: ritu tamen duplici minori assignato Festis Beatorum huiusmodi pro reliquis eiusdem religiosae provinciae conventibus, monasteriis seu Domibus, quatenus in Ordinis seu Congregationis Kalendario eis ritus tantummodo Semiduplex aut Simplex fuerit adscriptus. Servatis tamen legibus de occurrentia et concurrentia, et abolito, in casibus expositis, ritu superiori, sicubi fuerit concessus.

II. Festa Sanctorum Ordinis seu Congregationis, qui sive in tota Ecclesia sive in universo Ordine aut Congregatione extra diem obitus celebrentur, in die assignata iugiter recolantur, etiamsi eisdem Festis ritus altior competat et qualitas Titularis propriae ecclesiae vel Patroni religiosae provinciae accedat; servata tamen uniformitate cum clero saeculari, quoties ab hoc iidem Sancti qua Patroni locorum principales, vel ecclesiarum cathedralium Titulares extra diem pro tota Ecclesia vel pro universo Ordine aut Congregatione assignatam, celebrentur, ut uniformitas inter utrumque clerum habeatur.

III. Festa Sanctorum Ordinis aut Congregationis, qui Patroni locorum principales vel cathedralium ecclesiarum Titulares sint, a Religiosis utriusque sexus eiusdem Ordinis aut Congregationis ibidem sub ritu

Duplici primae classis cum Octava, uti a clero saeculari, recolantur. Item si Festa Sanctorum vel Beatorum Ordinis aut Congregationis ritu superiori a clero saeculari alicuius dioecesis aut loci recolantur, ibidem etiam a Religiosis utriusque sexus eiusdem Ordinis aut Congregationis eodem ritu superiori celebrari poterunt, dummodo in dioecesi vel loco eadem die de huiusmodi Sanctis vel Beatis fiat Officium, qua fit in Ordine aut Congregatione.

IV. Festa Beatorum, etiam sicubi sub ritu altiori, quam apud Ordinem universum aut Congregationem, celebrentur, in die quo apud Kalendarium generale Ordinis aut Congregationis inscribuntur, inviolate recolenda sunt, et a Sociis minime separentur; attamen Beati proprii nomen et gesta, quae seiuncta sint, nomini et gestis Sociorum praeferantur.

V. Si Festa Sanctorum aut Beatorum Ordinis vel Congregationis, quae hucusque in die obitus et cum magno populi concursu agebantur, in posterum, ob Kalendarii reformationem, extra eamdem diem celebranda sint; poterit Superior generalis permittere ut in ecclesiis conventuum, monasteriorum aut domorum, in quibus iidem Sancti aut Beati obierunt, vel eorum corpus aut insignis reliquia asservantur, unica Missa cantata et alia lecta more festivo de iisdem in praefato die obitus celebrentur, dummodo non occurrat Festum Duplex primae classis, aut aliquod ex Officiis Duplicia primae classis impedientibus.

Atque haec omnia sacra eadem Congregatio, facto verbo cum Sanctissimo, ab Ordinibus et Congregationibus religiosis utriusque sexus, quae Romano

utuntur Breviario, servanda mandavit. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Die 22 maii 1914.

Fr. S. CARD. MARTINELLI, *Praefectus*.

L. ✠ S.

† Petrus La Fontaine, Ep. Charysten., *Secretarius*.

Commentarium.

Ad. I. Opportunissime latum est decretum hocce, nam ut plurimum, statim ac aliquis servus Dei inter beatos recensetur, Ordinum Superiores pro ecclesiis ubi corpus eius custoditur, festum eius sub ritu duplici 2 classis expetebant....

Cum autem cultus beatorum semper in ecclesia moderatior fuerit quam cultus sanctorum, ritus duplex 2 classis, visus est incongruus pro festis beatorum. Item, cum etiam parum conveniat quod Sancti alicuius Ordinis, in toto recolantur sub ritu classico, nisi illi qui principales et illustriores sunt, ne numerus duplicium 2 classis nimis excrescat in praeiudicium officii Dominicarum (1), per hoc decretum statuitur quod deinceps reducatur ritus festorum, tum in honorem Sanctorum, tum in honorem Beatorum Ordinum Regularium, hoc modo:

---

(1) Apud Fratres Conventuales ritu classico celebrabantur festa sequeutia, praeter ea quae in calendario universali habentur:

Ritu 1 classis 1. S. Franciscus Assis.; 2. S. Clara; 3. S. Dominicus; 4. Titularis cuiusvis Provinciae. Ritu vero duplicis 2 classis 1. Ss. Redemptoris; 2. Viae Dolorosae b. Mariae; 3. Dedicatio basilicae S. Mariae Angelorum; 4. VII Gaudiorum b. Mariae; 5. Stigmatum S. Francisci; 6. Oo. Sanctorum Ordinis; 7. Ss. Bernardi et soc. Mm.; 8. Margaritae de Cortona; 9. Petri Regalati; 10. Bernardini Senensis; 11. Antonii Patavini; 12. Bonaventurae; 13. Ludovici Ep.; 14. Ludovici Reg.; 15. S. Rosae Viterb.; 16. Iosephi de Cupertino; 17. Danielis et soc. Mm.; 18. Petri de Alcantara; 19. Agnetis Assis.; 10. Elisabeth Vid.

a) Ritu *duplici 2 classis* honorentur Sancti Ordinis, in ecclesia tantummodo in qua conditur corpus, vel aliqua insignis reliquia, etiam in conventibus in quibus supremum diem obierunt; non vero extra ipsas ecclesias vel conventus.

b) Ritu *duplici maiori* recolantur Beati alicuius Ordinis, in ecclesiis tantum, ubi adservatur corpus vel insignis reliquia, et in conventibus in quibussu premum diem obiit.

c) Ritu *duplici minori* recolantur Beati in conventibus totius provinciae, ad quam pertineat ecclesia ubi adservatur corpus, vel conventus ubi obiit: dummodo iidem Beati in calendario totius Ordinis inscripti sint sub ritu semiduplici vel simplici.

Quod si alicubi vel Sancti, vel Beati Ordinis alicuius, celebrati fuerint sub ritu maiori quam supra expressus est, antiquae concessiones abrogantur, et deinceps omnino huiusce decreti dispositiones servandae erunt.

Excipe tamen casum, quo aliquis Beatus ante S. Pium V honores habuerit Patroni principalis, uti accidit in Oppido Podiibonitii in Thuscia, ubi celebratur sub ritu 1 classis cum octava et quidem cum feriatione, eo quod ratione patronatus, dispositiones huius decreti applicari nequeunt.

Ad II. Accidit saepe saepius tam in calendario universalis ecclesiae, quam in calendario generali alicuius Ordinis Regularium, quod aliquis sanctus celebretur extra diem suum natalitium; puta s. Maria Magdalena de Pazzis quae in calendario universalis ecclesiae celebratur die 29 maii (et antequam ad totam ecclesiam extensum esset festum s. Bedae, die 27) ibi assignatum a die sua natalitia 25, impedita a s. Gregorio vij. Item apud Franciscales celebratur s. Laurentius a Brundusio die 7 iulii qui obiit 22 Iunii.

Usque adhuc in ecclesia propria, vel in qua habebatur reliquia insignis, festa huiusmodi celebrabantur, non in die assignata, sed in natalitia. Hodie vero, vi huius decreti, etiam in ecclesiis propriis, sive ratione Tituli, sive ratione Patronatus, sive ratione reliquiae, in dictis ecclesiis propriis celebrari debent eadem die, qua celebrantur, vel in calendario universali vel in calendario generali Ordinis.

Ratio huius est, ne subvertatur ordo calendarii generalis, et ut una eademque die quilibet sanctus honoretur in toto Ordine.

Excipitur tantummodo casus, quo in aliqua civitate vel dioecesi aliquis sanctus Ordinis celebretur in sua die natalitia (aut alia die diversa), quia sit Patronus, seu Titularis Cathedralis; tunc enim etiam regulares in dicta civitate vel dioecesi degentes, celebrabunt Sanctum Ordinis eadem die cum clero saeculari, ut uniformitas habeatur, prout sequenti paragrapho declaratur.

Hinc si s. Laurentius a Brundusio, sit patronus loci, et ideo celebretur sua die 22 iunii, etiam Fratres Franciscales, dictum sanctum in natalitia die celebrabunt cum clero saeculari, non vero die assignata 7 iulii.

Ad III. Per se patet huiusmodi dispositio, nam si aliquis sanctus Ordinis alicubi maiori solemnitate recolatur a clero saeculari, vel quia Titulus Cathedralis, vel quia Patronus, procul dubio regulares eiusdem Ordinis eadem solemnitate Sanctum illum celebrabunt, ne videantur minori cultu recolere sanctos, proprios quam a clero saeculari. Hinc, ex. gr. in civitate et dioeoesi Netini in Sicilia, in qua est principalis Patronus s. Conradus Placentinus, Franciscales in eadem dioecesi degentes eumdem sanctum celebrabunt cum octava. Id disponit decretum istud.

Ad IV. Accidree potest quod aliquo in loco celebretur ritu superiori, quam in toto Ordine, aliquis Sanctus, qui simul cum iis ritu altiori recolatur, prout fit a clero saeculari. Quod si Sanctus de quo agitur, distinctam lectionem historicam habeat; tunc primo legatur in ij nocturno huiusmodi lectio, et postea aliae, et nomen ipsius praeponatur in Oratione aliis socis.

Casus iste facilius hodie dari potest. cum a S. R. C. adprobatae fuerint lectiones historicae compendiatae in festis plurium sanctorum confessorum. Ex. gr. apud Fratres s. Augustini die 23 iun. recolitur festum beator. Philippi a Placentia et Petri a Pisauro, Pisauri ergo ubi requiescit corpus

b. Petri a fratribus Augustinianis celebrandum erit idem festum, sub ritu tamen duplici maiori, et nomen ipsius b. Petri praeponendum erit in Oratione, ac lectio iv erit de illo, de b. Philippo.

Ad V. Mens est supremi iuris liturgici moderatoris, ut devotio populorum erga Sanctos, non solum non minuatur, sed debitis modis ac ritu imo augeatur. Attamen cum ad meliorem constructionem calendariorum, et etiam ad simplificandas leges, omnino congruat, ut certa die magis opportuna, sed diversa a natalitia nonnulla festa Sanctorum Ordinis celebrentur, si alicubi populus consueverit aliquem Sanctum recolere in sua die natalitia, ne huiusmodi consuetudo laudabilissima detrimentum patiatur, disponit decretum hocce, quod iis in locis, absque speciali recursu ad S. Sedem, Superior Ordinis possit permittere celebrationem missae solemnis, aut etiam unam lectam more festivo, in honorem illius sancti, in dicta sua die natalitia, in qua revera populus illum ipsum Sanctum hucusque colere consuevit.

Concluditur decretum cum declaratione, quod leges in eo contentae servari debeant ab omnibus Ordinibus religiosis et congregationibus utriusque sexus, quae utuntur Breviario Romano. Igitur Ordines illi, ex. gr. Praedicatores et Carmelitae antiquae observantiae, et Cistercenses ac Carthusiani et alii, si desiderant huiusmodi dispositiones accipere, facultatem petere debent a S. Sede.

Dubitari potest an et Benedictini ad hoc decretum observandum teneantur, necne; nostro iudicio ipsi tenentur; nam, licet breviario utantur diverso a romano, quoad Psalmorum dispositionem et numerum in diversis horis canonicis, nihilominus rubricae breviarii omnino sunt illae quae habentur in breviario romano S. Pii V.

Atqui, decretum istud, non respicit psalmodiam per se ipsam, sed regulas occurrentiae, et dispositionem calendarii, procul dubio hac ex ratione patres Benedictini ad decretum tenentur, quod dicimus salvo meliori iudicio.

Dr. P. P.

III.

DUBIA

Sacrae Rituum Congregationi sequentia dubia pro opportuna solutione submissa sunt, nempe:

I. Quodnam Officium sumendum sit a dioecesibus Galliae, quae hucusque Festum S. Genovefae Virg. in Kalendario dioecesano inscriptum non habebant,

II. Quodnam Officium item recitari debeat in Hispania pro Festis Ss. Fulgentii, Ildephonsi ac Leandri, utrum scilicet de Doctoribus, ut hucusque factum est, an de Communi Confessorum Pontificum,

III. Utrum Lectiones emendatae in Festis Ss. Felicis III Papae et Conf., Benedicti Iosephi Labre Conf., Felicis a Cantalicio Conf., Ioannis Baptistae de Rossi Conf., Hadriani III Papae et Conf., Rochi Conf., Hilari Papae et Conf. ac Eusebii Papae et Mart., necnon Bb. Urbani V Papae et Conf., Gasparis del Bufalo Conf., Ioannis Leonardi Conf. et Victoris III Papae et Conf., quae in Proprio Romano nuper adprobato habentur, sumi debeant vel possint ab omnibus dioecesibus seu institutis eadem Festa celebrantibus, quae magis proprias non habeant,

IV. Utrum in Propriis particularibus fas sit Lectiones historicas Festorum Ecclesiae universalis, quae in respectivis Kalendariis impedita ab Officio nobiliori, Commemoratione tantum pollent, contractas in unam redigere, uti factum est in praefato Proprio Romano.

Et sacra Rituum Congregatio, audito specialis Commissionis suffragio, omnibus perpensis, rescribendum censuit:

Ad I. Sumatur Officium adprobatum die 27 ianuarii 1853, et hucusque pro aliquibus locis ad calcem Breviarii adpositum,

Ad II. Nihil innovetur,

Ad III. Congruentius posse, sed non teneri; iuxta decisionem ab Ordinario seu Snperiore semel pro semper sumendam et in posterum observandam,

Ad IV. Affirmative et in casu Lectiones contractae a sacra Rituum Conggregatione postulentur.

Atque ita rescripsit, die 25 maii 1914.

Fr. S. CARD. MARTINELLI, *Praefectus.*

L. ✠ S.

Petrus La Fontaine, Ep. Charystien., *Secretarius.*

Commentarium.

Ad I. Desiderium est S. R. C. ut quoad fieri potest, de uno eodemque Sancto vel Beato, una tantum sit compositio lectionum historicarum. Nihilominus accidit quod nunnulli Sancti, diversis in locis honorantur cum diversis lectionibus propriis, antiquitus a respectivis Ordinariis adprobatis, quando, ante Pium V, cuique Episcopo pertinebat facultas ordinandi sacram liturgiam in propria dioecesi; hinc factum est, quod ex. g. de s. Genovefa habeantur, pro diversis ecclesiis Galliarum, diversae lectiones historicae istius sanctae, quae postea admissae fuerunt a S. R. C. in recognitione quam fecit propriorum dioeceseon sub Pio ix, quando scilicet, episcopi Galliarum valedixerunt breviariis dioecesanis, et breviarium acceperunt romanum.

Cum autem per decretum 1853 adprobatae fuerunt lectiones s. Genovefae et in appendice Breviarii romani editae, atque a maiore parte ecclesiarum adhibitae in festo ipsius,

opportune per hoc decretum S. R. C. declaravit, quod hae ipsae lectiones potius adhibeantur.

Ad II. Notum est quod in Hispania tribuitur titulus Doctoris sanctis Fulgentio, Ildephonso, a Leandro episcopis iam ab antiquis temporibus; cum autem revera inter doctores ecclesiae isti sancti numquam recensiti fuerint ab apostolica Sede, et cum in possessione sint huiusce tituli praedicti sancti apud quamplurimas ecclesias hispanicas, S. R. C. nihil esse innovandum rescripsit: ideoque, in dioecesibus in quibus huc usque tali titulo honorati sunt, et etiam officium de communi Doctorum pro ipsis adhibitum fuit, procul dubio id potest continuari.

Ad III. Nonnullae lectiones historicae pro Clero romano, contractae fuerunt aliquantulum, ideoque, ob rationem supra expositam uniformitatis, S. R. C. disponit ut, iis in locis, in quibus celebrantur Sancti, quorum lectiones contractae fuerunt, eaedem adhiberi possint; attamen ad hoc non tenentur Ordinarii *ex praecepto,* maxime si proprium dioecesanum iam sit editum.

Ad IV. Idem dicatur de lectionibus aliquorum Sanctorum ecclesiae universalis, quae contractae in unam fuerunt, ut pro ix lectione inservire possint. Episcopi vel Ordinum regularium Superiores, a S. Congregatione has ipsas contractas lectiones requirant, et obtinebunt. Scimus quod nonnullae dioeceses iam postularunt, et iam obtinuerunt huiusmodi lectiones, quae proinde in Proprio dioecesano suis locis edi poterunt, prouti editae fuerunt in Proprio Cleri Romani.

Dr. P. P.

Expositio Rubricarum.

COMMENTARIUM

in novissimas Rubricas iuxta Motu proprio SS. D. N. Pii Pp. X " Ab hinc duos annos „ et subsequens S. R. C. Decretum 28 Octobris 1913 emendatas.

(Continuatio. Vide num. 6 curr. anni, pagg. 321-340).

5. Quando plures fieri debeant Commemorationes, cauto quod in Vesperis semper fit prima Commemoratio de Officio concurrenti, cuiusvis ritus et dignitatis, si ea facienda sit iuxta Rubricas, tam in Vesperis, quam in Laudibus, hic ordo servatur: 1. de Dominica qualibet vel de Vigilia Epiphaniae; 2. de die infra octavam Epiphaniae, aut Corporis Christi; 3. de die Octava Duplici maiori; 4. de Duplici maiori; 5. de Duplici minori; 6. de Semiduplici; 7. de die infra Octavam Nativitatis Domini vel Ascensionis; 8. de die infra Octavam communem; 9. de Feria VI post Octavam Ascensionis; 10. de Feria maiori; 11. de Vigilia communi; 12, de die Octava simplici; 13. de Simplici (78).

(78) Ut regulae observandae in ordine commemorationum faciles ac simplices fierent, in novis rubricis datum fuit idem ius praelationis dominicis, tam maioribus, quam minoribus, ita ut, quando agitur de *mera commemoratione* differentium officiorum, praedictus ordo servandus sit.

Nam, aliud est ius habere ad vesperas, aliud ad com-

memorationem; officium, quod ius habet ad vesperas, licet de facto integras eas non obtineat, nihilominus partem in eis habet omnino, cuiuscumque sit ritus vel nobilitatis; hinc est propterea, quod tam in rubricis breviarii a Leone xiij reformatis, quam in novis istis, cautum fuit, ut in vesperis prima semper commemoratio agatur illius officii, quod revera in ipsis vesperis concurrat; servatis ergo iuribus duobus officiis concurrentibus, ceterae commemorationes non sunt nisi memoriae, ac proinde inter ipsas servatur ordo praescriptus. Licet ergo festa Domini praevaleant, tam in occurrentia quam in concurrentia, dominicis minoribus, nihilominus, quando de utroque officio agenda sit mera commemoratio, dominica quaevis praevalet semper in ordine commemorationum.

Hac ergo ratione, statuto ordine commemorationum in vesperis, nulla causa suadere poterat, ut diversus ordo servaretur in laudibus et missa, ac proinde in ordine posita est quoque vigilia, quae, uti notum est, in vesperis locum habere numquam potest.

Ad abundantiam posita fuit 9° loco feria vj post octavam Ascensionis, quia bene poterat subintelligi simul cum diebus infra octavas, quibus assimilatur, licet minoris sit nobilitatis.

Notandum tamen est, quod ex novissimis rubricis nunc dies octavus duplicium I classis, ritu gaudet duplici maiori, et festum duplex maius ei cedere debet, tam in occurrentia quam in concurrentia.

Huiusmodi regula nova est omnino, antiquitus enim dies octavus non erat nisi officium duplex, nullam habens praeferentiam super alia duplicia, nisi in occursu. Haec autem non dabatur, quasi dies octavus nobilior censeretur per se, quam cetera duplicia sive maiora sive minora, sed quia ex natura sua transferri nequibat, alioquin non amplius esset dies octavus, sed nonus, decimus etc. Ratione ergo huiusmodi *intransferibilitatis,* in occurrentia dies octavus praeferebatur, et festum duplex (etiam maius) quod poterat trans-

ferri, reapse transferebatur, tam in accidentali quam in perpetua occurrentia.

Communiter namque censetur quodcumque *festum* nobilius esse, quam dies octavus; festum enim existit per se, neque pendet ex alio quocumque; dies vero octavus, necessario pendet ex festo suo octavam habente, ex quo existentiam propriam expetit; porro, si sub hoc respectu aliqua deberet dari differentia, procul dubio festo duplici, non vero diei octavo, esset concedenda. Sanctus enim, vel Mysterium, de quibus celebratur octava, iam habuit proprium officium in die festo, et forsan etiam per octavam; minimum eidem obveniret detrimentum, si eius dies octavus solam haberet commemorationem, ob occursum accidentalem alicuius festi eiusdem ritus; maximum autem est damnum, si festum duplex cedere debeat diei octavo.

Videretur ergo quod hodie, cum iisdem legibus regantur tam festum duplex, quam dies octavus, quod attinet ad *intransferibilitatem*, diversa ratione considerari non deberent in relativa eorum praeferentia.

Et sane, ex cessatione iuris translationis, aliquod detrimentum procul dubio passa sunt duplicia maiora et minora; quae, sibi quoque, ablato iure paritatis cum die octavo, in peiori conditione posita sunt omnino; displicet ergo aliquibus, quod non fuerint servata, saltem in antiquo iure paritatis, prouti semper fuerunt. Attamen nunc lex, in novis hisce rubricis lata fuit, tota in favorem diei octavi; forsan quia ipse participat de nobilitate festi octavam habentis. Hac de re, rationem dabit quoque ut supra clarissimus P. Paschalis Brugnani in suo opusculo, quod promisit.

Itaque hoc modo ordinandae erunt commemorationes in officiis pro diverso eorum ritu:

IN DUPLICIBUS I CLASSIS.

Ad I Vesperas:

de alio duplici I classis praecedenti;

de duplici 2 classis praecedenti;

de dominica quacumque;

de praecedenti die octava Epiphaniae, Paschatis, Ascensionis et Corporis Christi;

de die infra octavam privilegiatam (Nativitatis, Epiphaniae, Ascensionis et Corporis Christi);

de feria maiori Adventus et Quadragesimae.

Ad Laudes et Missam:

de dominica quacumque,

de octava privilegiata;

de duplici vel semiduplici simplificato (non vero in missa solemni et exceptis dupl. I clas. primar. univer. ecclesiae).

de feria maiori Adventus et Quadragesimae, ac insuper de feria Quatuor Temporum et ij Rogationum.

Ad II Vesperas:

De quacumque dominica occurrenti et sequenti;

de octava privilegiata;

de feria maiori Adventus et Quadragesimae;

de quocumque duplici vel semiduplici sequenti, licet ad modum simplicis redacto;

Cauto tamen, ut prima commemoratio fiat de officio sequenti cuiusvis sit ritus, excepto die infra octavam non privilegiatam, aut simplici; quia, etiamsi de iis agatur officium in crastino, eorum tamen commemoratio non admittit duplex I classis.

IN DUPLICIBUS II CLASSIS.

Eaedem commemorationes agendae sunt ut in Duplicibus I classis, insuper:

Ad I Vesperas: de quocumque duplici maiori vel minori praecedenti, et de quacunque die octava, etiam simplificatis.

Ad Laudes et Missam: pariter ut in duplicibus I classis, et insuper: de quolibet duplici vel semiduplici ad modum simplicis redacto, etiam in missa solemni, et dè vigilia ac etiam de simplici non tamen in missa solemni.

Ad II Vesperas, item omnes commemorationes fiunt ut in duplicibus I classis, et ideo non amplius de sequenti die infra octavam.

IN ALIIS DUPLICIBUS, IN DOMINICIS
ET IN SEMIDUPLICIBUS.

Omnes fiunt commemorationes in die occurrentes, ulla sine exceptione.

Quod autem attinet regulas praecedentiae officiorum, in commodum lectorum hic subiicimus ordinem iuxta novas rubricas.

I.

ORDO PRAEFERENTIAE OFFICIORUM IN OCCURRENTIA.

1. Dominicae I classis.
2. Circumcisio D.ni - Dies octavae Epiphaniae et Corporis Christi - Feria IV Cineram et Feriae maioris hebdomadae - Dies infra octavas Paschatis et Pentecostes - Vigiliae Pentecostes et Nativitatis Domini.
3. Duplicia I classis primaria universalis Ecclesiae.
4. Dedicatio et Titulus ecclesiae propriae - Patronus loci principalis - Titulus et Fundator ordinis seu congregationis religiosae.
5. Cetera duplicia I classis. Primaria si alicubi habeantur.
6. Festum Sacr. Cordis Iesu, et alia Duplicia I classis secundaria, si habeantur.
7. Dominicae 2 classis - Dies infra octavas Epiphaniae et Corporis Christi.
8. Duplicia 2 classis.
9. Festa Domini duplicia maiora.
10. Dominicae minores, et Vigilia Epiphaniae.
11. Dies octavae dupl. mai.
12. Duplicia maiora quae non sint Domini.
13. Duplicia minora.
14. Semiduplicia.

15. Dies infra octavas Nativitatis et Ascensionis.

16. Dies infra Octavas communes.

17. Feriae maiores, et vigiliae.

18. Dies octavae simplices.

19. Simplicia.

Nota tamen quod inter officia sub eodem numero supra inscripta, dantur aliae notae praeferentiae, nempe:

1. *Maior solemnitas* nempe feriatio etiam reducta vel sublata, et ius octavae ita ut festum feriatum vel octavam habens, coeteris paribus praeferatur festo non feriato vel octava carenti.

2. Qualitas *primarii,* ita ut festum eiusdem gradus quod sit *primarium,* praeferatur festo *secundario.*

3. *Dignitas personalis,* ita ut festum Domini, ceteris paribus, praeferatur festo b. Mariae virg., et sic per ordinem (Angelorum, s. Ioannis Baptistae, s. Ioseph, Ss. Apostolorum et Evangelistarum),

4. *Proprietas,* scilicet festa alicui loco propria, vel ratione patronatus, aut ecclesiae tituli, vel ratione reliquiae insignis, aut ob aliam relationem cum ecclesia vel loco iuxta novas rubricas.

5. *Praeceptum universale,* ita ut festa universali ecclesiae extensa, ceteris paribus, praeferri debeant officiis alicubi ex *mero indulto* s. Sedis concessa, quin revera sint *propria,* quae tamen iuxta recentem s. Sedis disciplinam vix admittuntur.

II.

ORDO PRAEFERENTIAE OFFICIORUM IN CONCURRENTIA.

1. Duplicia I classis primaria universalis ecclesiae.

2. Dedicatio et Titulus propriae ecclesiae, Patronus loci principalis, Titulus et Fundator ordinis seu congregationis religiosae.

3. Cetera duplicia I classis.

4. Duplicia 2 classis.

5. Dominicae maiores.

6. Festa Domini duplicia maiora.

7. Dominicae minores.
8. Dies octavae dupl. mai.
9. Duplicia maiora quae non sint Domini.
10. Duplicia minora.
11. Semiduplicia.
12. Dies infra octavas.
13. Feriae maiores.
14. Dies Octavae simplices.
15. Simplicia.

In ordine praeferentiae officiorum pro concurrentia valent eaedem notae ut in occurrentia, exceptis duabus ultimis, nempe: *proprietas et praeceptum universale*; quia huius modi notae ncn considerantur in ordinandis vesperis. Itaque, ceteris paribus, duo officia concurrentia, unum *proprium*, aliud *universale* dividunt vesperas.

Tit. VIII. — De Conclusione propria Hymnorum et Versu proprio ad Primam, de Suffragio Sanctorum, de Precibus, de Symbolo Athanasiano.

1. Quando eodem die plura occurrunt Officia, quae propriam habeant Conclusionem Hymnorum, vel proprium Versum ad Primam, Conclusio et Versus dicuntur, quae propria sunt Officii quod recitatur (79). Quod si Officium diei careat Conclusione et Versu propriis, sumuntur Conclusio et Versus, quae sint propria Officii primo loco inter cetera, Conclusionem aut Versum proprium habentia, commemorati (80), ita tamen, ut neque in I aut II Vesperis, neque ad Completorium eas respective sequens, adhibeatur Conclusio alicuius Festi aut diei Octavae Simplicis, aut sanctae Mariae in Sabbato, si de eis ad ipsas Vesperas omittenda sit Commemoratio (81). Deficientibus vere etiam Officii commemorati Conclusione et Versu propriis,

dicuntur Conclusio et Versus de occurrenti Octava communi, vel secus de Tempore (82). In Officiis tamen de Tempore Adventus, quamvis Conclusio Hymnorum propria non habeatur, numquam adhibetur Conclusio *Iesu, tibi sit gloria, Qui natus es de Virgine* (83).

(79) Huiusmodi rubrica declarat principium illud, ab omnibus liturgistis admissum, quod scilicet, in officio et missa, si aliquid est mutandum ratione temporis vel octavae, puta praefatio, conclusio hymnorum, versus ad primam, mutatio ipsa facienda est semper, dummodo officium et missa diei propriam non habeat praefationem, seu versum, seu hymnorum conclusionem.

(80) *Quod si officium diei careat conclusione et versu propriis, etc.* Aliquando dari potest casus, et hodie multo facilius, post abolitionem translationis accidentalis et perpetuae duplicium maiorum et minorum, ac semiduplicium, quod officium diei non habeat propriam hymnorum conclusionem, aut versum proprium ad Primam, sed illam et illum habeat officium simplificatum. Ex. gr. Dies 16 iulii est dominica, fit ergo officium de ea, cum commemoratione b. Mariae de Monte Carmelo; quia ergo officium dominicale non habet neque conclusionem, neque versum proprium, sumitur ad hymnos doxologia: *Iesu... qui natus es de Virgine* et ad Primam dicitur relativus versus, in gratiam officii commemorati de Beata.

Quia vero forsan alicubi occurre posset, quod duo ex officiis commemoratis habeant propriam conclusionem, tunc praescribit rubrica, quod dicenda sit conclusio illa, quae est propria officii prius commemorati.

(81) *...ita tamen ut neque in I aut II vesperis, etc.* Opportunissima est dispositio ista, quae e medio tollit nonnullas ambiguitates, quae antea exurgebant. Conclusio ergo hymnorum propria, neque in 1 aut 2 vesperis, neque in completorio, quod iisdem vesperis sequitur, dicenda est, nisi sal-

tem commemoratio in ipsis vesperis facta sit, illius officii cuius conclusio est propria.

En casus: in tua ecclesia celebratur cum octava Commemoratio Passionis D. N., et hoc anno in dominica infra octavam festum occurrit duplex maius b. Mariae; ideo in officio dominicae fieri debet prius commemoratio huius festi b. Mariae ad instar simplicis, et postea octavae Passionis. Utrumque autem officium commemoratum habet et ℣. ad primam, et doxologiam hymnorum propriam; itaque in casu, tu dices ℣. *qui natus es,* ad primam, et conclusionem hymnorum, *Iesu..... qui natus,* ut ista rubrica praescribit.

Ad rem revocare hic placet, quae docuimus in nostra Expositione Rubricarum Breviarii (not. 706) circa mutationem conclusionis hymnorum, quae fieri numquem debet, nisi occurrant sequentes conditiones:

1. Ut conclusio ipsa sit exarata metro, quod dicunt iambicum-dimetrum, prout sunt hymni ad horas minores et iisdem tantummodo hymnis coniungatur, qui sint in praedicto metro.

2. Ut expresse et proprio nomine, aut aequivalenter saltem, in ipsa hymnorum conclusione Personae augustissimae Triadis singulae nominentur, eisque laus directe tribuatur.

3. Ut agatur de hymnis propriis de Tempore, vel in festis Domini aut b. Mariae tantummodo, non vero sanctorum, prout explicite declaravit S. R. C. in suo decreto d. d. 12 nov. 1831, in quo ad dubium 51: « Sunt multi hymni qui habent conclusionem propriam; conclusio ista semper ne adhibenda est, etiam ad completorium? respondit: Negative, nisi in festis Domini et b. Mariae virginis ».

Porro, ex. gr. licet hymnus s. Venantii m. doxologiam propriam habeat, nihilominus ea adhiberi potest tantummodo in hymnis in quibus adest, non vero ad horas minores.

(82) *Deficientibus vero etiam officii commemorati conclusione et versu propriis, etc.* Lex ista antiqua est, eo quod, si

officium diei non habeat conclusionem hymnorum propriam, aut versum ad primam, dicenda est conclusio propria de octava occurrenti, si habeat, puta si occurrat octava b. Mariae: quando vero neque octava occurrat, sumuntur conclusio et versus de Tempore, puta Tempore Paschali, doxologia... *Et Filio qui a mortuis* et versus: *Qui surrexisti, etc.*

(83) *In officiis tamen de Tempore Adventus, etc.* Fuerunt nonnulli qui nimis in littera rubricae insistentes, docebant, quod in dominica ij Adventus, quae occurrit infra octavam Immaculatae Conceptionis, ad Primam dici deberet ℣.: *Qui natus es de virgine,* asserentes quod versus *Qui venturus es in mundum,* esset de Tempore, ideoque cedere deberet versui proprio de octava. Nos hanc erratam doctrinam acriter impugnavimus iam ab anno 1891 (vide *Ephem. liturg.*, an. 1891, pag. 494), et S. R. C. per suum decretum 29 decembris 1911 sententiam nostram probatam habuit, ita ut nunc aperte in rubrica ista novissima explicite decernatur: « In Officiis de tempore Adventus, quamvis conclusio hymnorum propria non habeatur, numquam adhibeatur conclusio: *Iesu tibi sit gloria. Qui natus es de Virgine* ».

Et sane: tota indoles temporis Adventus est de expectatione venturi Redemptoris, quomodo ergo in officio ipso de tempore, ratione octavae b. Mariae possumus dicere iam natum, quam adhuc canimus venturum?

Ex hac ipsa sane ratione in festo Expectationis partus b. Mariae ad primam non ponitur. ℣. *Qui natus es.....* licet officium sit ipsius Deiparae, sed sumitur ℣. *Qui venturus es.....* de Adventu, ne dicatur in eodem officio iam natus, qui adhuc expectatur; sed etiam conclusio hymnorum, loco: *Iesu, tibi sit gloria,* sumitur ex Adventu: *Virtus, honor, laus, gloria.* Quod hic dicimus de festo. Expectationes b. Mariae, forsan dici deberet etiam de festo Annunciationis eiusdem: sed circa hanc rem videndum erit, utrum auctoritas competens, aliquid novi moliri velit.

Et est notandum, quod impune poterat retineri in officio Expectationis conclusio solita, nempe *Praesta, Pater*

piissime; nihilo minus voluit ecclesia, ut diceretur conclusio *Virtus, honor, etc.* quasi esset propria Adventus, sicut certo proprius est ℣. *Qui venturus es.*

2. Symbolum Athanasianum additur ad Primam in Festo Ss.mae Trinitatis et in Domincis tantummodo post Epiphaniam et post Pentecosten, quando de eis persolvendum est Officium, salva exceptione de qua numero sequenti (84).

(84) Uti nos probavimus cum doctoribus melioris notae (*Praelectiones S. Liturg.*, p. 154) non amplius eruditi tribuunt compositionem symboli *Quicumque* s. Athanasio. In constitutionibus anni 889 episcopi Suessionensis a Merato citatis (sect. 5, c. 8, n. 1), huiusmodi symbolum vocatur: *Sermo fidei Catholicae, cuius initium: Quicumque vult salvus esse;* ex quo non immerito argui potest, tunc temporis symbolum ipsum sub nomine s. Athanasii non venisse. Hodie (Cf. *Civiltà Cattolica,* 4 Dic. 1910, p. 591) nonnulli putant s. Ambrosium huius symboli fuisse auctorem. Hisce tamen non obstantibus, licet aliquis proposuisset, quod huiusmodi symbolum inscribi deberet: *Symbolum catholicae fidei* iuxta nonnullos antiquos codices, consultius visum est, ut inscriberetur: *Symbolum Athanasianum,* ne antiqua breviarii inscriptio penitus obliteretur.

Ut autem obtineatur maior brevitas in officio dominicali, opportune statutum est, quod symbolum ad primam dicatur tantummodo in dominicis post Epiphaniam et Pentecosten, quia dominicae maiores iam habent psalmos longiores ad laudes, et reliquae dominicae, quae occurrunt in octavis privilegiatis Nativitatis, Epiphaniae, Ascensionis ac Corporis Christi, et tempore paschali, cum festiviore officio celebrentur, omittunt symbolum. Hac eadem ex ratione omitti praecipitur ut in sequenti rubrica, iis in dominicis, in quibus occurrit aliquod duplex ad instar simplicis commemorandum. Itaque Athanasianum symbolum dicetur

exinde, tantummodo ad primam dominicarum minorum, quae occurrunt post octavam Epiphaniae, usque ad Septuagesimam, et post octavam Pentecosten usque ad Adventum, dummodo, ut innuimus, non occurrat commemoratio alicuius duplicis simplificati, aut alicuius diei octavae.

3. Quando in Dominica fit Commemoratio Duplicis, vel cuiusvis Octavae, omittuntur Suffragium, Preces et Symbolum Athanasianum. In Feriis vero in quibus item fit Commemoratio Duplicis, aut Octavae, omittuntur Suffragium et Preces Dominicales ad Primam et Completorium; non autem Preces Feriales, si sint dicendae (85).

(85) Omissio suffragii et precum, in dominicis infra aliquam octavam occurrentibus, lex nova non est, nam etiam in breviario s. Pii v haec ipsa dispositio invenitur; in novissimis tamen rubricis addita est huiusmodi omissio etiam quando commemoratur aliquod festum duplex, et etiam quod omitti debeat, hisce in casibus, symbolum Athanasianum. Prima additio non est nisi applicatio antiquae legis, secunda autem, nempe omissio symboli, inducta fuit ad obtinendam brevitatem, quae duplici convenit; sicut enim in dominicis infra octavae privilegiatas symbolum omittebatur in obsequium octavae, ita et in obsequium festi duplicis simplificati statutum est, ut omittatur.

Preces quae dicuntur ad primam et ad completorium, vocantur *dominicales*, et distinguuntur a *ferialibus*, quae tantummodo dicuntur in laudibus et ceteris horis. Rubrica breviarii Pii v ante preces ipsas sic se habet: *Sequentes Preces non dicuntur in Duplicibus, nec infra Octavas.*

Ante saeculum xiv preces infra Octavas non omittebantur quia, tam Belhetus (saec. xij), quam Durandus (saec. xiij) de huiusmodi omissione non loquuntur. Veruntamen, cl. Ioannes Mercati, in suo eruditissimo opusculo (*Appunti per la Storia del Brev. rom.* 1903, Roma, Desclée),

refert nonnulla ex rubricis novis quae inveniuntur in breviario romano Venetiis edito a. 1478; et in una ex ipsis, sub Clemente vj (1342–1351) redacta, circa octavas sic legitur: *Praeterea in octavis non fiunt in Laudibus suffragia neque Preces, tam in Prima quam in Completorio, sed fit sicut in duplici festo.* Huius vero rubricae dispositio, ubique postea accepta fuit. In breviario antiquo Placentino (edito 1530, pag. 46) legimus: « In festis autem duplicibus, etiam per totum annum, et in octavis solemnitatum, et in quibuscumque festis per octavas praedictas occurrentibus, nullo umquam tempore dicuntur preces ».

Omittuntur ergo preces diebus infra octavas, eo quod, licet ritu semiduplici celebrentur, nihilominus solemnitas diei festi, octavam habentis, quodammodo perdurare censetur, ideoque in obsequium huiusmodi perdurantis solemnitatis, preces omittuntur, non tantum si de ipsa octava fiat officium, sed etiam si peragatur festum ritus semiduplicis.

In Expositione nostra Rubricarum specialium in *Ephemerid. Liturg.*, edita (an. 1911, p. 78) hac de re scripsimus:

« Idem esset agendum in dominicis maioribus, in quibus occurrat commemoratio duplicis, quod ad instar simplicis redactum sit; nempe, sicut in obsequium officii diei infra octavam, quod est minus, omittuntur in dominicis preces, ita et in obsequium officii duplicis, quod est maius, essent omittendae.

Ratio est, quia cum duo festa eodem die occurrunt, ut plurimum in nobiliori officio, fit commomoratio de minus digno, ita ut ipsa commemoratio sit quasi totius omittendi officii contractio. Attamen, de commemorato officio, ea omnia dicuntur propria, quo magis potest; idest omissa doxologia et praefatione communi, dicitur in officio diei, doxologia et praefatio de officio commemorato si habet; uti statutum est in decreto S. R. C. 29 iulii 1004 ad v quo praecipitur: occurrente in dominica Adventus commemoratione Translationis Domus Lauretanae, ad instar simplicis, in locis ubi transferri nequeat, ob deficientiam diei liberae, omissa

commemoratione octavae Immaculatae Conceptionis, in missa dicitur praefatio, B. M. V. *Et te in festivitate,* non vero; *Et te in Conceptione,* in obsequium commemorati officii.

Siquidem, si officium commemoratum diei infra octavam ita influit in officio diei, ut omitti debeant Preces, procul dubio duplex commemoratum non minorem influxum habere debet, ac proinde, nec preces dicendae, nec commemorationes comunes seu suffragia neque tertia oratio in Missa.

Sed et huiusce rubricae locutio ipsa (nempe antiqua specialis Pii v de qua agebamus loco citato), favet sententiae nostrae, dici enim: *Preces non dicuntur in duplicibus, nec infra octavas,* atqui, sicut omittuntur preces diebns infra octavas, iicet de eis non celebratur officium, sed tantum fiat commemoratio, ita et in duplici pariter commemorato, etsi de eo totum non dicatur integrum officium, sed eius tantum commemoratio, quae nil aliud est nisi contractio officii eius; dominica enim in casu occurrit *in festo Duplici,* in quo rubrica prohibet preces.

Itaque, rubrica quam hic exponimus, licet antiqua sit, non obscure tamen excludit preces in dominicis maioribus, si in eis occurrat duplex commemorandum; etenim tempore s. Pii v, casus impossibilis erat, quem ideo rubrica explicite praevidere non poterat. Poterat quidem tunc temporis, occurrere dies octavus in dominicis vel Adventus, vel Septuagesimae etc., et tunc explicite preces excludebantur per verba: *nec infra octavas,* ut patet.

Quod hic dicimus de omittendis precibus in dominicis maioribus, occurrente commemoratione duplicis simplificati, applicandum esse non intelligimus feriis maioribus, nempe iv Cinerum, et maioris hebdomadae, quia preces in officio dominicali, non ita sunt propriae, ut aliquando in eo omitti non possint, sicut de facto, vi rubricarum, omittuntur in dominica in Albis, nec non in dominicis, quae infra aliquam octavam occurrunt; e contra, preces feriales, quae *flebiles* vocantur, seu *poenitentiales,* ita sunt propriae feriis, quae

ieiunantur, sive historice sive mystice considerentur, ut ab officio feriali separari nunquam possint, nisi cum immutatione naturae ipsius ferialis offiicii, ut docet Guyetus (lib. 4, c. 18, q. 34).

Et sane, ipsae dicendae sunt flexis genibus, sunt prolixiores, quod aliud est signum poenitentiae, et dicuntur non tantum ad primam et completorium, sed et ad alias quoque horas, laudibus et vesperis non exclusis. Cum autem feria iv Cinerum, et feriae maioris hebdomadae eminenter et reduplicative luctuosae sint et poenitentiales, et tales, quod in eis tantummodo occurrere possit duplex simplificatum, non obstante huius occurrentia, preces feriales in dictis feriis non sunt omittendae.

Iuxta Meratum, in suis notis ad Gavantum (sect. 5, c. 17, n. iij), illi qui ex speciali privilegio celebrant aliquam octavam, etiam in Quadragesima, si dies iv Cinerum occurrat infra octavam, dicere debent preces, relinquendo commemorationem octavae, iuxta S. R. C. decretum 24 ianuarii 1662, quod refert in suo indice.

Quod congruit cum recentiori decreto generali 22 Maii 1894, n. 3826, quo declaratur: « Octavas quascumque in Quadragesima in posterum non esse concedendas, indultas vero ab antiquiori aevo, non solum in feria iv Cinerum atque in dominica Passionis, sed in omnibus aliis dominicis Quadragesimae, esse omnino intermittendas, vel abrumpendas ». Et bene, ut melius lex servetur maiorum.

Vide tamen, ne ex hoc decreto aliquid contra nostram sententiam deducas, scilicet, quod omittenda sit in feriis maioribus, de quibus hic loquimur, commemoratio duplicis simplificati, sicut omittitur commemoratio diei infra octavam in casu; nam, ut patet, huiusmodi omissio, si parum nocet octavae, quae aliis duebus commemorata est, totaliter prorsus noceret duplici, cui rubricae reformatae ius translationis abstulerunt; hinc, fiat de eo commemoratio, alioquin penitus periret eo anno eius officium; in obsequium tamen indolis officii ferialis, non omittantur preces ».

Nunc autem haec nostra sententia, quae pluribus arrisit praeclaris liturgistis, quibus eam exposuimus, in praxim deduci debet, ut rubricae novae disponunt. Antiquissimae preces poenitentiales, de quibus mentio habetur in libris monasticis saeculi ix (Cf Martène, *Ant. Rit. Monach.* I, iij, 15) numquam omitti debent in laudibus et vesperis feriarum, quae ieiunantur, etiamsi occurrat commemoratio alicuius duplicis. Circa adiectos versiculos pro Papa et pro Episcopo, et circa nomen episcopi, exprimendum vide Commentarium in bullam, Append. 3 et 4.

Tit. IX. — De Festis Dedicationis, aliisque parlicularibus Ecclesiis propriis.

1. Festum Dedicationis cuiuslibet Ecclesiae est semper primarium, et Festum Domini (86).

(86) Vide notam 61 in nostro Commentario in bullam « Divino afflatu » ubi rationes adduximus, quibus probatur inscriptio festi Dedicationis ecclesiae inter festa Domini et primaria.

2. Anniversarium Dedicationis Ecclesiae Cathedralis et Festum Titulare eiusdem celebranda sunt sub ritu Duplicis I classis cum Octava per totam Dioecesim ab universo Clero saeculari et etiam regulari Kalendarium Dioecesanum adhibente: a Regularibus vero utriusque sexus in eadem Dioecesi commorantibus ac proprium Kalendarium habentibus, pariter sub ritu Duplici I classis, absque tamen Octava, nisi haec ex alio titulo sit celebranda (87).

(87) Regulares certo certius non sunt de clero dioecesano, ideoque, habentes speciale *calendarium* et *Proprium*, officia recitare debent iuxta Proprium suum, nec unquam possunt *officia* dioecesana accipere, nisi ex praecepto s. Sedis

(S. R. C., n. 3084[1]). Nihilominus, quibusdam diebus Regulares calendarium suum deserere debent, et celebrare festa dioecesana, Titularis et Dedicationis cathedralis. Quare hoc? Quia cum ab Episcopo, saltem quoad externam iurisdictionem dependeant, pro confessionibus excipiendis, pro verbi Dei praedicatione, ac pro nonnullis functionibus, quodammodo eius subditi fiunt; in signum ergo huiusce subiectionis festa peragere debent de Titulari et Dedicatione ecclesiae episcopalis, eodem fere modo, quo omnes per Orbem clerici Dedicationem celebrant Patriarchalium Urbis, in signum subiectionis Romanae cathedralis, ex qua omnes Romani sumus.

Item cum clerus saecularis et populus festa huiusmodi solemniter concelebrat, minus congruum videretur, si Regulares aliud obiectum iis diebus recolerent. Quibus ex causis, in casu, quasi fictione iuris, Regulares talibus diebus sunt clerici locales, ideoque ad dicta festa celebranda tenentur.

Attamen huc usque, non una habebatur norma pro Regularibus, sive in recolendo anniversario Dedicationis cathedralis, sive in celebrando festo Titularis eiusdem.

Siquidem Titularis cathedralis celebrabatur a Regularibus sub ritu duplicis 1 classis, etiamsi extra civitatem episcopalem degerent; dum anniversarium Dedicationis eiusdem ecclesiae recolebatur a Regularibus tantummodo in civitate degentibus, et quidem sub ritu 2 classis. Quod, ut nos iam notavimus in nostris *Praelectionibus* pag. 235, bene non comprehenditur; si enim ratione praedictae subiectionis tenentur Regalares in civitate degentes, etiam qui in dioecesi commorantur, non minus subiiciuntur episcopo. Item si sub ritu 1 classis celebrari debuit festum Titularis cathedralis, quod est minus, eo magis sub eodem ritu celebranda est Dedicatio eiusdem, quod est maius, cum sit festum Domini.

Cavalerius (I. decr. 37, n. 9) hanc ipsam difformitatem agnovit, illamque iustificare conatur, invalidis tamen argumentis.

Itaque rubrica ista omnem differentiam optime tollit inter clerum saecularem et regularem, quoad ritum; et inter clerum dioecesanum et urbanum quoad octavam; recognoscit tantummodo exceptionem favore Regularium, de non celebranda octava, tum Titularis tum Dedicationis cathedralis, dummodo tamen proprium calendarium perpetuum obtineant; quia, si calendario dioecesano utuntur, tunc etiam octavam celebrare debent.

Notandum tamen est, quod si ecclesia cathedralis duos diversis diebus recolendos habeat Titulares, de utroque Regulares agere festum debent, iuxta decretum S. R. C. 3289 sub suo ritu duplici I classis.

Quaeri hic potest an Regulares, degentes in dioecesibus in quibus Titularis cathedralis sit vel Nativitas b. Mariae, vel s. Laurentius aut s. Stephanus Protom. aut s. Ioannes evangelista aut ss. Innocentes, celebrare debeant octavam integram sicut clerus saecularis, vel tantummodo octavam simplicem sicut nunc habetur in romano breviario.

Casus accidit in civitate Ianuae, cuius ecclesia metropolitana dicata est s. Laurentio; regulares ergo in dioecesi ianuensi degentes, debent certe celebrare dictum titularem sub ritu duplici I classis, et quidem cum octava, nam octava praescribitur a breviario. Utrum vero in casu octava a regularibus ianuensibus esse debeat simplex, uti in breviario novissimo, vel communis, scilicet integra etiam per intercalares dies, et cum ritu duplici maiori in die octava, id est nobis inquirendum.

Sunt qui docent teneri regulares ad octavam integram in casu; aiunt enim: novissima ista rubrica iubet ut a regularibus proprium calendarium habentibus, festum Titularis cathedralis ritu duplici I classis celebretur absque octava, *nisi ex alio titulo sit celebranda*, atqui in casu s. Laurentius in breviario octavam habet, simplicem quidem, sed semper octavam, ergo, ex hoc titulo regulares octavam sicut clerus saecularis per octo continuos dies celebrare debent. Ratio est, ipsi aiunt, quia, hodie ex novissimis rubricis, festum

duplex I classis non potest habere octavam simplicam, sed tantummodo octavam communem cum die octavo sub ritu duplici maiori.

Attamen aliud esse sentiendum nos existimamus; quia, sicut habentur festa duplicia I classis sine aliqua octava, uti Ss. Trinitatis, sacr. Cordis Iesu, et apud regulares, proprium calendarium habentes, festa Dedicationis et Tituli cathedralis et Patroni loci, ita nihil prohibet quod haberi possint duplicia I classis, cum octava simplici, non quidem *per se*, sed tantum *per accidens*, sicut evenit in casu nostro.

Regulares ergo ianuenses celebrant Titularem Cathedralis s. Laurentium, ritu duplici I classis, quia illa die, fictione iuris, sunt de gremio cleri dioecesani; transacto tamen die festo, redeunt in suo statu particulari religiosorum ac si s. Laurentius octavam non haberet. Habet quidem octavam iste martyr gloriorus nunc simplicem, sed regulares hanc octavam concelebrant, non praecise quia s. Laurentius sit Titularis cathedralis, sed quia, ex iure communi in breviario huiusmodi octavam habet.

Nostro ergo iudicio arbitramur, quod non debeat, neque deceat, imponere regularibus nova onera; ipsi celebrent Titulum Cathedralis et Patronum loci ritu duplici I classis, sicut rubricae illis imponunt, et nil aliud. Ratio est quia rubricae ac decreta antiqua et nova aperte dicunt octavam eorum celebrare non posse, *nisi alio titulo sit celebranda;* puta quia loci Patronus vel Titularis cathedralis esset s. Ioannes Baptista, Immaculata Conceptio b. Mariae, quibus inest ius octavae ex iure communi; vel etiam si Franciscales degerent in civitate cuius patronus esset s. Franciscus Assisiensis, ad cuius octavam celebrandam tenentur quia Ordinis fundator.

Ceterum, ut diximus, non sunt imponenda nova gravamina regularibus sine necessitate; et gravamen non exiguum esset relinquere officium feriale, non tantum per aliquot dies infra octavam, sed etiam et semper in die octava, quae forsan impediret festa propria etiam duplicia maiora. Item incommodum non parvum esset requirere lectiones dicendas infra octavam et in die octava, quae nunc quidem regulares

habent in breviariis, sed in breviario typico illae amplius non sunt, nec erunt in futuris editionibus.

Adde, quod si ex. gr. Cathedralis dicata esset ss. Innocentibus, hodie etiam in antiquis breviariis deficerent lectiones pro diebus 2 et 3 ianuarii. Adversarii dicent quod huiusmodi lectiones regulares ex proprio dioecesano usurpare possunt; scimus quidem id posse, imo ex necessitate debere, nonnisi tamen quando explicitum extaret praeceptum pro ipsis, ut in casu octavam, non simplicem, sed integram et communem celebrare deberent.

Nec valet opponere quod S. R. C. suo decreto 24 ianuarii 1908, n. 4212 declaravit, quod infra octavam Patroni principalis (et ideo ex eadem ratione Titularis cathedralis) quae apud regulares iam alio titulo seu causa celebratur, debet in missa Symbolum adiungi, sicut additur in ipso die festo; ita nempe ut apud eosdem regulares debeat per totam octavam Nativitatis s. Ioannis Baptistae in missa symbolum recitari, si ipse sanctus sit praecipuus loci Patronus; etenim res est prorsus diversa.

Et sane, primo non datur solemnitas, in qua recitetur *Credo*, in festo tantum et non infra octavam. Secundo, regulares non celebrant quidem octavas Patroni et Titularis cathedralis, sed hoc evenit ex quadam lege eos dispensante, ideoque, si octavam ex alia causa celebrare debeant, ratio Patronatus et Tituli cathedralis, non tantum inest in die festo, sed remanet per totam octavam etiam pro regularibus, et ideo summopere decet ut *Credo* per octavam in casu recitent. Tertio demum huiusmodi recitatio nullum inconveniens aut incommodum confert, ergo regulares symbolum recitabunt prout decrevit S. R. C.

Cum autem, ut probavimus, octava ritu simplici celebranda ex rubricis breviarii bene manere possit etiamsi regulares festum, octavam simplicem habens, celebrent per accidens sub ritu I classis, praescriptio de symbolo dicendo iuxta citatum S. R. C. decretum, nil facit contra sententiam nostram.

(Continuabitur). Dr. P. PIACENZA.

Acta Academiae Liturgicae Romanae.

De Octavis Festorum duplicium 2 classis.

Gelasius superior cuiusdam Monasterii, sacrae Liturgiae amantissimus, valde probans legem in bulla « Divino afflatu » restitutam, de hebdomadaria recitatione totius Psalterii, ut plenius huiusmodi regula observetur in suo Monasterio, non solum quaerere cupit a S. Rituum Cong.ne expunctionem festorum plurium Sanctorum, quae propria sui Ordinis non erant, et tantum ex mero indulto S. Sedis concessa, sed nunc etiam petere ut e calendario suo expungantur Octavae Duplicium II classis. Item desiderat ut de diebus infra Octavas non privilegiatas, festorum I classis, officium fiat de psalterio, eodem modo quo celebrantur festa Duplicia maiora et minora ac Semiduplicia. Ut facilius tamen petitionibus huiusmodi fiat satis, adiiciendum perutile iudicat rei liturgicae periti votum, cui has quaestiones solvendas proponit:

1. *Quo ritu antiquitus celebrabantur Octavae Sanctorum?*

2. *Utrum expediat ut abrogentur Octavae festorum II classis, et saltem de die Octava aliquomodo celebrari conveniat?*

3. *An consulendum sit, quod diebus infra Octavas I classis non fiat officium de festo, sed de psalterio, uti novae Rubricae praescribunt pro festis duplicibus et semiduplicibus?*

Solutio.

Ad expositionem casus notandum, quod octavae Ecclesiae Universalis non possunt expungi ex Kalendario Ecclesiae particularis, quin prius in Kalendario universali expungantur. Gelasius itaque non potest petere, ut e Kalendario suo expungantur octavae Ecclesiae *Universalis* duplicium II. classis, sed solummodo octavae *particulares* festorum II. classis. Ita quaestio solvi debuisset, antequam prodiret Motuproprium « Abhinc duos annos », quo tempore iam casus noster propositus fuerat, nam per citatum Motuproprium octavae festorum II. classis abolitae sunt.

Supponitur et docetur communiter, morem celebrandi festa quaedam per octo continuos dies, esse antiquissimum, quod tamen, uti probabimus, caute tantum admittendum est. Nos autem scimus, festa solemniora Hebraeorum et Christianorum per 7 solummodo continuos dies celebrata fuisse. Scimus etiam nonnulla festa Christianorum die festo eiusque die octava solummodo peracta fuisse, nulla celebrata die infra octavam, nec etiam ulla facta commemoratione eiusdem octavae.

Auctores proponunt festa Hebraeorum, quae iuxta ipsos cum octava celebrabantur. Notandum tamen festum Paschatis Iudaeorum per *septem* solummodo dies celebratum fuisse ad normam legis in Lev. XXIII. 5-8.: « Mense primo, quartadecima die mensis ad vesperum, Phase Domini est: Et quintadecima die mensis huius solemnitas azymorum Domini est. *Septem* diebus azyma comedetis. Dies primus erit vobis celeberrimus, sanctusque: omne opus servile non facietis in eo: Sed offeretis sacrificium in igne Domino *septem* diebus: dies autem *septimus* erit celebrior et sanctior, nullumque servile opus facietis in eo ».

Festum tabernaculorum, etiam a celeberrimo auctore Octa-

varii Romani (1), a Bartholomaeo Gavanto, tamquam unicum festum Iudaeorum cum vera octava celebratum proponitur, quod tamen veritati minime consonum videtur. Nam festum tabernaculorum ex lege in Lev. XXIII. 33-36 per *septem* dies celebrabatur: « Et locutus est Dominus ad Moysen, dicens: Loquere filiis Israel: A quintodecimo die mensis huius septimi, erunt feriae tabernaculorum *septem* diebus Domino. Dies primus vocabitur celeberrimus atque sanctissimus: omne opus servile non facietis in eo. Et *septem* diebus offeretis holocausta Domino ». Iterum v. 39. « A quintodecimo ergo die mensis septimi, quando congregaveritis omnes fructus terrae vestrae, celebrabitis ferias Domini *septem* diebus ». Et iterum v. 41. s. « Celebrabitisque solemnitatem eius *septem* diebus per annum: legitimum sempiternum erit in generationibus vestris. Mense septimo festa celebrabitis, et habitabitis in umbraculis *septem* diebus: omnis qui de genere est Israel, manebit in tabernaculis: » etc.

Praefatum festum tabernaculorum, uti ex citatis vv. 34, 36, 39, 41, 42 eruitur *septem* tantum diebus celebrabatur – dies autem octava, de qua fit mentio in versiculo 36. 39. vocatur iuxta exegetas (2) clausula festorum omnium in anno ecclesiastico; erat sanctissimus, dies coetus et collectae, quia a populo omnia, ad expensas cultus divini necessaria, colligebantur. Alia et diversi prorsus generis sacrificia offerebantur die octavo, sicuti septem primis diebus. Ex quo facto similiter probatur, diem octavum speciale festum fuisse, non autem octavam festi tabernaculorum, uti etiam celebrantur a nobis, in octava Nativitatis Circumcisio Domini, in Octava Epiphaniae Baptismus Christi, in Octava S. Agnetis eius Apparitio, in sic dicta octava Paschatis Apparitio S. Thomae facta et dominica « post albas depositas », in sic dicta octava Pentecostes autem Dominica ipsa I. post Pent., seu Festum SS. Trinitatis. Bene notetur, diem octavam saepe ad celebrandum aliud festum, cum primo plus-minusve cohaerens, electam fuisse; ex quo tamen non potest deduci, ipsum primum festum per octo dies fuisse celebratum, sed contrarium potius.

Ex omnibus festis Christianorum, apud antiquos nonnisi

(1) In praefatione.

(2) Zschvoke: Historia Sacra ed. 6 pag. 115. Cf. Hummelauer: Cursus Scripturae S. I. 2. pag. 518.

Pascha et Pentecostes cum « octava » a nobis sic denominata, nota erant in universali Ecclesia. Pascha celebrabatur ad exemplum veteris testamenti per septem dies continuos et adhuc terminatur sabbato sequenti ad Nonam (B. rubr. gen. VII. 2.) Dominica (1) in albis nunc habet inscriptionem secundariam « in octava Paschae » (quod Rubricae generali contradicit, si eodem sensu accipitur), sed haec inscriptio recentioris aetatis esse videtur. Et sive historiam, sive textus liturgicos consideres, titulus hic, ita explicari debet, ut non diem octavum festi Resurrectionis Domini denotet, sed diem octavum Paschae regenerationis neophytorum. In Sacramentario Gelasiano legitur haec Collecta: Concede, quaesumus, ut quorum nunc regenerationis sacrae diem celebramus octavum etc. Ergo non agitur de Octava Paschae.

Festum Pentecostes (2) iam, iuxta Constitutiones Apostolicas (V. 20), per totam Hebdomadam idest per septem dies celebrabatur. Postea alicubi cum octava die celebratum est ex eadem ratione, qua octava dies Paschae dominica in albis agebatur; hinc disceptatio orta est, utrum festum Pentecostes habeat octavam, an ea careat. Respondendum est, festum Pentecostes proprie dicta octava carere, quia octava eius desinit post Nonam Sabbati, peracta Missa conventuali (B. rubr. gen. VII. 2. et M. rubr. spec.), uti pariter etiam festum Paschatis cessat post Nonam Sabbati. Non negatur, Dominicam in Albis et Dominicam I. post Pentecosten aliqua ratione octavam *vocari posse;* est enim revera dies octava conputata a festo, et est vera octava regenerationis neophytorum; quaeritur autem, utrum sit *formaliter octava* festi. Quod negandum est. Nam Octava ex Octavario definitur: Mos per octo consequentes dies Festa quaedam celebrandi. Atqui, Dominica I. post Pascha et Pentecosten non festum ipsum celebratur, sed quid aliud, ergo verae octavae non sunt. Idem sequitur ex textu liturgico, ex historia, atque ex celeberrima rubrica Breviarii (VII. 2). Item ex colore viridi Dominicae I. post Pentecosten. Nihil obstat, quod hae Dominicae aliquando octavae *vocentur,* quia istae Dominicae sunt tum dies octava in coputatione, tum octava regenerationis neophytorum.

---

(1) Gatterer: Annus liturg. ed. 3, pag. 160 et 346.
(2) l. c. pag. 358.

Nec dicatur, ideo solummodo has duas octavas cessare post Nonam Sabbati, quia ad Nonam Sabbati peaecedentis, initium sumebant; hoc quidem verum est; minime vero ex eo sequitur, haec festa habere plenas octavas, quia a Nona unius Sabbati usque ad Nonam sequentis Sabbati, septem tantum dies numerantur; diesque liturgica, non solum Missa, sed etiam Officio constat. Hae octavae habent quidem octo Missas, sed septem Matutina, septem Horas, septem Vesperas solummodo; ergo non celebrantur per octo dies. Uti etiam festum Nativitatis non duobus vel tribus diebus ideo celebrari dicere possumus, quia festum hoc duas Vesperas et tres Missas habeat, quarum Missarum prima, uti Missa noctis praecedentis festum, cum Missa Sabbati Sancti et Vigiliae Pentecostes, magnam affinitatem habet.

Haec celebratio festorum per septem continuos dies octava in sensu proprio vocari non potest, quia non per octo, sed per septem solummodo dies celebratur.

Ceterae (1) octavae, et quidem magis proprie dictae, quae postea inveniuntur, saeculo V. etiam apud Orientales, sunt Octavae Dedicationis Ecclesiae et Epiphaniae, ut habemus in Peregrinatione Etheriae (2). Paulatim postea nonnullae aliae octavae inductae fuerunt. In Sacramentanio Gelasiano non invenitur nisi octava Natalis Domini, et Octava Apostolorum. Magani (3) docet, quod reliquae octavae inductae fuerunt post Hadrianum II. (822) maxime in festis patronorum. Nunc quaeritur:

1. Quo ritu antiquitus celebrabantur verae Octavae? Et respondendum: celebrabantur usque ad saeculum XII. solummodo in die octava festorum nobilium, praesertim natalitiorum Sanctorum, et quidem ritu simplici, non vero per intercalares dies, nec per commemorationem, uti factum est usque ad Motuproprium « Ab hinc duos annos » solummodo in festo S. Agnetis, cuius tamen Octava, ut supra innuimus, festum eius Apparitionis quoque est prout hucusque legitur in Diario Romano: « 28 Gennaio: Apparizione di S. Agnese: festa alla sua chiesa in via Nomentana etc. ». Apparitionis eius historia habetur etiam in lectione officii die 28. Est autem haec dies etiam vera dies

(1) Piacenza in Ephem. Liturg. 1914. pag. 153 s.
(2) Cf. edit. Duchesne Origines, App. 5. III. 3. et VIII.
(3) Ant. Lit. Rom. III. 5. XVI.

octava, uti in antiquis codicibus Romanis haec dies inscribitur: « Octava S. Agnetis » (1).

Iuxta Micrologum (2), qui saeculo XII. floruit: Iuxta romanam auctoritatem, nullorum sanctorum octavas observare debemus, nisi unde certam aliquam traditionem a sanctis patribus habemus. Eorum quoque, quorum octavam celebramus nullam cotidianam mentionem per intercalares dies agimus, quia nullam auctoritatem inde habemus ».

Medio saeculo XIII. Fratres Minores « Breviarium Curiae » divulgantes, illud diversimode abbreviare conabantur (3); quare liber eorum etiam nomen Breviarii merebatur. Optimum medium abbreviationis (praeter introductionem novorum festorum, ipsis praeeuntibus usque ad ultima tempora adhibitam) fuit auctio octavarum prorsus excessiva; elevatioque ritus diei octavae ad duplicem; item introductio diei infra octavam et quidem ritu semiduplici, quamvis feriae Paschatis et Pentecostes, ubi officia de feria, ritum simplicem tantum habuerant, hucusque etiam tres solummodo lectiones habeant. Haec nova norma adoptandi octavas, originem habebat ex compositione duorum autiquiorum modorum celebrandi easdem, scilicet per 7 continuos dies et in die octava solummodo.

2. Quum autem a feliciter regnante Pio X officium feriale abbreviatum fuerit, optime saltem dies infra octavas festorum II classis abrogata fuerunt, ipsiusque diei octavae antiquus ritus simplex assignatus est, quia ita officium feriale et recitatio psalterii integri minus impeditur. Iuxta opinionem nostram optandum esset, ut in reformatione Kalendarii Ecclesiae universalis octavae omnes pro singulis diebus propriam missam non habentes, quae sunt omnes praeter hebdomadam Paschatis et pentecostes — ad normam antiquae disciplinae — prorsus abrogentur, relicta solummodo die octava, quando haec specialem missam habeat, ubi octava Nativitatis, quae est festum Circumcisionis, uti octavo Epiphaniae, praecise quia est festum Baptismatis Christi, octava forte etiam SS. Petri et Pauli specialem communem missam habens et forte octava dies S. Laurentii itemque S. Agnetis. Consulenda utique essent etiam antiqua

(1) Piacenza l. c.
(2) Cap. 44. Edit. Hitcarp. col. 758 e.
(3) Bäumer: Hist. Brev. Rom. II. pag. 31.

Sacramentaria. Haec esset optima methodus ducens ad recitationem integri psalterii et ius antiquum officio feriali competens restituendum. Feriae Paschatis et Pentecostes utique ritu simplici essent celebrandae, post abrogatam feriationem — etiam feriae II et III. Similiter supranumeratae dies octavae, nisi speciale constituant festum, uti Circumcisionis et Baptismatis Christi.

Parcendum forte esset octavae Corporis Christi, si hoc medio (sc. celebratione missarum et vesperarum per eius octavam coram SS.mo exposito) incongruae expositiones SS.mi per annum v. gr. omnibus fere dominicis diebusque festivis ad missam celebrandam, item mense octobri, pro recitatione orationum ad B. V. etc. coerceri possent; quae expositionis ratio existens in regionibus praesertim Germaniae, Austriae, Hungariae, Poloniae incredibili frequentia et miro prorsus ritu adhuc in usu est.

3. Fratres minores officium abbreviantes induxerunt diebus infra octavam officium de festo scilicet pauciores et breviores psalmos de Communi seu de dominica. Cum vero haec ratio hodie desit, optime diebus infra octavam etiam I. cl. possunt recitari psalmi de feria; possent forte etiam infra illos festorum Domini Ecclesiae Universalis, qua de re tamen videant, quibus talis revisionis munus a S. Patre collatum est. Praeter hebdomadas Paschatis et Pentecostes nullam difficultatem invenimus.

Dr. Stephanus Makkay
Presbyter archidioec. Strigonien.

DISSERTATIO LITURGICA

De cantu ℣. "Benedictus" in Missis cum cantu.

(Continuatio. V. num. 6 curr. anni, pagg. 347-367) (1).

Maiorem difficultalem possent parare verba sequentia: « et post elevationem poterit *immediate* motettum aliquod opportunum cantari »; nunc dicunt: immediate post elevationem cantatur motettum, ergo *Benedictus ante* elevationem cantatur; falsa est illatio et cum ii, qui hoc dicunt, nullimode probent suam sententiam, etiam nos nihil probando possemus eis opponere: immediate post elevationem cantatur motettum, ergo *Benedictus* non quidem *immediate* post elevationem cantatur, sed motetto finito; ergo semper adhuc post elevationem, ut textus in secundo libro, qui immutatus permansit, clare praecipit. Et hoc historia huius textus clare nos docet.

Efflorescente cantu polyphonico etiam cantus motettorum valde effloruit; motetta diversa etiam profana in eccle-

---

(1) Ex errore typographico in prima parte huius dissertationis edita in num. 6 harum Ephem. mendum aliquod obrepsit Corrigenda est periodus mutila p. 361 ab initio, ubi ita debet legi:

Quomodocumque tunc hoc obtinetur, tuto unusquisque medium sibi eligere posset, posset fortasse et Paridis Crassi medium adhibere. Sed hoc Caeremonialis auctores non fecerunt; sed ipsum medium, quo silentium sit obtinendum accurate determinaverunt, ita ut unusquisque nunc non possit eligere, quod sibi placet, sed debet obtinere silentium per interruptionem Trisagii; non silentium est praescriptum, sed silentium obtinendum per interruptionem Trisagii.

siam ingrediebantur et res eo pervenit, ut intra functiones sacras et praesertim inter missarum sollemnia mox diversissima motetta cantarentur omissis prorsus textibus liturgicis ex legibus canendis; huic motettorum cantui inter missarum sollemnia Romani Pontifices sese opposuerunt, praecipientes, ut omissis motettis illis textus liturgici potius cantarentur. Ita Alexander VII, anno 1657 stricte prohibet, ne in divinis officiis alia verba quam Missalis, Breviarii, Scripturae vel Patrum cantarentur (1); hanc Alexandri Bullam Innocentius XI, anno 1678 redintegravit, ut nobis testatur Innocentius XII (2); ipse demum Innocentius XII, anno 1692 severe praescribit, ne in missa alia motetta cantentur praeter Introitum, Graduale, Offertorium; unam tantum exceptionem facit: permittit, ut in expositione ss. Sacramenti et *in elevatione in missa sollemni* hymnus aliquis s. Thomae ex officio Corporis Christi cantetur (3). Innocentius igitur cantum motettorum in missa sollemni prorsus abrogavit; ut tamen praxi tunc usitatae favorabilem se exhiberet, momentum aliquod missae ab omni cantu vacuum pro cantu unius hymni elegit, et quidem ipsam elevationem; usus ad elevationem hymnum aliquem eucharisticum cantandi tunc temporis in Gallia iam erat propagatus, ut refert Cardinalis Bona (4). Hac concessione autem Innocentius ius liturgicum tunc vigens valde immutavit; Paris Crassus et omnes liturgici valde solliciti fuerant, ut omnis cantus elevationis tempore cessaret; Caeremoniale anno 1600 severe silentium praescripsit elevationis tempore nunc omnes hi labores frustrati erant! Anno 1753 etiam S. R. C. hanc rem suam fecit et concessit, quod « in elevatione ss. Sacra-

(1) Magnum Bullarium Romanum. VI. Luxemburgae 1742, 54-55.

(2) Magnum Bullarium Romanum, VII. Luxemburgae 1741, 266.

(3) Magnum Bullarium Romanum, VII, Luxemburgae 1741, 266-267.

(4) Bona. *Rerum liturgicarum libri duo*. L. II, c. XIII, 2. Editio Coloniae Agrippinae 1674, 778.

menti in missis solemnibus cani possit » Tantum ergo « vel aliqua antiphona tanto Sacramento propria » (1). Attamen res haec liturgicis nunquam probata erat, insuper textus Caeremonialis intactus semper permansit et semper adhuc silentium in elevatione praescribebat; liturgici ergo utrumque componere conabantur; sic de Herdt (2) anno 1853 proponit « sub elevatione *vel potius postea* » cantari posse hymnum eucharisticum, et Falise anno 1876 scribit, non licere cantoribus durante elevatione aliquid cantari: « Attamen, *antequam resumatur Benedictus,* cantari potest Tantum ergo, vel O salutaris, vel quid aliud in honorem ss. Sacramenti » (3). Talis erat status rerum, cum anno 1886 viri periti ad revisionem textus Caeremonialis accederent; secundum Caeremoniale tunc erat ordo hic:

Sanctus, Organum / Elevatio, Benedictus;

secundum concessionem Innocentii et S. R. C. erat ordo hic:

Sanctus, Motettum / Elevatio, Benedictus.

Hic nunc revisio manum apponit, assumit methodum a Falise propositam; motettum ab ipsa elevatione aufertur et poterit cantari *immediate post elevationem,* quid sequitur pro *Benedictus?* Etiam recedit et erit nunc ordo hic:

Sanctus, Organum / Elevatio, Motettum, Benedictus.

Benedictus manet in antiquo suo loco post elevationem, nam textus in secundo libro in hac revisione nequaquam mutatus est, sed mansit in vigore suo; tantum nunc *antequam resumitur Benedictus* cantari poterit motettum. Nihil

(1) S. R. C., 2424[6].
(2) de Herdt. *Sacrae liturgiae Praxis*[2]. I, 1853, 135.
(3) Falise. *Liturgiae practicae Compendium*. Ratisbonae 1876, 119.

ergo omnino haec revisio textus circa cantum *Benedictus* mutavit, sed motettum tantum opportuno loco reposuit.

Hoc idem etiam ii nobis dicunt, qui optime hanc revisionem textus noscere debuerunt, revisio haec textus — utpote quae versabatur unice circa rubricas de musica — peracta est ab illa commissione, quae apud S. R. C. constituta erat, pro edendis libris liturgicis cum cantu *Medicaeo;* magnas partes habuit in hac revisione R.mus Doctor Haberl, Ratisbonensis, qui erat Consultor S. R. C., hic etiam historiam huius revisionis textus nobis tradidit et in hac de hoc nostro textu dicit: « A primo textu (1) hic novus in eo differt, quod organum pulsatur a Sanctus vel potius *Benedictus* (cf. l. II, c. VIII, n. 71), usque ad Pater noster, et quod post elevationem motettum aliquod opportunum cantari possit » (2). Clare igitur R.mus Haberl ad secundum librum nos refert, in quo *Benedictus* post elevationem assignatur; ergo etiam secundum novum hunc textum *Benedictus* post elevationem cantandum est. Anno 1887 Dr. Haberl novam editionem sui libelli « Magister choralis » edidit; etiam in hac affirmat *Benedictus* semper post elevationem cantandum esse; et textum recognitum primi libri proponens, ad verbum dicit: « manet tamen immutata rubrica libri secundi, cap. VIII, n. 70-71 » (3). Ergo hic iterum Dr. Haberl proposuit etiam secundum hunc novum textum *Benedictus* peracta elevatione cantari. Clarius adhuc rem proponit Edmundus Langer in ephemeride aliqua de musica sacra edita a Doctore Witt; hic de revisione nostra scribit: « Novum esse sequens additamentum et post elevationem poterit immediate motettum aliquod opportunum cantari », quamvis, id quod continet, iam prius concessum erat; *Benedictus post elevationem* tamen omittendum non est,

---

(1) i. e. a textu anni 1600.

(2) Dr. Haberl in publicatione: « Kirchenmusikalisches Iahrbuch », annus II, 1887, 92[2].

(3) Dr. Haberl. *Magister choralis*[8]. Raisbonae, 1887, 105.

nam in libro secundo semper adhuc legitur: « Elevato Sacramento chorus prosequitur cantum *Benedictus* ». Tamen per illud « immediate » nunc statutum est, quod motettum illud debeat *Benedictus* praecedere » (1). Idem prorsus nobis dicit auctor germanicus Krutschell (2), qui etiam revisionem hanc optime noverat.

Quid ergo habemus? vultae textus hic aliquid novum statuere circa cantum *Benedictus?* Minime; etiam secundum hunc textum *Benedictus* post elevationem cantatur. Etiam hoc adhuc hic considerandum est: inde ab anno 1600 usque ad annum 1886 est principium apud omnes liturgicos firmum, quod secundum Caeremoniale *Benedictus* semper post elevationem cantetur, quod de cantu *Benedictus* in uno tantum Caeremonialis loco, in libro nempe secundo, sermo est. Et nunc haec simplex revisio textus totam hanc traditionem vellet eradicare, quin unum tantum verbulum nobis dicat? Evidentibus sane argumentis probari deberet, quod per hanc textus revisionem tota legislatio de cantu *Benedictus* mutaretur, quod Caeremoniale nunc in contradictionem cum se ipso poneretur, in secundo libro cantum post, in primo ante elevationem praescribens! quod sane probari non potest, cum obstet historia textus, finis mutationis et clarum Doctoris Haberl testimonium. Si novum ius de cantu *Benedictus* statueretur, hoc necessario in secundo libro fieri debuit, cum hic sit unicus textus, in quo de cantando *Benedictus* agitur.

Nullo ergo iure ex hoc textu recognito potest inferri, ut facit Dr. Drinkwelder, hic cantari *Benedictus* ante elevationem; textus hic — etiam verba illa « immediate » — apprime consonant cum secundo libro, et ordo erit hic:

(1) Edmundus Langer., in Ephemeridibus Associationis s. Caeciliae: Fliegende Blätter für Kath. Kirchenmusik » anno XXII, 1887, 38.

(2) Paulus Krutschell. *Die Kirchenmusik nach dem Willen der Kirche*[5]. Ratisbonae 1901, 276.

Sanctus, Organum / Elevatio, Motettum, Benedictus, Organum, Pater noster.

Attamen erant omnia opportuna, quae in hac textus revisione statuta erant?

Nemo non videt, quod incommodum aliquod erat, motettum cantui *Benedictus* praeponere; id quod licitum et toleratum tantummodo erat, ei quod stricte est praeceptum praeponitur; si quando motettum prolixius erat, non aderat periculum, ne *Benedictus* omitteretur? Bonum certissime erat, istud motettum ab elevatione removere, sed non adeo bonum erat, illud *ante Benedictus* reponere. Quae incommoda sane non fugerunt S. R. C. et anno 1894 editum est sequens Decretum generale: « Dum ss. Sacramentum, sive sub una sive sub altera specie elevatur, cantoribus esse omnino silendum, iuxta Rubricas, iisdemque Sacramentum cum ceteris adorandum. Quod si peracta ultima elevatione, quam iuxta Rubricas statim *Benedictus* subsequi debet, ad Orationem Dominicam usque, aliquid modulari libeat, S. R. C. id permittit, dummodo de iis, quae ex liturgia canenda sunt, nihil praetermittatur, Celebrans a Missa continuanda haud impediatur, et quod concinitur ad Sacramentum pertineat » (1). In hoc decreto primo pro elevatione cessatio omnis cantus requiritur; concessio igitur Innocentii XII et a S. R. C. anno 1753, quae iam revocata erat per textus revisionem ab anno 1886 per repositionem motetti, hic clare revocatur et Caeremonialis dispositio in antiquum ius suum restituitur. Hanc revocationem ipsa S. R. C. clare proponit, cum in indice generali Decretorum authenticorum haec habeantur: « Cantari potest in Missa solemni ad elevationem ss. Sacramenti Tantum ergo, etc. vel aliqua Antiphona tanti Sacramenti propria 2424 ad 6; *sed hoc decretum emendatum est altero generali,* quo Cantores ad elevationem in Missa omnino silere et adorare debent cum ceteris ss. Sacramentum » (2).

(1) S. R. C., 3827 3.

(2) Decreta authentica. V. Index generalis, 76.

Sin etiam explicationes indicis totius Collectionis non sunt omnes authenticae, tamen sunt eae, in quibus decreta repugnantia specietenus componuntur, quod auctor indicis ipse affirmat: « Hisce vero haud pluribus mendis, antitheseos speciem prae se ferentibus, nunquam non consuluit satisque fecit Indicis Auctor, opportunas afferens adnotationes et explicationes; *quas, recognitas a Liturgicae Commissionis Sodalibus Sacra ipsa Congregatio probavit atque vulgari concessit* » (1). Nullimode hodie adhuc permittitur ad ipsam elevationem cantandi aliquid, ut falso etiam post decretum anni 1894, affirmant Schober (2) et Schmid (3); hi auctores progressum iuris liturgici non advertentes, ius antiquum, sed ut melius loquar, concessionem antiquam adhuc proponunt. Anno 1901 iterum S. R. C. edixit, non obstante consuetudine a pluribus annis invecta, omnem cantum in elevatione silere debere (4); iterum igitur antiqua Caeremonialis lex inconcussa stat.

Secundo hoc decretum anni 1894 motettum in textus revisione anni 1886 *ante Benedictus* positum, *post Benedictus* reponit; et optimo iure hoc factum est; praecedere enim debet id, quod est praeceptum, et dein, si tempus suppetit, poterit sequi, quod est toleratum tantummodo. *Materialiter* ergo nunc illud *immediate* anni 1886 retractatum est; hoc idem iterum fecit Motu proprio Pius X, anno 1903; hic legitur: « Unum iuxta Ecclesiae Romanae consuetudinem conceditur post solemnis Missae ℣. *Benedictus* canticulum Ss. Eucharistiae » (5), etiam hic motettum *Benedictus* sequitur.

Nunc in legislatione liturgica occurrit Motu proprio Pii

(1) Decreta authentica, V. Index generalis. Praefatio.

(2) Schober. *Caeremoniae Missarum Solemnium*². Ratisbonae 1909, 279⁵.

(3) Andreas Schmid. *Caeremoniale*³. Kemplen und München 1906, 207.

(4) S. R. C., 4071¹.

(5) S. R. C., 4121⁸.

Papae X, ab anno 1903; quid hoc dicit de cantu « *Benedictus* »? dico: diserte nihil statuitur, sed *supponitur* omnino hic ordo: Sanctus, Elevatio, Benedictus, Motettum. Dicit primo Pontifex: « Iuxta ecclesiastica monita ℣. *Sanctus* in missa ante " elevationem „ absolvendus est; quamquam et ipse sacerdos Sacra peragens, cantorum rationem habere debet » (1). Sub ℣. *Sanctus* autem Pontifex intelligit Trisagium usque ad *Benedictus* exclusive; nam dicit, *iuxta ecclesiastica monita* cantum finitum esse debere; quae monita non sunt alia, nisi ipsius Caeremonialis, libro secundo, ubi Trisagium usque ad *Benedictus exclusive* ante elevationem finiendum praecipitur; deinde dico: Pontifex sub verbis « *Sanctus* » nihil aliud intelligit, quam quod anno 1903 unusquisque sub his verbis intelligebat, quod est Trisagium usque ad *Benedictus exclusive*. Deinde Pontifex in Motu proprio dicit, ut modo dixi, canticulum Eucharistiae post *Benedictus* cantari posse; sane, si secundum Motu proprio *Benedictus* cantaretur ante elevationem, nonne Pontifex dixisset, motettum cantari *post elevationem?*

Ultimum stadium in legislatione liturgica de cantu *Benedictus* designatur per hoc decretum datum anno 1909: « Utrum in missa solemni *Benedictus* cani possit ante elevationem, vel standum sit praescriptioni Caeremonialis Episcoporum lib. II, cap. VIII, n. 70-71? Respondetur: « Standum Caeremoniali Episcoporum et Decretis » (2). Nunc attendas: inde ab anno 1600 apud liturgicos stat firmum principium: secundum Caeremoniale *Benedictus* semper post elevationem cantandum est; etiam revisio textus anno 1886 hoc principium supponit et agnoscit; unum tantum apud nonnullos liturgicos adhuc est dubium, utrum illa Caeremonialis dispositio valeat etiam in missa solemni non pontificali; ecce nunc quaestio illa proponitur et quaestio de cantu *Benedictus* ultimum suum stadium ingreditur et so-

(1) S. R. C., 4121[22].
(2) S. R. C., 4243[6].

lutio est: etiam in missis solemnibus servandum est Caeremoniale; si nunc scis, quod inde ab anno 1600 apud liturgicos est identicum prorsus « servandum est Caeremoniale » et « *Benedictus* post elevationem cantandum est », tunc intelligis, quomodo recte omnino declaratione mere comprehensiva hoc decretum in indice authentice in hunc sensum declaretur: « Benedictus in Missa solemni cani nequit ante elevationem, sed canendum est peracta elevatione ». In hoc decreto ergo S. R. C. accessit ad magnum numerum optimorum liturgicorum, qui semper hanc legem de omnibus missis applicabant.

Recte ergo omnino praeses generalis associationis a s. Caecilia nuncupatae in Germania Dr. Müller declaravit, secundum suam opinionem decretum anni 1909 in indice authentice eo declaratum esse, quod *Benedictus* semper peracta elevatione cantandum sit (1). Contra hanc Dr. Müller sententiam Dr. Drinkwelder vehementer recalcitravit in articulo quodam: « Darf das Choral - Benedictus nach der heiligen Wandlung gesungen werden? » (2). Artificialibus prorsus constructionibus hic Dr. Drinkwelder probare conatur, quod tum decretum anni 1909 tum authentica eius in indice declaratio non valeant de cantu gregoriano. Sed tota haec Dr. Drinkwelder explicatio his duobus innititur suppositis: legem anni 1600 non valere in cantu gregoriano, et in primo Caeremonialis libro *Benedictus* ante elevationem cantari. Quae duo supposita, ut demonstratum est, sunt falsa et ideo Dr. Drinkwelder sententia nulla indiget ulteriore refutatione.

Adhuc alterum momentum habet decretum anni 1909: anno 1907 in lucem editum est Graduale Vaticanum cum Rubrica illa, quae de cantu Benedictus nihil definit, sed

(1) In Ephemeride: Cäcilienvereinsorgan. Ratisbonae annus 48, 1913, 245.

(2) « Potestne *Benedictus* in cantu gregoriano cantari ante elevationem? » In Ephemeride: Musica sacra. Ratisbonae, annus 47, 1914, 57-58.

rem indecisam relinquit (3). Hac Rubrica anno 1907 edita nonnulli putabant *Benedictus* nunc ante elevationem cantari posse; et nunc de hac re anno 1909 interrogatur; et respondetur: « Standum Caeremoniali et Decretis » i. e. tota res secundum Caeremoniale et Decreta diiudicanda est et non secundum Rubricam illam Gradualis. Nemo ergo abhinc ex illa Rubrica Graduali de cantu *Benedictus* argumentari potest, sed tota res diiudicanda est ex Caeremoniali et Decretis.

Hisce legislatio liturgica in re nostra absoluta est; vides quomodo res historice considerata perspicua est et clara. Sed stat semper adhuc textus ille anno 1886 revisus cum verbulo suo « *immediate* »; si ex hoc textu proponuntur difficultates, nunc scis, quod a limine reiicienda sit sententia in hoc textu *Benedictus* cantari *ante elevationem;* tantum circa locum motetti potest esse quaestio et in hac re teneas: *materialiter* hoc « *immediate* » per decretum anni 1894 et per Motu proprio Pii X ab anno 1903 est retractatum; quamdiu stat adhuc in textu, illud declares cum Martinucci-Menghini ita, « et post elevationem poterit, immediate post *Benedictus* » (1), vel ut facit P. Victor ab Appeltern, qui post decretum anni 1909 a sententia sua, posse in missa non pontificali *Benedictus* ante elevationem cantari, recessit, et nuperrime rem ita proponit: « et post elevationem poterit immediate motettum aliquod opportunum cantari (nempe postquam Benedictus cantatum fuerit) » (2). Attamen valde desiderandum est, ut textus anno 1886 revisus in editione aliqua futura typica mutetur, et quod optimum est, ad textum originalem anni 1600, relictis fortasse notis de organo, reducatur. Primo, quia de facto res concessa materialiter mutata est; dein propter mutatas

(3) Cf. supra p. 362.

(1) Martinucci-Menghini. *Manuale Ss. Caeremoniarum*[3]. Romae 1911, 164-165.

(2) « Dissertatio de cantu liturgico et de organi sonitu ». Ephemerides liturgicae, anno XXVII, 1913, 27.

circumstantias: anno 1886 haec revisio textus desideratam quidem occasionem praebebat motettum illud ab ipsa elevatione removendi, sed hoc nunc clare et efficacius per decretum generale 1894 et Motu proprio Pii X factum est; ratio igitur huius incisi non amplius subsistit; tertio valde nos movere debet ad restituendum textum anni 1600 tota ratio textus huius, utpote qui non de ordinando textu sacro agit, sed tantum de normis in *adhibendo organo* in missa servandis; per incisum istud tota concinnitas textus rumpitur; quarto nos movere debet, quod textus prout iacet, vix comprehendi et recte intelligi potest, si quis non totam evolutionem historicam prae oculis habet; quot viros textus hic iam in errorem induxit! quot iam ex hoc textu intulerunt, *Benedictus ante elevationem cantari!* et tamen textus libri tanti momenti debet esse facilis et obvius ad intelligendum.

Comprehendamus nunc totum:

Anno 1600 Caeremoniale Episcoporum novam legem ferens Trisagium cantandum in duas partes dividit, quarum una ante, altera post elevationem cantanda est; haec lex secundum verba legis et unanimem interpretationem factam tum in praxi tum in theoria omnium liturgicorum valet de omnibus musicae sacrae generibus, de cantu gregoriano eodem modo quo de cantu polyphonico; quaestio utrum valeat de omnibus missis in praxi et per plurimos liturgicos eo decisa erat, quod de omnibus missis tum pontificalibus, tum non pontificalibus valeret; quod anno 1909 a S. R. C. sancitum est; eo ipso quod valet de missis solemnibus, valet etiam pro missis cantatis (1). Textus libri primi Caeremonialis non agit de cantando *Benedictus,* et ex hoc textu neque in recensione anni 1600 neque in recensione anni 1886 potest locus *Benedictus* determinari; tamen utraeque recensionens concordant cum textu libri secundi, secundum quem *Benedictus* post elevationem cantatur. *Secun-*

(1) Cf. quae dixit Dr. van Openraaij supra, p. 287.

dum ius liturgicum nunc vigens igitur Benedictus in omnibus generibus musicae sacrae tum in cantu gregoriano tum in cantu polyphonico — et in omnibus missis — tum pontificalibus tum non pontificalibus solemnibus vel cantatis post elevationem cantandum est.

Est nunc ratio cur desideremus, hoc ius in futuro mutari? Minime; optime quidem et nos scimus, quod aliquando in cantu gregoriano *Benedictus* ante elevationem cantabatur; sed hoc idem fiebat, cum compositiones polyphonicae breves adhuc essent! Et bene omnino hoc fiebat, cum *cantus gregorianus adhuc esset unicus in ecclesia cantus;* sed nunc statu rerum valde permutato *uniformitas* maximi est momenti; in hac re medium obtinendi silentium ad elevationem non potest relinqui uniuscuiusque arbitrio, sed ipsum medium accurate debet proponi et quidem medium uniforme valens pro hoc genere musicae sacrae eodem modo ac pro illo. Si fortasse futuro tempore cantus gregorianus iterum erit *unicus in ecclesia* cantus, tunc etiam iterum *Benedictus* apte ante elevationem cantari poterit. Non omnia utique, quae aliquando in ecclesia erant, et quae suo tempore bona erant, etiam pro aliis temporibus bona sunt, in quibus longe *aliae sunt circumstantiae.* Si ergo hodie in cantu gregoriano cantabis *Benedictus* ante elevationem, cur non etiam in compositionibus brevibus univocis, ut e. g. multae exstant pro missis de Requie? et si in his, cur non etiam in compositionibus brevibus polyphonicis? et ubinam erat regula diiudicandi, quaenam compositio sit adhuc brevis et quae non? Iudicium sane magistri chori! Ecce, quomodo omnia arbitrio unius committuntur! Et ubi manet uniformitas, si hodie ante, cras post elevationem *Benedictus* cantatur! Propter mutatas ergo circumstantias, quod olim erat bonum, hodie nondum bonum est, et non est, cur desideremus, quod ius nunc vigens mutetur; non omnia sane, quae apud liturgicos veteres invenimus iterum in hodiernam praxim introducenda sunt.

INNSBRUCK (Collegium Canisianum).

Theol. HENRICUS DE MEURERS.

Consultationes.

BREVIORA RESPONSA

Pro Hispania. — I. Iuxta Decretum 2027, III, « Canonicus Hebdomadarius, post aspersionem aquae benedictae die Dominica, potest in medio Altaris, ante gradus, se spoliare pluviali et induere casulam in eodem loco, immediate celebraturus, *etiam Episcopo assistente,* dummodo casulam non accipiat de Altari »; iuxta Decretum vero 3110, IV, id, *dumtaxat absente Episcopo,* permittitur. Quid?

Resp. Decreta in dubio citata sunt particularia; et proinde diversa eorum sententia ex circumstantis explicari debet. In loco primo citato, agitur de *consuetudine* in cathedrali Burgi S. Sepulcri existente, quam Episcopus *abusum* vocaverat (vide introductionem ad Decretum), sed S. Congregatio talem non invenit, et ideo respondit affirmative, seu: ubi consuetudo est, etiam praesente Episcopo, quod Celebrans apud Altare post aspersionem in Dominicis pluviale deponat, manipulum et casulam assumat, haec servari potest. In altero autem loco, agitur de petitione et responso pro particulari ecclesia, sed verbis generalibus expressis; nihil dicitur de usu in cathedrali Sancti Marci vigente, et tantummodo proponitur dubium, de iure communi solvendum; et responsum prodiit cum clausula: nisi adsit Episcopus. Ergo, ubi alia consuetudo aliter faciendum non suadet, praesente Episcopo, nequit celebrans post aquae aspersionem pluviale dimittere et casulam sumere apud Altare.

II. Die 20 Aprilis 1641 (Decr. 750) a S. R. C. definitum fuit: « Dignitati seu Canonico solemniter celebranti,

pro Diacono et Subdiacono inservire debere pariter Canonicos, et non alios inferiores, non obstante contraria consuetudine, quam abusum eadem S. R. C. declaravit »; contrarium porro fieri posse e Decretis 2703 et 3937 eruitur. Quomodo res componenda?

Resp. Regulariter ubi praebendae non sunt distinctae in Presbyterales, Diaconales et Subdiaconales, non tenentur Canonici ministrare in Missis aliis Canonicis celebrantibus, neque ipsis Dignitatibus (Cfr. et Decreta 3782; 3839, II et III; 3893).

III. Iuxta Rubricam Missalis (Ritus servandus in celebratione Missae, IV, 4). Diaconus ministrans thus Celebranti dicere debet: *Benedicite, Pater reverende;* et Decretum 2027, VI praescribit *Benedicite, reverende Pater* Canonico celebranti in tali casu dicendum. Quid in praxi?

Resp. Supervacaneam iudicamus quaestionem hanc; etenim S. Congregatio noluit aliquid novi dicere in suo citato decreto, sed respondit dubio prouti expositum fuit, sollicita non de corrigenda anteversione vocabuli, sed de titulo superlativo, quem excludere volebat. Ceterum parvi transpositionem esse faciendam, imo nihili, innuit ipsum Caeremoniale Episcoporum, dum de Subdiacono loquens, lib. I, cap. X, n. 5, ait: « ...ampullam vero aquae ipse Episcopo ostendit, et petit ut benedicat, dicens: *Benedicite, reverendissime Pater* ». Et lib. II, cap. VIII, n. 63, de eodem Subdiacono, et pro eodem casu, inquit: « Subdiaconus vero urceolum aquae parumper versus Episcopum elevans, dicit: *Benedicite, Pater reverendissime* ».

Unde concludendum, standum esse rubricae Missalis, sed eos non esse inquietandos, qui transpositionem dictorum verborum faciant, etiam quando agitur de simplici sacerdote celebrante.

IV. Decretum 2991, III, supponit sigillum episcopale Reliquiis in sepulchro Altarium portatilium inclusis apponi posse; dum Decretum 3726, III, tale sigillum non debere apponi constituit. Quid tenendum?

Resp. Non est rectum dicere, decretum supponere episcopale sigillum, quia id asseritur appositum in dubii expositione, nihil autem de eo habetur in responsione, in qua quinimo excluditur, cum dicitur quid fuerit agendum in casu, exclusa alia caeremonia, seu appositione sigilli, sub verbis, *et nihil aliud.* Unde standum decreti 3726, III, dispositioni.

V. Paragraphus XXXI *Instructionis Clementinae* praecipit ut Celebrans, ad impertiendam benedictionem cum SS.mo Sacramento, *solus* ad Altare ascendat; et, iuxta eiusdem paragraphi commentarium (n. 12) cum Sacerdote ascendere debent Sacri Ministri, ut fimbrias pluvialis durante benedictione elevent. Quid in praxi tenendum?

Resp. Recte dicitur ascendere solum Celebrantem, quia Ministri non ascendunt ad ipsum, sed ad oram suppedanei, in casu. Utrum ascendere debeat vel possit Diaconus ad tradendum SS. Sacramentum ipsi Celebranti, alia quaestio, de qua hic non inquiritur.

VI. Maxime denique iuvat permulta Decreta conciliare quae circa *Caeremonialis Episcoporum* observantiam promulgata fuere; Decreta enim 316, 320, 398, 1284, 1612, 1666, 3839 ad 1, 2 et 3, et alia, immemorabiles consuetudines contrarias praedictum *Caeremoniale* e medio tollere constituunt; dum Decreta 132, 154, 165, 184, 218, 299, aliaque multa, antiquas et laudabiles consuetudines contra *Caeremoniale* permittere. Quid?

Resp. Res componendae sunt iuxta varios casus, et profecto in casibus, in quibus S. Congregatio dicit *etiam immemoriales consuetudines esse tollendas*, quae sunt contrariae Caeremoniali, obtemperandum omnino est. Eadem enim Auctoritas quae in genere *tolerat* contrarias consuetudines, in particulari, si ita decernendum censet, *damnat.* M.

Pro Columbia. — I. Feria V^a^ in Coena Domini, postquam in Missa solemni distributa fuit fidelibus sacra Communio, Celebrans, id est, parochus in sua paroecia (et ipse Episcopus in suo Cathedrali), consumit omnes omnino Hostias con-

secratas, ita ut nulla supersit nisi Hostia maior praeconsecrata pro officio insequentis diei. Cum autem hoc videtur esse aperte contrarium Rubricis, agitur enim de Ecclesia parochiali et de Cathedrali in quibus ss. Sacramentum asservari debet pro infirmis, si qui forte in sacro triduo decedant e vita et sacro viatico muniri prius indigeant, Parochi quidam et alii de hoc moniti, monitionem flocci faciunt, et a suo agendi modo non recedunt, quadruplici innixi ratione (arundinea ut reor), scilicet:

1. hanc esse suam consuetudinem.

2. vetitum esse in eadem ecclesia asservare S. Eucharistiam in duobus altaribus.

3. non esse probabile quosdam morituros in sacro triduo, et

4. dato quod aliqui infirmi graviter decumbentes sacro viatico refici debeant, praesto sunt oratoria semipublica piarum Communitatum, in quibus asservatur SS^{mum} Sacramentum, et e quibus afferri potest ad infirmos.

Quaeritur: An revera tolerari possit modus agendi supra descriptus pro ecclesiis cathedralibus et parochialibus?

Resp. Usus vigens in paroeciis vel ecclesiis collegialibus vel cathedralibus non asservandi triduo hebdomadae sanctae ss. Eucharistiam in pyxide, non videtur adversari Rubricae, cum nullibi, neque in Caeremoniali Episcoporum, neque in Missali Romano asservatio haec praescribatur, sed tantummodo consilium datur ne aliquis infirmus sacrae Eucharistiae refectus moriatur. Haec autem facultas non extenditur oratoriis publicis vel semipublicis piarum communitatum; quia huiusmodi oratoria, ut in praeterito fasciculo, mensis maii, diximus, etsi habent indultum conservandi per totum annum ss. Sacramentum, excludi tamen debet triduum mortis Domini; quia si in ecclesiis, in quibus de iure semper Sacramentum custoditur, in dicto triduo id a Rubricis prohibetur, multo magis in oratoriis ubi ex indulto tantum conservatur. Hisce dictis, usus vigens, non asservandi SS. Eucharistiam in ecclesiis improbandus est, propter, si dicere

licet, temeritatem, cum non sit improbabilis casus ministrandi SS. Viaticum infirmis triduo haebdomadae sanctae, et cum non sit recurrendum oratoriis communitatum religiosarum, in quibus prohibetur ista asservatio, exceptione facta pro monasteriis exemptis, maxime ubi communitas sit numerosa.

II. In iisdem ecclesiis parochialibus et cathedralibus etiam celebrante Episcopo, ante altare maius, in Sabbato Sancto, permagnum protenditur velum albi aut violacei coloris, ita ut altare omnino occulatur a conspectu fidelium; officium interea Sabbati Sancti peragitur ante praedictum velum, dum eodem tempore altare maius ornatur pro Missa solemni quae in dicto altari celebrabitur; quum autem perventum est ad *Gloria in excelsis Deo*, removetur velum illud magnum.

Ratio sic agendi est duplex:

1. Consuetudo sic faciendi quotannis.

2. Quo facilius ornetur altare, quum minus decenter fieri posse aiunt, si id fieri deberet ad *Gloria in excelsis*, siquidem non decet, aiunt, coram multitudine cernere sacristam vel clericos huc illuc per altare discurrentes cum floribus, etc.

Quaeritur: An haec consuetudo velum apponendi ante altare sustineri possit?

Resp. Allata consuetudo apponendi ante altare velum violacei coloris (non autem albi) cum officium Sabbati Sancti peragitur, et ad intonationem hymni angelici *Gloria in excelsis* removendi, non tantum, iuxta aliquorum opinionem, substineri potest, sed et omnino laudanda, dummodo haec remotio facile decoreque efficiatur. Nil, aiunt, circa hanc rem Caeremonialis Episcoporum vel Missalis Romani silentium refert: et si praxis allata non videtur ab explicita lege adprobata: nemo auctorum de rebus liturgicis censuram facere audet, cum sit spiritui Ecclesiae satis consona, et duabus distinctis functionibus non tantum opportuna, sed et plene rationalis. Sed iisdem opinantibus opponimus decretum S. Rit. Congreg. n. 3110 ad XII, quod ad dubium: In Missa Sabbati

sancti dum a celebrante intonatur cantus Hymni Angelici, permittenda ne est discensio panni seu velaminis Passionis super altare paratum ad festum; ita ut habeatur aliquid ludicrum atque illusorium apud fideles, propter illam subitam atque scenicam mutationem ornatus et status ecclesiae, cuius fores seu fenestrae tunc temporis simul aperiuntur? — Respondit: Negative; et exclusa quavis scenica repraesentatione, altaris imago contecta sit velo simplici violacea ad formam Caeremonialis, demittendo ad Hymni Angelici intonationem iuxta usum ecclesiarum.

III. Secluso scandalo, Sacerdos non celebrans Missam (legitimo impedimento) potest, absente alio Sacerdote, seipsum communicare, servatis servandis. In casu quo praeter ipsum Sacerdotem, alii velint etiam Corpus Christi sumere (quod praecipue evenire potest in sacellis piarum Communitatum), quomodo se gerere debet iste Sacerdos, se et alios communicare volens?

Resp. Haec questio videtur potius theorica quam practica; et sane: Si sacerdos habet vim et commodum seipsum et populum communicandi, quomodo supponi potest vi celebrandi deficere? Sed datum quod ad celebrandum deficeret verbigratia aliqua ex materiis consecrandis, et omnino necesse sit ss. Eucharistiam sibimetipsi et adstantibus ministrare, ritus adhibendus in casu esset sequens: Accensis candelis, et praemissa *Confiteor* recitatione, sacerdos preces in Rituali Romano praescriptas dicat in primam pluralem personam « Misereatur nostri..... peccatis nostris..... perducat nos..... Indulgentiam..... peccatorum nostrorum..... tribuat nobis, etc. »; deinde ter more solito: « Ecce Agnus Dei », et reversus ad altare secreta voce dicit « Corpus D. N. I. C. custodiat animam meam », sumit particulam; deinde ad populum accedit et ei administrat Eucharistiam. Omnibus expletis, ait: « Benedictio Dei omnipotentis: Patris..... descendat supernos et maneat semper. Amen ».

Appendix

ad Caeremoniale Parochorum

(Continuatio. Vide n. 6, curr. anni pagg. 377-381)

4. Ecclesiae spiritus est, imagines reliquiasque Sanctorum, exposito Sanctissimo, aut velo cooperiri aut prorsus ab altari removeri (DD. 3241[4]. 3320, 3365); ne 1° iuxta peritorum doctrinam, adstantium attentio distrahatur a Sacramento, et ad illa convertatur; ne 2° ad altare, ubi statua vel imago solemniter aut loco principali veneranda proponitur, Ss. Sacramentum in loco humiliori positum, minorem etiam cultum sibi vindicare videatur; ne 3° hac miscela et obiectorum multiplicitate pietas adstantium infirmetur. Hisce positis, adstantium attenttio a Sacramento magis abstrahitur ob preces ad honorem Sanctorum, quam ob meram expositionem imaginum et reliquiarum. Sed obiicitur: In oratione XL Horarum non praescribitur cantus litaniarum Sanctorum; et insuper, praxis canendi litanias lauretanas et legendi preces ad Sanctorum honorem et Deiparae coram Sanctissimo non est a decretis S. Rituum Cong.nis nn. 3530[1], 4100[3], approbata et confirmata? Quinimo, exposito Sanctissimo, possunt quoque in novendialibus ad honorem B. M. V. et Sanctorum vulgari eloquio effundi preces; dummodo 1° a legitima auctoritate sint approbatae; 2° non dicantur immediate ante benedictionem (DD. 3157[8], 3530[2], 3537[1]); 3° non sint preces liturgicae (D. 3537[3]. Post tam ingentem congeriem decretorum circa hanc rem, quomodo quis audebit hanc universalem praxim condemnare?
5. Litaniae idem sonant ac rogationes et processiones, et fiunt ut Deus peccatis populi sui propitietur, et ab eo flagella irae suae avertere dignetur; pacem et aeris salubritatem concedere, fructus terrae dare et conservare, omnibusque necessitatibus suorum fidelium benigne prospicere dignetur. Dictae fuerunt litaniae sanctorum non quia ita specialis honor sanctis tribuitur. sed quia, illorum invocatione, petuntur peculiares gratiae, seu liberatio a malis in litaniis contentis a ℣℣. *Propitius esto* usque

ad *Fili Dei;* et divinum auxilium pro nobis, pro pontifice, pro benefactoribus, pro defunctis et fratribus absentibus imploratur. Attente structuram litaniarum sanctorum examina, et invenies, precem nullam sanctis, sed soli Deo omnes directas. Rogationibus occasionem dederunt flagella, caedes, calamitates et omnia mala quae in terris defluunt, et ecclesia ad pietatem divinam obtinendam hanc peculiarem formulam orationis nobis donavit. Iuxta rituale romanum omnes poenitentiales processiones *aguntur ut in Litaniis Maioribus*. Pari modo, adstante aliquo periculo, dum litaniae Sanctorum non dicuntur in processione, sed in ecclesia, convenientius est ante ss. Sacramentum expositum illas canere. Quod dictum est de litaniis sanctorum non verificatur de litaniis lauretanis, in quibus enucleantur Deiparae praerogativae ad illius validam intercessionem implorandam; aliis verbis sunt preces ad opportunitatem populi in versiculos redactae, ad colendam Matrem gratiarum: consultius ergo dicendae sunt ante expositionem.

6. Sed quid dicendum de congerie illa decretorum supra adducta? Functio, de qua hic est sermo, partim liturgica, partim extraliturgica dicenda est; eaque sensim sine sensu, extra urbem praesertim, invaluit. Non ideo mirandum si tot varietates in praxi videntur. Quaesita a plerisque ecclesiis proposita, et a sacro Rituum tribunali indulta, sicuti in authentica decretorum collectione prostant, revelant potius benignitatem ecclesiae indulgendo filiorum pietati, quamvis non saepe plene illuminatae. Quid pulchrius, si etiam functio haec ad normam plene liturgicam ageretur?

7. Si solemni benedictioni cum Sanctissimo preces in honorem alicuius sancti aut b. Mariae Virginis praesertim in novendialibus vel triduanis recurrentiis praemittantur, ita laudabiliter peragere exortamur: Antequam ss. Sacramentum e tabernaculo educatur, recitentur preces in honorem sanctorum vel b. Mariae, etiamsi lingua vernacula, a competenti auctoritate rite approbatae, cum versiculo et oratione liturgica. Dein facta expositione in altari, ut supra dictum est, suo tempore benedictionem sacerdos impertitur. Quoad preces vero in honorem vel sanctorum, vel B. M. V., in novendialibus, aut triduis, aut die eorum festivo, aut aliacumque occasione, notandum est utrum ipsae preces ad divinitatem directe effundantur an non; in primo casu pos-

sunt et merito coram Eucharistia sive supra altari in ostensorio sive ante ostium tabernaculi in pyxide exposita, recitari, secus ante expositionem ; cum ita et debita reverentia, et sensus liturgicus, et pietas rite ordinata satis consulant, orto enim sole necesse est ut alia sidera evanescant.

8. Concludendum est enim quod fusius alibi *Ephemerides Liturgicae* (ann. XVI, pag. 400, et sequent.) exposuerunt : Ante ss. Sacramentum expositum optandum esset quod preces omnes ad illud dirigerentur. Aliae preces b. Mariae virgini vel sanctis illis exibeantur antequam ss. Sacramentum e tabernaculo extrahatur. Ad hunc finem brevi supremam auctoritatem nonnulla declarare optandum est, ut abusus sensim sine sensu oborti tollantur.

ARTICULUS II.

De ritu benedictionis solemnis cum sacrorum ministrorum assistentia.

1. Diaconus et subdiaconus induuntur uti in missa solemni (DD. 2528 [1], 3799 [1]), exceptis manipulis : non autem uti in vesperis, nisi benedictio cum ss. Sacramento fiat immediate post eas, idest si celebrans cum pluvialistis ab altari non recedat (D. 4179 [8]); tunc, scilicet non post Vesperas, et celebrans induitur amictu et alba loco superpellicei (DD. 3029 [15], 3201 [6]), stola ante pectus in modum crucis aptata, et pluviali albi coloris; ceteri autem ministri superpellicea assumunt.

2. Ad altare praecedit thuriferarius cum thuribulo et navicula, tum duo vel plures clerici ceroferarii, dehinc, si adsit, caeremoniarius vel alius sacerdos aut diaconus Sanctissimum expositurus, cum stola super brachium sinistrum et bursa cum corporali ante pectus ; ultimo sacerdos celebrans cooperto capite, medius inter diaconum et subdiaconum, similiter cooperto capite, pluvialis fimbrias ei more solito elevantes.

3. Ad altare cum pervenerint, depositis biretis, omnes in plano genuflectunt (*Caer. Ep.* lib. I, c. 15, n. 5). Deinde in infimo gradu genuflexi (D. 2769, III ad 2) parumper orant, quod etiam thuriferarius (1) ceterique clerici retro post illos in genua provoluti peragunt.

---

(1) In plurimis Urbis ecclesiis (non tamen passim apud religiosas familias), usus fert ut thuriferarius non permaneat genuflexus thuribulum sustinens, neque thuribulum

4. Interim caeremoniarius, vel alius sacerdos vel diaconus, imposita sibi stola supra cottam (D. 2528), non supra mozetam DD. 2047[1], 3039[4]), ascendit ad suppedaneum (in eorum defectu diaconus assistens); corporale e bursa extrahit et explicat, aperit tabernaculum et genuflectit aliquantulum versus cornu epistolae, quin celebrans ceterique assistentes genuflexi caput inclinent, nisi vigeat consuetudo (D. 4179[2]). Capsulam de tabernaculo extrahit super corporale deponit, et tabernaculum occludit. Deinde aperit capsulam, genuflectit (D. 3576[12]). et lunulam cum sacra ostia in ostensorio collocat. Tum claudit capsulam, ostensorium in medio altari collocat, et iunctis manibus genuflectit et descendit (1).

5. Interim, ex laudabili consuetudine, cantatur *O salutaris hostia*, vel *Pange, lingua*, vel alia antiphona ad functionem analoga, dummodo ex adprobatis (D. 3157[8]).

6. Tum celebrans cum sacris ministris et thuriferario facta mediocri corporis inclinatione (D. cit. ad III, 2), surgit, et parum ad cornu evangelii se retrahens, ter ponit sine benedictione et osculis incensum; diacono naviculam ministrante, et subdiacono elevante fimbriam dexteram pluvialis. Quo facto, iterum genuflexus, de manu diaconi thuribulum accipit, et more solito Sanctissimum incensat cum mediocri corporis inclinatione ante et post (DD. 3086[3], 3157[8]), et sacri ministri, in actu incensationis, pluvialis fimbrias elevant.

7. Incensatione peracta, thuriferarius a diacono thuribulum accipit, et inter ceroferarios redit et genuflectit.

8. Chorales postquam altaris ministri intonaverint *Tantum ergo*, et cum proferuntur verba *Veneremur cernui*, omnes mediocriter se inclinant; deinde, repetita inclinatione a sacris ministris et thuriferario, hi assurgunt et incensum ministrant, uti supra. Intonato *Genitori Genitoque*, Sanctissimum incensatur cum debitis inclinationibus ante et post (2).

---

in functionis decursu apud se retineat, sed quoties eo opus est uti, toties ad sacristiam se recipiat. De hoc usu nil est inferendum, cum nobis satis non videatur laudabilis. Re enim vera, ista crebra deambulatio ab ecclesia in sacristiam, et vicissim, nonne erga Sacramentum reverentiae officit? nonne divagationem fidelibus gignit? nonne locum dat suspicandi quod clericus de officio spiritus dissipationem recipiat?

(1) Stolam tantum adhibet, dum tabernaculum aperit, et ipsum Sanctissimum pertractat; et statim ac has functiones peregit, stolam a collo pendentem sibi aufert et super brachium sinistrum plicat, vel apto loco deponit: eamdem vero imponens vel deponens osculari vel secus, iuxta consuetudinem, potest (D. 3990[1]).

(2) Decretum S. R. C. n. 4202[1] dirca duplicem incensationem Santissimi fn ostensorio, obligat sine dubio, et vetus consuetudo semel Sanctissimum incensandi prorsus abolenda est.

9. Finito hymno, cantores vel ministri altaris genuflexi (D. 3965[2]), canunt ℣. *Panem de coelo,* cui tempore paschali et infra octavam corporis Christi additur *Alleluia;* celebrans, sine ulla inclinatione, solus surgit, et stans manibus iunctis, ex libro quem ministri sustinent, qui tamen genuflexi manent (D. 4179[7]), cantat orationem *Deus, qui nobis.* Si autem necessitas adsit, poterit ipse celebrans sibi librum manibus sustinere.

10. Celebrans, genuflexus, velum humerale a caeremoniario vel acolytho assumit (1), quod subdiaconus ante pectus firmat.

11. Celebrans cum sacris ministris assurgens, suppedaneum cum diacono conscendit, subdiaconus vero in gradu suppedaneo proximiori perstat.

12. Diaconus, facta cum celebrante genuflexione, accipit ostensorium, illudque, facie eius anteriore ad se conversa, celebranti tradit (D. 3975[4]), et velo super manus celebrantis accommodato, descendit, et genuflectit utroque genu cum subdiacono in ora suppedanei, ubi, praemissa capitis inclinatione, fimbrias pluvialis in actu benedictionis elevant.

13. Celebrans, benedictionem populo impertit (2) ut antea diximus, qua peracta, dum ipse cum ostensorio se vertit ad cornu epistolae, diaconus ascendit, ac ostensorium, de manu celebrantis receptum, super corporali reponit; tunc, repetita ab utroque in suppedaneo genuflexione, et a subdiacono in superiori gradu, descendunt in planum (3), et in infimo gradu genuflectunt, quin caput inclinent. Hoc tempore non antea celebrans velum humerale dimittit.

14. Ut est in more, laudes *Dio sia benedetto* recitantur (D. 3237[1]), et interim caeremoniarius, vel sacerdos expositor, assumpta stola, ad suppedaneum ascendit, ibique, parum versus cornu epistolae genuflectit, lunulam cum sacra hostia in capsulam includit, tabernacutum aperit, genuflectit et capsulam in tabernaculum aperit, genuflectit et capsulam in tabernaculo recondit.

---

(1) Caeremoniarius vel acolythus, antequam assurgat iturus ad abacum ad velum humerale accipiendum, nullam reverentiam facere debet; si autem traaseat ante altare, in medio genuflectit (D. cit. ad III, 5).

(2) Benedictio necessario dari debet sub silentio chori, ita ut interea nihil omnino cantetur, non obstante quacumque contraria consuetudine (DD. 2464, 2722[8], 3058 2); organa vero pulsari possunt graviori et dulciori sono, ut in elevatione missae solemnis.

(3) Cavendum omnino est, ne terga vertantur Sacramento exposito. Ideo descendentes per gradus altaris, celebrans et subdiaconus aliquantulum se retrahant ad cornu evangelii, diaconus vero aliquantulum recedat ad cornu epistolae.

Repetita genuflexione, ostiolum claudit, dein corporali complicato, et in bursa reposito, in planum descendit.

15. Tunc omnes surgunt, ministri bireta accipiunt, in plano genuflectunt, et ad sacristiam (celebrans ac ministri parati capite cooperto), ordine quo venerant, revertuntur, ac paramenta deponunt.

ARTICULUS III.

Ritus benedictionis solemnis ab episcopo peragenda.

§. — *Praenotationes*.

1. In expositione et benedictione cum Sanctissimo ***post vesperas pontificales*** aderunt diaconi throno assistentes. Isti paramenta induunt ut in festo corporis Christi, nempe rochetum vel superpelliceum (prout eius usum habent vel non), amictum et dalmaticam; neque primus diaconus stolam assumit (*Caer. Episc.*, l. II. c. 33, n. 20; D. 4030). Presbyter assistens in casu thus ministrat (*Caer. Episc.*, loc. cit. n. 19), et diaconus senior ss. Sacramentum episcopo tradit.
2. In expositione vero et benedictione cum Sanctissimo ***post missam pontificalem,*** diaconus et subdiaconus, manipulis depositis, inserviunt episcopo; ratio est, quia diaconus et subdiaconus ordinarie ad altare ministrant. (Iuxta aliquos videtur, quod etiam diaconos assistentes, dalmaticis indutos, honoris causa ad latus ministrorum maneri posse; et presbiterum assistentem, in casu, naviculam non ministrare sed diaconum).
3. In expositione et benedictione cum Sanctissimo ***post missam cui episcopus paratus adfuit,*** diaconus et subdiaconus parati episcopo assistunt, et presbyter et diaconi assistentes recedent in chorum.

(Continuabitur).

BIBLIOGRAPHIA

Sac. Dott. UBALDO MANNUCCI — Prof. emerito di S. Teologia — Consultore della Sacra Congregazione dell' Indice, de' Riti e del Supremo Tribunale della Segnatura Apostolica. — **Istituzioni di Patrologia** ad uso delle scuole teologiche — Parte I. Epoca Antenicena — Libreria Pontificia F. Pustet — Piazza S. Luigi de' Francesi 33 Roma.

Plurimorum quas liber iste iam tulit commendationibus, et nostras in Ephemeridibus Liturgicis, ab ipsarum Moderatore benigna hospitalitate obtenta adiungimus, eo libentius quo in hisce Patrologiae institutionibus, ad scholares usus non minori doctrina quam prudentia et rerum peritia accommodatis, haud exiguas comperiamus liturgicis studiis et documentis concessas partes. Ita v. g. in his quae disseruntur de *doctrina XII Apostolorum*, de *epistola* Clementis *ad Romanos*, de S. Ignatio, de martirio S. Policarpi. de Hermae *Pastore*. et maxime de *Apologiis* S. Iustini, de Irenaeo, Tertulliano, Cypriano, Lactantio, Clemente Alexandrino et Methodio Olympiensi (ut minora omittamus) complurimae notitiae sunt quae ad historiam sacrae liturgiae egregie faciunt, potissimum vero ad Missae canonis enucleandas vicissitudines. Ceterum nec minori laude dignam censemus ab Auctore initam doctrinae patristicae proponendae viam, omnibus quidem superfluis resecatis, sed vere utiles notitias dilucido ac perspicuo ordine suppeditando, easque ad fidei nostrae apologiam historicam aptando. Superest ut volumen quod ulterius proferendum est, ad Patres Post-nicaenos attinens, enixis votis prosequamur, quo opus istud opportunissimum in sua utilitate ac excellentia evidentius profecto constituetur.

I. B. M. MENGHINI.

PROPRIETAS LITERARIA

IMPRIMATUR

Fr. ALBERTUS LEPIDI O. P., S. P. A. Magister.

IMPRIMATUR

FRANCISCUS FABERJ, Vicariatus Urbis *Adsessor*.

AUGUSTUS ZUCCONI, Director Domus editricis Desclée et Soc., Romae, *Sponsor*.

Ex Officina Polygraphica Latiali, Fratrum Tempesta, Via Boccaccio, 7 - Roma

Acta Sanctae Sedis
sacram Liturgiam spectantia.

SACRA CONGREGATIO RITUUM

I.

DECRETUM

De orationibus Servos Dei cum sanctitatis fama defunctos respicientibus.

Proposito sacrorum Rituum Congregationi dubio: « An orationes quae Domino Deo diriguntur ad gratias impetrandas ob intercessionem Servorum Dei qui cum sanctitatis fama decesserunt, indigeant venia Episcopi, ut imprimi ac inter fideles diffundi valeant? », sacra eadem Congregatio respondendum censuit: *Affirmative*, ad normam Constitutionis *Officiorum et munerum*; attamen ad tramitem et mentem decretorum S. U. Inquisitionis et sacrorum Rituum Congregationis Episcopus abstinere se debet ab eisdem orationibus commendandis ac praesertim indulgentiis ditandis.

Atque ita rescripsit, die 21 martii 1914.

Fr. S. Card. MARTINELLI, *Praefectus*.

L. ✠ S.

† Petrus La Fontaine, Ep. Charyst., *Secretarius*.

Commentarium.

Revocetur, generali modo, doctrina superiore anno late tradita de non exhibendo Servis Dei nondum beatificatis aut canonizatis cultu publico seu liturgico; et in particulari ea revocentur, quae docuimus de orationibus, in quibus alicuius Servi Dei intercessio apud Deum interponitur, non vulgandis sine Auctoritatis Ecclesiasticae licentia (1). Quae tunc breviter tradidimus, per praesens Decretum plene confirmatur ac opportunis monitionibus communiuntur.

I. Declarat *imprimis* S. Rituum Congregatio prohibitionem extare quominus « orationes, quae Domino Deo diriguntur ad gratias impetrandas ob intercessionem Servorum Dei, qui cum sanctitatis fama decesserunt » sine Episcopi venia imprimi ac inter fideles diffundi valeant, quam prohibitionem ex Constitutione *Officiorum et munerum* repetendam esse indicat.

Constitutio autem *Officiorum et munerum* duobus in locis de his agit orationibus: *a)* In secunda parte articuli 13 vetat « libros aut scripta..... quae novas inducunt devotiones, etiam sub praetextu quod sint privatae, si publicentur absque legitima Superiorum Ecclesiae licentia, proscribuntur »; *b)* Item in secunda parte articuli 15 statuit « Novae vero (imagines D. N. I. C., B. Mariae V..... Servorum Dei) sive preces habeant adnexas, sive absque illis edantur, sine Ecclesiasticae potestatis licentia non publicentur ».

Tam devotiones quam imagines possunt esse *novae* ex *obiecto*, quod exhibent vel proponunt, et possunt esse *novae* ex *modo*, quo iam usitatum devotionis vel repraesentationis obiectum praeseferunt. Utrumque fieri prohibetur sine Episcopi licentia (2).

Orationes autem in quibus apud Deum alicuius Dei

(1) *Ephem. Liturg.*, 1913, pag. 665.

(2) VERMEERSCH. *De Prohibitione et Censura librorum*. Ed. IV. Romae 1906, n. 80, pag. 84, et n. 85, pag. 91-92.

Servi intercessio interponitur; vel Dei Servi imago, ut cultus, licet privati, obiectum, exhibetur, sunt procul dubio devotiones et imagines *novae*, quae iuxta praefatam Constitutionem, sine potestatis Ecclesiasticae licentia, publicari non possunt, et si publicatae fuerint, proscriptae remanent. Potiori ratione id dicendum est, si utrumque simul fiat, uti si imagines adnexas habeant preces: tunc enim sub utriusque articuli dispositione cadunt.

II. Monentur *secundo* Episcopi, ut se abstineant a talibus orationibus commendandis. Aliud quidem est licentiam concedere, ut hae orationes publicentur, et aliud eas commendare: primum eis licet, et inter eorum iura et officia recensetur; alterum eis *vetitum* declaratur. Decretum utitur verbis, quae uti communiter tradunt Iuristae obligationem important; dicit enim: « Episcopus abstinere se *debet* (1) ».

Quibus autem iuribus talis obligatio fundetur, indicatur cum dicitur: « Ad tramitem et mentem Decretorum S. U. Inquisitionis et Sacrorum Rituum Congregationis ». Decreta hic revocata putamus ea esse, quae novissime S. R. Congregationis ad calcem Decreti « Nuper » sub die 28 martii 1914 apposuit (2). Sed alia quoque huc spectantia quandoque edita fuerunt (3).

S. R. et U. Inquisitionis Decretum, latum sub die 13 ianuarii 1875, sic se habet: « Mandavit Sanctitas sua (Pius

---

(1) Cf. BARBOSA. Tract. *De dictionibus usufrequentioribus*. Dictio LXXVII *Debet*. Approbare nobis non licet, quod scribit Cl. Vermeersch in hoc Decreto adnotando, nempe: « Verba *abstinere se debet* minus stricte sumenda esse, ita ut actum dicant quem facere minus decet, non autem qui stricte prohibeatur ». *De Religiosis et Missionariis, Supplementa et Monumenta Periodica*. Tom. VIII, pag. 26.

(2) Quae Decreta videsis in Commentario Officiali *Acta Apostolicae Sedis*, vol. VI, pag. 146-147.

(3) Cfr. *Acta Sanctae Sedis*, vol. XXVIII, pag. 640. — WERMEERSCH. *De Prohibitione et Censura Librorum*, edit. IV, n. 80, pag. 84; et Commentatores Const. *Officiorum et munerum* passim.

Papa IX) monendos esse scriptotes, qui ingenia sua acuunt super argumentis, quae novitatem sapiunt, ac sub pietatis specie insuetos cultus titulos, etiam per ephemerides promovere student, ut ab eorum proposito desistant, ac perpendant periculum quod subest pertrahendi fideles in errorem etiam circa fidei dogmata et ansam praebendi religionis osoribus ad detrahendum puritati doctrinae catholicae ac verae pietati ». Si hoc Decretum generatim respicit argumenta, *quae novitatem sapiunt,* et scriptores qui *sub pietatis specie insuetos cultus titulos* promovent; in particulari etiam, immo potiori ratione, orationes et devotiones respicit, in quibus non iam beatorum aut sanctorum intercessio apud Deum interponitur, sed aliorum Dei Servorum intercessio adhibetur, de quorum vitae sanctitate Ecclesia adhuc nullum iudicium tulit. Si Episcopis licet veniam dare, ut tales orationes imprimantur et diffundantur inter fideles, cum non sit **novum** in Ecclesia, Servorum Dei nondum beatificatorum aut canonizatorum intercessionem in *privatis* orationibus apud Deum adhibere; cavendum tamen ipsis est ab earundem orationum commendatione, quia talis commendatio, saltem indirecte, iudicium importat de vitae sanctitate et actuali gloria Dei Servorum, quorum intercessio in illis orationibus adhibetur. Iudicium publicum de vitae sanctitate et actuali Servorum Dei gloria in Ecclesia uni Romano Pontifici reservatur.

III. Monentur *tertio* Episcopi, ut se abstineant a praefatis orationibus Indulgentiis ditandis. Finis concessionum indulgentiarum in favorem orationum et devotionum, in quibus Servorum Dei intercessio adhibetur, est ex una parte fidelium excitatio ad tales frequentandas orationes vel devotiones, et est ex altera parte *honor* et *cultus publicus* sanctitati Servorum Dei delatus. Haec autem duo simul semper iuncta conspiciuntur in Indulgentiarum concessionibus a Summis Pontificibus ad Sanctorum vel Beatorum sanctitatem recolendam datis. Gregorius IX in Bulla canonizationis S. Antonii Patavini, Indulgentiarum finem ita

exprimit: « Nos autem cupientes sepulcrum tanti confessoris, qui miraculorum fulgoribus illustat Ecclesiam generalem, *congruis honoribus frequentari,* omnibus vere poenitentibus, etc. (1).

Ioannes XXII in Bulla canonizationis S. Thomae Aquinatis dicit: « Ut autem ad venerabile eius sepulcrum *ardentius et affluentius christiani populi confluat multitudo, ac celebrius eiusdem confessoris colatur festivitas,* omnibus vere poenitentibus et confessis, etc. » (2). Cum igitur Indulgentiarum finis non sit nisi honor Dei in Servis suis, sed honor *publicus* ab Ecclesia explicite ordinatus et adhibitus ad illos Dei Servos honorandos et recolendos, quorum sanctitas fuit legitime probata, manifestum est, Episcopis non licere Indulgentiis uti ad devotionem et cultum excitandum in Dei Servos, de quibus nondum latum fuit iudicium authenticum an revera ut sancti vel beati sint recolendi.

Ad quaesitum autem: An etiam vetitum sit Episcopis commendare et Indulgentiis ditare orationes, quae fiunt ad Servorum Dei beatificationem et canonizationem impetrandam, dicimus quod: *a)* Pium et salutare est Deum generatim exorare, ut dignetur se in Servis suis glorificare; id enim nihil continet, quod alicui censurae subiici possit. *b)* Huiusmodi orationes non proprie pro tali fine, sic generatim et in abstracto sumpto, effunduntur, sed huius vel illius Dei Servi beatificationem vel canonizationem. *c)* Habent semper, etiamsi non exprimatur, implicitam conditionem « dummodo beatificatio et canonizatio, quae expetitur, in maiorem Dei gloriam cedat ».

Hisce praenotatis, putamus Episcopis non licere tales orationes commendare et Indulgentiis ditare: et re quidem vera talium orationum commendatio, et a fortiori Indulgen-

(1) Fontanini. *Codex Constitutionum quas Summi Pontifices ediderunt in solemni Canonizatione Sanctorum.* Romae 1729, pag. 66.

(2) Fontanini. L. c., pag. 141. — Alia plura hac de re testimonia collegit Theodorus a Spiritu Sancto in suo praeclarissimo tractatu *De Indulgentiis*. Part. II, cap. I, pag. 2 et ss.

tiarum concessio, persuasionem et quasi iudicium includit de Servi Dei sanctitate pro cuius beatificatione vel canonizatione oratur. At tale iudicium aut persuasionem proferre aut publice sancire et confirmare utendo ea qua in Ecclesia pollent auctoritate, ipsis non licet; id enim, uti superius diximus, uni reservatur Romano Pontifici, et nemini permittitur Ecclesiae iudicium in re tam gravi praevenire.

Insuper publica commendatio *peculiarium* orationum, aut pro iisdem concessio Indulgentiarum, ut ab Episcopo qua tali fieri possit, debet veluti in causam finalem, ad bonum publicum maxime spirituale ordinari (1). At tales peculiares orationes prout iacent in concreto non ordinantur *per se* ad bonum publicum. Licet enim in bonum publicum cedat quod aliqui ad beatificationis et canonizationis honores provehantur, non tamen id necessario fieri debet in hoc vel illo determinato Dei Servo, nec ulla extat necessitas, aut utilitas, quasdam peculiares formulas, prae communibus et usitatis Ecclesiae precibus, adhibendi (2).

Id tamen non impedit quominus Episcopi tales orationes imprimi et diffundi permittant, dummodo in eis nihil

---

(1) Circa causam finalem ob quam Indulgentiae concedi possunt et debent videsis inter alios: Passerini. *De Indulgentiis*, n. 556. — Theodorus a Spiritu Sancto. *De Indulgentiis*. Romae 1743, part. I, pag. 214 et ss. — Mocchegiani. *Collectio Indulgentiarum*, Part. I, cap. I, § XV, pag. 46. etc. etc.

(2) Qua de causa assentire non possumus Cl. Adnotatori in praecitata ephemeride *De Religiosis et Missionaris*, l. c. pag. 26 docenti: « Nullo pacto Episcopus suadetur abstinere a commendanda prece, qua ab ipso Deo canonizationem Servi Dei, v. gr. P. De la Colombière, postules » Episcopus, qua talis Ecclesiae auctoritatem in sua Dioecesi repraesentat, et ea tantum commendare potest, quae ab Ecclesia commendatur. Nullum autem extat exemplum peculiarium precum ad Servi Dei canonizotionem impetrandam ab aliquo Summo Pontifice, vel ab aliqua Romana Congregatione commendatarum. Res est quae Ecclesiae Auctoritati non congruit, et ideo nec Dioecesanae auctoritati congruere debet.

continineatur quod aliunde fidei puritati, et etiam privatae devotioni noceat.

Tantum permittere possunt, et etiam aliquando iubere ut Spiritus Sancti lumen antequam eorundem Dei Servorum processus inchoantur, communibus et usitatis in Ecclesia orationibus invocetur.

Iam in commentando Decretum *De Servis Dei,* docuimus: « Procul dubio licet Ordinario collectam *De Spiritu Sancto* imperare etiam pro tota Dioecesi et etiam pro toto tempore quo perdurat Processus Ordinarius » (1).

Praesens quoque Decretum optime demonstrat quanta sollicitudine Ecclesia divini cultus decorem tueatur et fidelium pietatem, quae est sanae doctrinae conformis, foveat.

Fr. Iosephus Ant., O. F. M. Cap.

II.

DECRETUM.

Super insuetos cultus titulos pro ecclesiis et sacris imaginibus non adhibendos.

Nuper a S. Rituum Congregatione exquisitum fuit: « An ecclesia dicari possit sacratissimo Cordi Iesu Eucharistico, eiusque tituli imago seu statua in altari maiori collocari ? » Et sacra eadem Congregatio respondendum censuit: « Episcopus Ordinarius loci in casu substituat titulum liturgicum tam pro ecclesia quam pro imagine seu statua cum respectivo festo die propria recolendo et officio adprobato, ex. gr. SS.mi Redemptoris vel sacratissimi Cordis Iesu aut sanctis-

(1) *Ephem. Liturg.*, curr. anni, pag. 38. Cfr. etiam an. 1913, pag. 665.

simi Corporis Christi etc.: iuxta alia ipsius S. Congregationis responsa in similibus casibus: quae omnino consonant praescriptioni s. m. Pii Pp. IX, diei 13 ianuarii 1875, et decreto sacrae universalis Inquisitionis, feriae IV, 27 maii 1891: servatis de cetero, quoad sacras imagines seu statuas decreto Tridentino, sess. 25, de veneratione Sanctorum et imaginum, et Constitutione fel. rec. Urbani Pp. VIII, Sacrosancta Tridentina, 15 martii 1642 (decr. S. R. C., n. 810). »

Atque ita rescripsit et servari mandavit, die 28 martii 1914.

Fr. S. Card. MARTINELLI, *Praefectus*.

L. ✠ S.

† PETRUS LA FONTAINE, Ep. Charystien., *Secretarius*.

Commentarium.

Satis est apostolicas novisse sanctiones, ut quam opportunum sit praesens decretum appareat; ne quis nimis fatigetur in iis inquirendis, ea hic libenter subiicimus: sit in primis declaratio, quae habetur in opere cui titulus: « Raccolta di orazioni e pie opere, per le quali sono state concesse dai SS. PP. le Ss. Indulgenze », edito anno 1898, uti genuina et authentica Sylloge Indulgentiarum a s. m. Leone Pp. XIII recognito, die 23 Iulii 1898, ad pag. 194: « Il culto verso il Cuore Eucaristico di Gesù non deve intendersi nella sostanza diverso da quello che nella Chiesa già ad esso Cuore si professa; solo quale oggetto di speciale venerazione, di amore, di riconoscenza e di corrispondenza sceglie quell'atto di suprema dilezione col quale il Cuore amantissimo di Gesù istituì l'adorabile Sacramento dell'Eucaristia, rimanendo con noi sino alla fine dei secoli ».

Decreto S. R. et Universalis Inquisitionis supra citato, per litteras diei 30 eiusdem mensis maii 1891 sacrae Rituum Congregationi

communicato, sancitum fuit: « Nova emblemata sacratissimi Cordis Iesu in Eucharistia non esse ab Apostolica Sede approbanda. Ad fovendam fidelium pietatem satis esse, imagines sacratissimi Cordis Iesu in Ecclesia iam usitatas et approbatas; quia cultus erga sacratissimum Cor Iesu in Eucharistia non est perfectior cultu erga ipsam Eucharistiam, neque alius a cultu erga sacratissimum Cor Iesu ». Insuper ad memoriam et normam revocata fuit praescriptio s. m. Pii Pp. IX, diei 13 ianuarii 1875, nempe, « monendos esse fideles, etiam scriptores, qui ingenia sua acuunt super iis aliisque id genus argumentis, quae novitatem sapiunt, ac sub pietatis specie insuetos cultus titulos, etiam per ephemerides, promovere student, ut ab eorum proposito desistant, ac perpendant periculum, quod subest, pertrahendi fideles in errorem etiam circa fidei dogmata, et causam praebendi religionis osoribus ad detrahendum puritati doctrinae catholicae ac verae pietati ».

En Decretum Tridentinum: « (Omissis...) In has autem sanctas et salutares observationes (circa invocationem, venerationem et Reliquias Sanctorum et sacras imagines) si qui abusus irrepserint, eos penitus aboleri sancta Synodus vehementer cupit; ita ut nullae falsi dogmatis imagines, et rudibus periculosi erroris occasionem praebentes statuantur... Omnis porro superstitio in Sanctorum invocatione et Reliquiarum veneratione et imaginum sacro usu tollatur, omnis turpis quaestus eliminetur.... Postremo tanta circa haec diligentia et cura ab Episcopis adhibeatur, ut nihil inordinatum aut praepostere et tumultuarie accommodatum, nihil profanum nihilque inhonestum appareat, cum domum Dei deceat sanctitudo. Haec ut fidelius observentur, statuit S. Synodus, nemini licere ullo in loco vel ecclesia, etiam quomodolibet exempta, ullam insolitam ponere vel ponendam curare imaginem, nisi ab Episcopo approbata fuerit... Quod si aliquis dubius aut difficilis abusus sit extirpandus, vel omnino aliqua de iis rebus gravior quaestio incidat, Episcopus, antequam controversiam dirimat, metropolitani et comprovincialium Episcoporum in concilio provinciali sententiam expectet; ita tamen ut nihil inconsulto Sanctissimo Romano Pontifice, novum aut in Ecclesia hactenus inusitatum decernatur ».

Urbanus Pp. VIII: « (Omissis...) inhaerendo dictae disposi-

tioni sacrosanctae Tridentinae Synodi (circa insolitas imagines), motu proprio et ex certa scientia Nostra, deque apostolicae potestatis plenitudine, ne quis cuiusque gradus, qualitatis, ordinis, status vel conditionis ac dignitatis et praeeminentiae, etiam ecclesiasticae, etiam individua et speciali expressione dignae existat, imagines D. N. I. Chr. et Deiparae V. M. ac Angelorum, Apostolorum, Evangelistarum aliorumque Sanctorum et Sanctarum quorumcumque sculpere aut antehac sculptas, pictas, et alias quomodolibet effictas tenere, seu publico aspectui exponere aut vestire cum alio habitu et forma, quam in catholica et apostolica Ecclesia ab antiquo tempore consuevit... tenore praesentium prohibemus; ac ut imagines aliter pictae vel sculptae ab ecclesiis et aliis locis quibuslibet amoveantur et deleantur, vel reducantur ad habitum et formam in Ecclesia catholica et apostolica ab antiquo tempore consuetam; ut veneratio et cultus sic dictis imaginibus augeatur, et quae oculis fidelium subiiciuntur, non inordinata nec insolita appareant, sed devotionem pariant et pietatem ». M.

III.

DECLARATIO.

De Sanctis vel Beatis alicubi publico cultu honoratis, absque certo S. Sedis decreto vel indulto.

In Kalendariis perpetuis et Propriis quae, iuxta novissimas Rubricas ad normam Bullae Divino afflatu et Motu Proprio «Abhinc duos annos» SS.mi D.ni nostri Pii Papae X, et S. R. C. Decreta 12 decembris 1912 et 28 octobris 1913 reformata, ipsius sacrae Congregationis revisioni et approbationi subiiciuntur, aliquando Sancti vel Beati notantur qui neque in Romano Martyrologio descripti sunt, neque publico cultu a sancta Sede certe decreto vel confirmato potiuntur, prouti

speciatim praescribitur per generale Decretum n. 3926 diei 19 iulii 1896 ad 1. et 2.

Quum tamen eiusmodi Sancti vel Beati nuncupati in locis particularibus ex immemorabili consuetudine publico ac religioso cultu honorentur cum Officio et Missa; atque, hac de causa, in memoratis Kalendariis et Propriis a R.mis Ordinariis inscribantur, sacra Rituum Congregatio, de mandato eiusdem SS.mi Domini nostri declarat ex hac inscriptione nullo pacto fas esse arguere ipsos Sanctos vel Beatas nuncupatos beatificationem formalem vel aequipollentem obtinuisse, eorumque cultum, prouti de casu excepto a Decretis sa. me. Urbani Papae VIII, et recentioribus S. R. C. decretis sue declarationibus d.d. 11 novembris 1912 et 31 ianuarii 1913. recognitum et confirmatum fuisse, sed tantum concludere licet horum Sanctorum vel Beatorum cultum manere in statu suae possessionis, ac proinde neque augeri neque extendi posse inconsulta S. Sede. Demum hortantur R.mi Ordinarii ut memorati Sancti vel Beati in suis Kalendariis et Propriis particularibus aliquo signo seu asterisco distinguantur ab aliis Sanctis vel Beatis in Martyrologio Romano descriptis vel rite canonizatis aut beatificatis, uti laudabiliter fit in aliquibus locis. Contrariis non obstantibus quibuscumque etiam speciali mentione dignis.

Die 28 aprilis 1914.

Fr. S. Card. MARTINELLI, *Praefectus.*

L. ✠ S.

† Petrus La Fontaine, Ep. Charystien., *Secret.*

Commentarium.

Ne quis putaret approbationem Kalendarii vel Proprii alicuius dioecesis vel Ordinis seu Instituti secum ferre aliquam cultus recognitionem vel etiam concessionem circa Sanctos vel Beatos in Martyrologio romano non descriptos, aut a S. Sede non Canonizatos vel Beatificatos sive confirmatos. opportune datur praesens decretum quo declaratur, pure et simpliciter eosdem Sanctos et Beatos *in statu suae possessionis permanere*, ita ut, « etsi longo iam tempore publico fuerint cultu honorati, cum Officio et Missa propria, necesse sit ut, iuxta communes regulas. eorum cultus ab Ecclesia comprobatus et continuatus sit, antequam Officium ipsum ac Missa permittatur (Decr. n. 3926). Id tamen intelligendum est, non ita ut expungenda sint haec Officia et Missae a Kalendario et Proprio, de quibus hic sermo recurrit. sed eo sensu quo loquitur decretum S. C. R. 11 novembris 1912: « Neque enim eodem habenda est loco *simplex conservatio* antiqui et immemorabilis cultus, cuius iudicium pleno iure ad Ordinarios pertinet, *atque confirmatio,* quae a Sede apostolica petitur: quod cum beatificationem exaequet, seu, ut mos fuit maioribus loqui, beatificatio sit aequipollens, Servum Dei. cuius cultus confirmatus fuerit, in *insigniori* quodam *honoris gradu* ante fidelium oculos constituit, qui supremo canonizationis honori proximus est ». Quod probatur per § 4 Decreti 3926, in quo reipsa expungenda dicuntur Officia et Missae de istiusmodi Sanctis vel Beatis, quando Proprium seu Kalendarium particulare approbandum exhibetur, non hac *generica forma*, scilicet ex Decreto seu Instructione diei 12 Decembris 1912 et ibi memoratae alterius Instructionis diei 25 Iulii eiusdem anni, sed in *forma specifica* de qua reipsa agit Decretum 3926. M.

IV.

DECRETUM SEU DECLARATIO

circa Propria Officiorum et Missarum.

Evulgatis sacrorum Rituum Congregationis decretis n. 4166 diei 11 augusti 1905 circa editionem

et approbationem librorum cantum gregorianum continentium, et n. 4260 diei 24 februarii 1911 circa modum servandum in expetenda approbatione Propriorum alicuius dioecesis, Ordinis seu Instituti cum cantu gregoriano ad normam Gradualis vel Antiphonalis Romani Vaticanae editionis, sacra eadem Congregatio opportunum atque utile nunc declarare censuit ac declarat, quod tum predicta Propria cum cantu tum alia Propria sine cantu in triplici exemplari revisioni et approbationi huius sacri Consilii una cum postulato respectivi Episcopi Ordinarii vel Superioris subiicienda, tanquam opus non definitivum sed adumbratum atque uti schema manuscriptum etsi typis impressum, esse habenda. Revisione autem peracta et indulta approbatione, unum ex dictis exemplaribus remittetur ad Episcopum seu Ordinarium vel Superiorem cum testimonio authentico revisionis et approbationis, adiecta clausula posse ab iis ad quos spectet, eisdem Propriis approbatis concedi « Imprimatur » in usum respective dioecesis, Ordinis seu Instituti. Huiusce vero Proprii typis definitive impressi, cum testificatione tum approbationis S. Sedis tum licentiae Ordinarii seu Superioris praefixa, duplex exemplum ad sacram Rituum Congregationem transmittatur.

Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 3 iunii 1914.

Fr. S. Card. MARTINELLI, *Praefectus*.

L. ✠ S.

† Petrus La Fontaine, Ep. Charystien., *Secret.*

Commentarium.

Nulla peculiari elucidatione indiget hoc Decretum, quod nonnisi modum indicat procedendi in exhibendis petitionibus Propriorum alicuius dioecesis vel Instituti, et in tradenda eorum edendorum licentiae signatura quam vocant *Imprimatur*. Interest vero ut prae oculis habeatur subsequens decretum, diei 24 Iunii 1914, quo mens declaratur S. R. C., circa compilationem ipsorum Propriorum; quia, cum prudenti iudicio Ordinariorum aliorumque Superiorum relinquatur abolitio partium magis propriorum in Officiis particularibus, hinc prius decernendum est quid eligatur, ne contingat quod vix postquam S. Congregatio approbaverit aliquod Proprium, hoc noviter sit reformandum. M.

V.

DECRETUM SEU DECLARATIO

circa Officia propria.

Normis circa Officia propria per decretum diei 3 iunii 1914 traditis inhaerens, nunc sacra Rituum Congregatio opportune declarat ac statuit:

Quum ad mentem sacrae Congregationis Officia particularia ritus duplicis maioris, minoris et semiduplicis tantummodo Lectionibus II Nocturni cum Oratione propria gaudere soleant, eadem sacra Congregatio ad maiorem uniformitatem praesenti decreto libentissime concedit, ut, iuxta prudens cuiusvis Ordinarii vel Superioris, ad quem spectat, iudicium, Officia Ecclesiae universalis in Breviario Romano inserta substitui valeant, absque peculiari Indulto, respectivis Officiis particularibus magis propriis hucusque

aliquibus dioecesibus seu institutis a S. Sede concessis. Item R.mis Ordinariis seu Superioribus supradictis fit potestas aliquas tantum partes proprias ex Officiis particularibus iam indultis quae nullo modo vel tantum ritu simplici in Breviario reperiuntur, amodo retinendi, ceteris partibus de Psalterio et de Communi adhibitis.

Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 24 iunii 1914.

Fr. S. Card. MARTINELLI, *Praefectus*.

L. ✠ S.

† PETRUS LA FONTAINE, Ep. Charystien., *Secret*.

Commentarium.

Duas partes hoc decretum continet: in prima agitur de iis Officiis duplicibus maioribus et minoribus necnon semiduplicibus, aliquibus locis aut personis concessis, non eo sensu quod in Breviario Romano desiderarentur, sed vel indulta sint aucta ritu et partibus propriis, ultra lectiones II Nocturni ac oratione, ornata, vel, etsi eodem ritu recolenda, tantummodo partibus propriis, ut supra, ditata. In secunda vero, de Officiis duplicibus maioribus, minoribus et semiduplicibus, quae nullo modo in Breviario inveniuntur, vel tantum ritu simplici, et respective ex novo, aut aucta ritu, cum partibus, praeter lectiones II Nocturni et orationem, propriis concessa sunt.

Cupit S.ª Congregatio ut Psalterium hebdomadale quantum fieri potest recitetur; et si habeantur in Officiis, de quibus supra, partes propriae, hae, quando agitur de antiphonis, eiusmodi recitationem impediunt. Hinc, si v. g. S. Sedes concessisset alicubi recolendum Officium SS. Ioannis et Pauli Mm. ritu duplici maiori, cum antiphonis propriis ad tres Nocturnos, iam fit facultas has antiphonas abolendi, ut Psalterium hebdomadale recitetur. Si vero concessisset Officium, puta S. Blasii sub ritu duplici minori, cum antiphonis v. g. ad Laudes propriis fit potestas has abolendi, ad eumdem finem ac supra, similiter, si concessisset ex. gr. cum pro-

priis antiphonis ad aliquas horas, Officium duplex minus S. Aemigdii Ep. M.

Hoc, si sermo est de Psalterio hebdomadali non impediendo. Sed decretum praesens invocat etiam rationem uniformitatis, unde etiam aliae partes Officiorum, quae Psalterium hebdomadale non impedirent, reduci possunt ad commune Officium, sive agatur de hymnis, sive de antiphonis ad *Magnificat* vel *Benedictus*, sive de lectionibus III Nocturni etc. Caveatur tamen, ne aboleantur lectiones III Nocturni cum Evangelio Missae respondente, quod omnino Sancto conveniat, ita ut minus congruat de Communi accipere: qua da re, uti de aliis, iuxta decreti sanctionem, iudex est Ordinarius, seu alius legitimus Superior.

Haec ratio uniformitatis nequiret invocari, ubi agitur de Officio nullimode Breviario inserto; sed, si uniformitas non habetur eo sensu, ut fiat quod faciunt ceteri, habetur in hoc, ut principium uniformiter servetur, de non recolendis Officiis non classicis partibus propriis, praeter Lectiones II Nocturni et orationem, ut dicitur initio decreti. M.

VI.

DUBIUM

de Propriis dioecesanis.

Quaesitum est a Sacra Rituum Congregatione: « An vi decreti diei 3 iunii 1914 omnia et singula Propria particularia iam adprobata, tam cum cantu quam sine cantu, attentis reductione festorum quae habentur in ipsis Propriis, et approbatione novi Kalendarii, iterum examini huius S. C. subiicienda sint, vel ipsum decretum respiciat tantum nova officia in posterum expetenda et cantum Gregorianum adaptandum officiis iam adprobatis, quae tamen cantu careant ».

Et sacra Rituum Congregatio, omnibus perpensis,

respondendum censuit: Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.

Contrariis quibuscumque non obstantibus. Die 24 iunii 1914.

Fr. S. Card. MARTINELLI, *Praefectus*.

L. ✠ S.

† Petrus La Fontaine, Ep. Charystien., *Secret.*

Commentarium.

Decretum hoc nulla indiget illustratione; per se patet enim, quod in libellos officiorum qui alicubi eduntur, cum cantu, nil novi induci potest sine expressa recognitione S. R. C., ut leges circa cantum gregorianum, feliciter a Ss. D. N. Papa Pio X instauratum, omnino observentur. Quando ergo nonnisi agatur de nova editione eiusdem libelli, non oportet quod exhibeatur huiusmodi nova editio ad S. Congregationem, sed sufficit quod Ordinarius illam cum iam adprobata concordare declaret. Quod si occasione revisionis calendarii, aliquod novum officium proprium concessum fuerit, tunc cantus huiusce officii, ad Congregationem erit transmittendus. P. P.

VII.

DECRETUM

de luce electrica super altari non adhibenda.

Expostulatum est a sacra Rituum Congregatione utrum lux electrica, quemadmodum vetita est una cum candelis ex cera super altari iuxta declarationem seu

decretum n. 4206 diei 22 novembris 1907, ita etiam in gradibus superioribus ipsius altaris vel ante sacras imagines seu statuas super eisdem gradibus et altari positas prohibita sit?

Et sacra eadem Congregatio, audito etiam specialis Commissionis voto, rescribendum censuit: Affirmative et ad mentem.

Mens est: S. R. C. hanc nacta accasionem, cum innotuerit nonnullis in locis tales abusus invaluisse, ut circa aediculas Sanctorum in pariete super altare positas, et vel in ipsis altaris gradibus ubi candelabra collocantur, parvae lampades electricae variis distinctae coloribus disponantur - quod profecto minus convenit gravitati et dignitati sacrae Liturgiae propriae et decori Domus Dei - facto verbo cum Sanctissimo, etiam atque etiam R.mos Ordinarios in Domino hortatur ut pro sua religione invigilent ne S. C. decreta posthabeantur, et ecclesiarum rectores doceant quae in casu, iuxta decreta, permissa quaeque vetita sunt.

Summa autem Decretorum haec est: Lux electrica vetita est, non solum *una cum candelis* ex cera super altaribus (4097), sed etiam loco candelarum vel lampadum, quae coram Ss.mo Sacramento vel Reliquiis Sanctorum praescriptae sunt. Pro aliis ecclesiae locis et ceteris casibus, illuminatio electrica, ad prudens Ordinarii iudicium, permittitur, dummodo in omnibus servetur gravitas, quam sanctitas loci et dignitas S. Liturgiae postulant (3859, 4206 et 4210 ad 1). Nec licet tempore expositionis privatae vel publicae interiorem partem ciborii cum lampadibus electricis in

ipsa parte interiori collocatis illuminare, ut Ss.ma Eucharistia melius a fidelibus conspici possit (4275).

Atque ita rescripsit et servari mandavit. Die 24 iunii 1914.

Fr. S. Card. MARTINELLI, *Praefectus.*

L. ✠ S.

† PETRUS LA FONTAINE, Ep. Charystien., *Secret.*

Commentarium.

Luminaria ex cera vel ex oleo admissa fuere in ecclesiis, uti notum est cuique, etiam a primis christianae religionis temporibus; nostro autem aevo, pro illuminandis locis sacris, coepit etiam usus luminum ex petroleo, postea ex gaz, et denique quoque ex vi electrica.

Etsi tamen nemo unquam luminaria ex gaz vel ex petroleo super altaria adhiberi posse autumaverit, accidit e contra, quod lux electrica, non tantum ad illuminationem, sed etiam super altaria usi sunt nonnulli.

Certo certius, si commoditatem hac in re inspicimus, et munditiam, procul dubio lux electrica, omnia genera luminariorum exsuperat. Per decretum autem 4 iunii 1895 n. 1895 statutum fuit, quod lux electrica in ecclesiis adhiberi poterat « ad depellendas tenebras, ed ad ecclesias splendidius illuminandas ». Sub hac locutione *ad ecclesiam splendidius illuminandam,* non intelligi debet, quod fas sit uti luce electrica maiori quantitate hac illac disposita, *ad effugandas tenebras* tantumodo, sed etiam ad maiorem splendorem et festivitatem exprimendam in solemnitatibus, nempe, loco candelarum in lampadariis e fornicibus pendentibus, bene adhiberi possunt lychnuci ex luce electrica. Hanc interpretationem certo quisque accipiet, quando cogitamus, quod in solemnissimis functionibus in basilica Vaticana pro beatificationibus et canonizationibus, huiusmodi lampadaria adhibentur.

Dummodo ergo super altare tu non utaris nisi candelis ex cera, et ante Sanctissimum Sacramentum lampadibus oleo nutritis, legem istam minime violabis.

Videndum est ergo quid sibi velint verba quae sequuntur in hoc decreto, scilicet: lux electrica vetita est, loco lampadarum quae coram Reliquiis Sanctorum praescriptae sunt. « Ex decretis 2067.9; 3029.13; et 3204, revera praescribuntur saltem duo lumina ante Reliquias super altare expositas; igitur tu numquam poteris, loco candelarum hoc in casu adhibere lucem electricam, quia ex caeremoniali et ex dictis decretis praescriptae sunt candelae. Quid autem dicendum erit, si ego ante imagines sanctorum, extra altare, nempe ad parietes ecclesiae appositas, et multo magis in muris viarum, luce electrica utar? Hoc in casu nulla lex praescribit illuminationem; quot imagines per ecclesias inveniuntur, quae nullam candelam vel lampadem unquam habent accensam? Quando ergo explicite non praescribitur quod candelae vel lampades ex oleo ardeant ante imagines, et quando imagines ipsae super altare non sint expositae, sed aliis in locis, non videtur quod sit in casu prohibita lux electrica. Hoc evincitur nostro iudicio quia decretum hoc ipsum lucem electricam prohibet expresse « circa aediculas super altare positas », ergo non ante imagines extra altare.

Quod autem attinet gravitatem et dignitatem servandam ut innuit decretum, procul dubio omnia quae contra gravitatem et sanctitatem ecclesiarum sunt, omnino arceri debent, ut patet: nihilominus animadvertendum est etiam, quod antequam inventa esset lux ex gaz, et lux electrica, parum differebat ab usu ecclesiarum usus civilis lampadariorum, ita ut tam in solemnitatibus liturgicis, quam in festivitatibus civilibus, idem ordo lampadariorum, plus minusve, adhiberi soleret: imo, multoties, eadem lampadaria, quae in domibus divitum negotiatores commodabant, illa ipsa erant quae postea in ecclesis quoque subministrabant. Igitur, sicut unquam nemini in mentem venit prohibere huiusmodi usum

promiscuum, licet in theatris et in aulis regum eadem forma et ratione adibebantur lumina ex cera; ita hodie rigorose nimis non erit accipienda huiusmodi locutio, ita ut, si ad effugandas tenebras in ecclesia ego utor lampadariis, quae etiam alibi adhibentur, dummodo, ut patet, nullum ornatum vel figuram contra mores praeseferant, bene id potero: semper tamen audiendi sunt Episcopi ut notat decretum.

Dr. P. P.

Additamentum Redactionis:

Quum notum sit, permultos ecclesiarum rectores non considerasse tamquam super altari, lampades et candelas fictitias ante imagines positas, volgo *sottoquadri*, quae non ipsi mensae altaris, sed gradibus imminent candelabrorum, eos rogamus ut hoc decretum considerare velint, ut sibi persuadeant illud in duas partes dividi: 1° respondet *affirmative* simpliciter; 2° *ad mentem*.

Ita ut sensus sit: 1° lux electrica, etiam nulla varietate colorum excitata, etiam in forma candelarum aptata, prohibetur in gradibus superioribus altarium, vel ante sacras imagines seu statuas super eisdem gradibus et altari positas; 2° lucem electricam, lampadibus exhibitam vario distinctis colore, circa aedicolas sanctorum, etiam extra altare, scilicet in pariete post ipsum et in gradibus ubi candelabra collocantur, non convenire gravitati et dignitati S. Liturgiae, et decori Domus Dei.

Prae oculis igitur habeatur, *mentem* S. Congregationis non esse referendam ad primum responsum, sed illam esse distinctum responsum. Esset igitur cavillatio decretum explicare, ita ut candelae et lampades electricae permittantur in gradibus superioribus altaris et ante imagines vel statuas ibi positas, dummodo non sint vario colore distinctae!

Expositio Rubricarum.

COMMENTARIUM

in novissimas Rubricas iuxta Motu proprio SS. D. N. Pii Pp. X " Ab hinc duos annos „ et subsequens S. R. C. Decretum 28 Octobris 1913 emendatas.

(Continuatio. Vide num. 7 curr. anni, pagg. 397-416).

3. Festa Patronorum principalium Oppidi vel Civitatis, Dioecesis, Provinciae et Nationis, Clerus saecularis et regularis ibi degens et Kalendarium Dioecesanum sequens, sub ritu Duplici I classis cum Octava celebrabit; Regulares vero ibidem commorantes et Kalendarium proprium habentes, eadem Festa, quamvis feriata in foro numquam fuerint, eodem ritu celebrabunt, absque tamen Octava, nisi pariter eis alio titulo debeatur (88).

(88) Quae dicta sunt supra de Titulari et Dedicatione Cathedralis, dicenda sunt quoque de Patrono principali loci; quem celebrare debent etiam regulares in loco degentes. Quando enim eliguntur Patroni locorum, non tantum populus et clerus secularis est audiendus, sed et regulares concurrunt in electione per suum votum.

Iuxta enim Benedictum xiv (Canoniz. Ss. 4, p. 2, 14, 5), Patronorum electio a civitatibus perficienda est, per suffragia populorum; ac si agatur de Patrono regni, per suffragia singularum civitatum, et accedere debet consensus Episcopi, vel Episcoporum, ac non sufficit consensus vicarii capitularis; sed requiritur etiam consensus cleri, tum secu-

laris, tum *regularis;* et ad rem, optimam rationem adducit, dicens: « quia cum debeat clerus, etiam regularis, agere festum, et recitare officium de principali Patrono loci..... rationi omnino consonum est, ut in electione cleri quoque regularis consensus accedat ».

Advertendum autem est, alium esse Patronum loci, stricto sensu, scilicet pagi, oppidi, terrae vel civitatis, alium Patronum dioecesis, alium regionis, alium regni vel nationis. Ad celebrandum Patronum loci singularis, oppidi, vel civitatis, tenentur omnes qui in eodem loco commorantur, in sensu civili accepto, scilicet etiam cum suburbiis. Ad celebrandum vero Patronum dioecesis, regionis, regni, nationis, tenentur ii omnes, qui degunt in dioecesi, regione, regno vel natione, tam de clero seculari quam de regulari. Hic autem quaeri potest, utrum clerus sive secularis, sive regularis, habitans in oppido, particularem Patronum habente, debeat agere quoque festum Patroni dioecesis; si standum esset antiquis dispositionibus quorumdam decretorum S. R. C., et speciatim decreti 9 iulii 1895, n. 3863, videretur quod: festum praecipui Patroni dioecesis, non esset celebrandum, de praecepto, ab omnibus de clero sive seculari sive regulari, quando locus, in quo degunt specialem Patronum habeat; nisi ex legitima consuetudine uterque Patronus loci et dioecesis celebretur (Cf. Decr. 1095, 2682, ad 28, 3028, 3353, et 3493).

Hanc normam secuti sunt recentiores scriptores, cum P. A Carpo; et nos ipsi, tum in nostra Expositione Rubricarum (nota 6) tum in nostris Praelectionibus (n. 167) ac etiam in Commentario in Tabellas occurrentiae et concurrentiae (nota 23), hoc ipsum docuimus; nunc vero in aliam sententiam venire cogimur, quia locutio huius rubricae noviter recognita, aliter disponit, et bene.

Nam rubrica ista, in prima sua constructione (Tit. ix, 4), sic se habebat: *Festum Patroni principalis oppidi, vel civitatis, vel dioecesis, vel provinciae, vel nationis, clerus saecularis et regularis ibi degens, etc.*

Nunc vero sic se habet: *Festa patronorum principalium oppidi vel civitatis, dioecesis, provinciae et nationis, clerus saecularis et regularis ibi degens, etc.*

In prima ergo redactione, non tantum dicebatur Festum Patroni principalis, sed, inter varias locorum denominationes, habebatur particula *vel,* quae posita fuerat ad significandum, quod clerus celebrare debebat patronum loci, aut dioecesis, aut provinciae, ita ut, iuxta consuetudines locales, de uno tantum Patrono, festum sit celebrandum, scilicet de loco habitationis, et non de aliis. In hac vero recognitione, non dicitur: *Festum Patroni,* sed *Festa Patronorum,* item particula *vel,* remansit tantummodo inter verba *oppidi vel civitatis,* ad denotandum, quod Patronus particularis loci, quocumque nomine vocetur, sive pagi, sive terrae, sive oppidi, sive civitatis, celebrari debet a clero utroque in eo loco degenti. Ergo si celebranda sint festa Patronorum loci, dioecesis, provinciae et nationis, et non tantum festum Patroni unius loci, clare patet mentem esse legislatoris, quod, sicut Patronus loci singularis patrocinium suum exercet super locum ipsum, ita Patronus dioecesis, super totam dioecesim, Patronus provinciae super totam provinciam, et nationis super totam nationem; ita omnes degentes in dioecesi, provincia et natione, sicut sentiunt iuvamen ex patrocinio, ita cultum devotionis erga Patronum coelestem rependere debent.

Adde, quod, ut plurimum, diversi isti Patroni cum feriatione celebrabantur, saltem ante dectetum Urbani viij, ideoque ex hoc quoque titulo, omnes Patroni tum loci, tum provinciae et regni, et aliquando etiam dioecesis, ab utroque clero recolendi erant.

Igitur nunc uterque clerus celebrare debet et Patronum loci singularis, et etiam Patronum dioecesis. Remanet antiqua lex circa octavam, quae servatur a clero etiam regulari, si calendarium proprium non habeat, et utatur calendario dioecesis; non servatur autem a regularibus, proprium calendarium habentibus.

Ratio disparitatis haec est; in die festo Patroni regulares, sicut sentiunt, ut diximus, patrocinium, ita et festum Patroni celebrare debent; ideoque ea die relinquendo festum sui ordinis et deserendo calendarium proprium, quodammodo de clero seculari efficiuntur, ac proinde calendario loci ea die se conformari debent. Id autem omnino non verificatur infra octavam Patroni, et in die octava; nulla ergo urget ratio, ut per octavam et in die octavo propria relinquant festa, ac deserant praescriptiones proprii calendarii per octavam, a cuius ergo celebratione dispensantur ab Apostolica Sede.

Aliter, ut patet, dicendum est de regularibus proprium calendarium non habentibus, et calendarium diocesanum sequentibus; quia, ad recitationem officii quod attinet, sunt prorsus aequiparandi clero seculari, ideoque etiam ad octavam Patroni celebrandam.

Insuper si aliquo in loco habeantur duo Patroni principales, qui sub ritu I classis cum octava celebrentur, ad celebrationem duorum Patronorum tenentur etiam regulares. Hoc autem probatur, non tantum ex decreto generali 9 iulii 1895 n. 3863, in quo in paragrapho I clare dicitur; « Quod si plures habeantur in loco Patroni aeque principales, ad singula corum festa, praefato ritu (dupl. I class.) omnes, ut supra (nempe seculares et regulares), similiter celebrare tenentur ». Sed etiam ex verbis huiusce rubricae. quam hic exponimus, Dicit enim quod regulares calendarium proprium habentes eadem festa, nempe Patronorum, *quamvis feriata in foro numquam fuerint, eodem ritu celebrabunt.* Itaque, licet, ex lege Urbani viij, unus tantum Patronus loci celebrandus esset cum feraitione, si alii haberentur in loco veri Patroni, sub ritu suo duplici I classis, servandi erant, ac proinde etiam regulares, ratione patrocinii, non vero ratione feriationis, qua carent, Patronos loci omnes, qui sub ritu duplici I classis recoluntur, celebrare debent.

Locutio ergo novae rubricae «*quamvis feriata numquam*

fuerint » dubium omne e medio tollit, contra sententiam cl. A Carpo, qui (Biblioth. II, n. 175) docuit, regulares non teneri nisi ad festa Patronorum quae cum feriatione actuali celebrantur.

Sed regulares, non tantum festum Patroni celebrare debent, verum etiam officium proprium recitare, clero seculari concessum, si habeatur.

Hoc docuerunt antiqui et celebriores liturgistae. Gavantus (III, 12, 5) scribit: « Regulares teneri ad festum Patroni loci, et officium..., ut populus, qui in eo festo ad regularium ecclesias accedit, missas et officia divina auditurus, ad pietatem erga Patronum suum non minus accendatur, quam si ad ecclesiam confluat Cathedralem ». Guyet (III, j, 20) ad quaestionem: « An quicumque festa locorum propria celebrant, officiis eorum propriis uti teneantur? respondet: Romanum (breviarium) sectantibus in promptu est affirmativa resolutio ex rubricae I verbis: Cum officiis propriis a Sede apostolica approbatis, aut ex eiusdem auctoritate receptis vel recipiendis ». Cavalerius exponit S. R. C. decretum d. d. 27 martii 1628, quod in antiqua collectione reperiebatur, sub n. 731, praescribens: *Regulares in die festo Patroni civitatis teneri se conformare cum officio et missa de dicto Patrono, prout celebrat clerus saecularis dictae civitatis;* et scribit (T. 1, decr. 33, n. 1): « Hinc duo in praecepto videntur posita, scilicet *celebratio festi* Patroni principalis, *et recitatio officii* de eodem »; quod officium cum idem esse debeat ac illud a clero seculari recitatum, si hoc est plus minusve *proprium,* a regularibus etiam erit adhibendum.

Sed et nonnulla extant S. R. C. decreta, ex quibus huiusmodi sententia confirmatur:

1° Ex decreto n. 1708[1], ubi praescribitur: Regulares non posse uti calendario dioecesano, sed tantum teneri ad recitationem officii proprii Patroni principalis et Titularis ecclesiae cathedralis, necnon Protectoris civitatis: ex quo duplex argumentum: *a)* regulares possunt uti calendario dioecesano in his officiis celebrandis: atqui in eodem calen-

dario certo certius adsignabitur officium proprium: ergo, *possunt... b)* Expresse dicitur, eos *teneri* ad recitationem officii proprii, Patroni, etc.; ergo *debent*.

2° Ex decreto 2444 [2], quo declaratur, a Patribus carmelitis in Polonia recitari *debere* idem officium proprium de s. Stanislao, Patrono principali regni Poloniae, cum suis antiphonis, lectionibus, responsoriis, etc., quod recitatur a clero seculari et aliis.

3° Ex decreto 3084 [2], Episcopus *potest,* et etiam *debet,* praecipere monialibus sibi subiectis, quamvis proprii ordinis calendarium adhibeant, officia, quae ex benigna s. Sedis concessione clerus secularis et regularis propria recitat in festis Patroni loci, Titularis et Dedicationis ecclesiae cathedralis, dummodo breviarium, quo moniales utuntur, non discrepet a forma breviarii Romani.

4° Ex decreto 3157, 1 ad 2 et 3, in quo habemus: Inter suffragia communia, a regularibus proprio calendario utentibus, agenda est commemoratio Patroni loci, quae sumi debet ex officio proprio, si habetur. A fortiori igitur ipsum officium proprium est adhibendum in ipso festo, quod certe supponitur: si enim idem regularibus permissum non habeatur, undenam sumenda huiusmodi commemoratio?

5° Ex decreto 16 feb. 1906, in quo declaratum est, Fratres minores degentes in toto regno neapolitano *teneri* ad recitandum officium proprium de s. Ianuario Patrono regni, eosdemque fratres degentes in provincia civili Barensi *teneri* ad persolvendum officium proprium de s. Nicolao Patrono principali illius Provinciae.

Nos ipsi pluries in *Ephemer. Liturg.* (an. 1889, p. 678; 1899, p. 476; 1903, p. 254 et 419; 1906, p. 606) auctoritate moti doctorum, quos supra citavimus, ex decretis relatis, ex ipsa ratione, et ex usu constanti omnium Ordinum saltem Italiae superioris, hanc doctrinam sustinuimus et defendimus, contra nonnullos litterae nimis adherentes. Qui prima dubia contra usum huiusmodi movere coepit, fuit A Carpo

(Biblioth. II, n. 175), qui docet, egulares teneri tantummodo ad celebrationem Patroni principalis, qui cum feriatione recolitur in loco, et non aliorum, licet item principalium, qui ritu duplici I classis adhuc recoluntur; sed haec est mala interpretatio decreti Urbani viij, circa festa observanda; docet etiam non teneri ad persolvendum officium proprium Patroni, clero seculari concessum.

Ait quidem eximius iste liturgista, quod regulares sumere in casu possunt lectiones historicas 2 nocturni ex proprio dioecesano; sed hoc est contra decreta S. R. C. hucusque in principio breviarii romani edita, quae vetant extendere officia de loco ad locum, de dioecesi ad ordinem et viceversa; ergo, vel regulares integrum officium proprium clero seculari concessum sumere possunt, vel nec lectiones 2 nocturni ex eo desumere, et in casu recitare debent officium totum de communi.

Sed quidquid sit de sententia p. A Carpo (1), suorumque asseclarum, quaestio ista omnino nunc soluta fuit nam per

(1) Explicare non possumus quomodo eximius quidam liturgista, alioquin amicus noster carissimus, asserere potuerit, in quodam libello hisce diebus contra nos evulgato, quod in hac quaestione patrem A Carpo nobis consentientem adduxerimus...! E contra pluries eum aperte citavimus tamquam refragatorem. Displicet etiam quod auctores Gavantum, Guyetum et Cavalerium diverso modo ipse sit interpretatus; qui mente serena et pacata eos legerit, procul dubio eosdem a nobis recte allegatos fuisse aperte dignoscet.

Quod autem attinet ad decreta a nobis prolata, videat contradictor noster quae scripsit cl. Ubaldus Mannucci nunc consultor Congregationum Rituum, Indicis et Consistorialis in solutione cuiusdam quaestionis liturgicae (Ephem. Lit. an. 1906 p. 608), nec non *Il Monitore Ecclesiastico* (an. 1914), praesertim quoad interpretationem circa verbum *proprii*, num ad Patronum, vel potius ad Officium referri debeat.

Attamen quia hodie S. R. C. rem in favorem nostrae sententiae diremit, et questioni ulterius locus non datur, redeat mutua amicitia et pristina existimatio.

generale decretum d. d. 28 februarii huius anni 1914 S. R. C. inter alia, quae opportunissime declaravit et praecepit de oneribus regularium, circa festa localia, hoc ipsum extat: nempe: « V. Quoad festa localia, quae a Regularibus servanda sunt, ipsi uti debent officio et missa clero saeculari concessis, nisi eadem festa ab ipsis Regularibus iam habeatur cum officio et missa magis propriis ».

Huiusmodi clausula iam a nobis proposita fuerat usque ab anno 1903. Cf. *Ephem. Litur.*, 1903, p. 262, ubi scripsimus: « Si Titularis ecclesiae cathedralis officium integre proprium habet, sed illud concessum fuit tantummodo pro clero ipsius cathedralis, reliqui vero de clero dioecesano officium agunt de Communi, cum oratione et lectionibus tantum propriis 2 nocturni, in hoc casu, certo certius et religiosi has lectiones tantum assumere poterunt; ipsi enim non sunt de gremio cathedralis, ergo officium de Communi recitabunt, ut ait A Carpo, et lectiones historicas 2 nocturni. Diversimode autem iudicandum erit, quando clerus dioecesanus recitat officium de Communi, cum lectionibus tamen propriis de Patrono, vel Titulari et regulares de eodem habent totum proprium officium. Id accidit Vastallae, ubi Patronus principalis est s. Franciscus de Assisio; clerus civitatis et dioecesis recitat officium ut in breviario romano, regulares vero Franciscales in illa dioecesi degentes, procul dubio suum agunt officium proprium. Quod est optimum et rectum prorsus; quia in casu s. Franciscus dupliciter a regularibus honoratur, et quia eorum institutor, et quia loci Patronus; hinc omnino incongruum esset, si *proprium* relinquere deberent officium, ut recitarent de Communi. In hoc casu, regulares aequiparandi sunt, v. gr. clero cathedralis, cui totum officium proprium de s. Titulari esset concessum, dum reliquus clerus dioecesanus de Communi illud persolvit.

Quod hic disseruimus de officio proprio a regularibus adhibendo in festo Patroni principalis, intelligi debet etiam de lectionibus 2 nocturni tum in festo Titularis cathedralis,

tum in festo Dedicationis eiusdem, eadem est enim ratio. Exemplum habemus recentissimum, nam in decreto S. R. C. 16 dec. 1902, quo conceduntur lectiones propriae in anniversario Dedicationis ecclesiae cathedralis Placentinae, haec habentur: *Sanctitas Sua sententiam ipsius sacri Consilii ratam habens, suprascriptas lectiones historicas, ab universo clero saeculari et regulari dioeceseos Placentinae, in festo Dedicationis ecclesiae cathedralis in posterum adhibendas, suprema auctoritate sua benigne adprobare dignata est.*

Ceterum, et citatum decretum 28 febr. 1914 dubium omne e medio tollit, dicens: *Quoad festa localia, etc.* atqui inter festa localia etiam anniversarium Dedicationis cathedralis recensetur; ergo.

4. Si Patronus loci praecipuus, aut Titulus Ecclesiae, aut alius Sanctus qui sub ritu Duplici I vel II classis alicubi celebretur, cuius Festum ad normam tit. II, n. 2 harum Rubricarum proprium censeri debeat, descriptus sit in Kalendario cum aliis Sanctis, quibus est ex natura sua coniunctus, scilicet quando inter eos necessaria consanguinitatis aut affinitatis ratio intercedit, non est a Sociis separandus. Si vero illis coniunctus sit ex occasione tantum, quia scilicet eadem die obierint, tunc a Sociis separatur, et de eo agitur Festum sub ritu competenti (89). Quod si Socii sint cum eo descripti in Kalendario sub ritu Duplici I vel II classis, in proximam diem reponuntur, iuxta Rubricas, sub ritu quo in Kalendario inscribuntur: si vero inscripti fuerint sub alio quovis ritu, de eis fit aut omittitur Commemoratio, iuxta superiores Rubricas, in Officio ipso de Patrono aut alio Sancto proprio, ut supra (90).

(89) Patronus loci et Titularis ecclesiae eliguntur ad libitum (servata forma, quoad Patronum, ab Urbano viij statuta), a clero et populo, pro eorum particulari devotione; puta, vel ob corpus in loco ipso conditum, vel ob insignes reliquias impetratas et invectas, vel ob miracula ibidem patrata, vel etiam, imo ut plurimum, ob gratias per sanctos ipsos obtentas. Cum autem devotio eligentium specialiter feratur ad sanctum, quem, sive in Patronum, sive in Titularem elegerunt, licet cum aliis inscribatur in calendario in sua die, Patrono tantummodo et Titulari speciali ritu et solemnitate honores tribuere eligentes intendunt, ideoque socii isti in officio separari debent.

Et sane, sicut in breviario ex. gr. die 13 iunii honoratur tantummodo s. Antonius a Padua, licet eadem die in martyrologio plurimi alii sancti inscribantur, eo quod ecclesia illum celebrare praecepit specialiter in toto orbe, et nil de aliis agit, ita in loco ubi particularis Patronus aut Titularis recolitur, si ipse in officio diei, sanctos socios habeat, quia ritus Patronorum et Titularium ei tantum competit, et non aliis, ipsi ex officio eius separantur.

Lex ista, de separatione sociorum, ex rei natura exurgit, ideoque perantiqua est; de eadem lege plura exhibet exempla Guyet (Heortol. I, v, q. 14 et III, viij, q. 4), hinc est propterea quod in recognitione breviarii a Clemente viij peracta, post tabellam occurrentiae, inducta est rubrica de ista separatione, quae in breviario s. Pii v desiderabatur, ut eruitur ex Gavanto (sect. 3, c. 10, n. 11 in fine).

Huiusmodi rubrica ab anno correctionis Urbani viij 1631, usque ad annum 1884, in quo Leo xiij nonnullas moderationes in leges translationis, ut notum est, invexit, invariata remanserat, quamquam tum ex doctrinis Guyeti (loc. cit.) et Cavalieri (T. 1, c. 5, n. 4), tum ex nonnullis decretis S. R. C. praesertim n. 1589, 3431 et 4037 aliquantisper mutari debuisset. Attamen, quia post recognitionem breviarii Urbanianam nulla mutatio in rubricas umquam

inducta fuerat, haec eadem rubrica intacta pervenit usque ad annum 1884.

Postea vero alias moderationes passa est, eo quod correctores rubricarum, sub Leone xiij, non recte applicaverant leges translationis in casu; ideoque, cum anno 1897 vulgari debuisset secunda editio typica breviarii, denuo emendata fuit; ac tandem in hac ultima reformatione ad normam bullae « Divino afflatu » necessario mutata et melius declarata est, imo, inter rubricas opportune reposita, non amplius vero simpliciter inter notanda post tabellam occurrentiae. Etenim tabellae ipsae dicuntur *ex rubricis generalibus excerptae,* sed lex separationis sociorum a sancto Patrono vel Titulari in rubricis non invenitur, ideoque, cum agatur de vera lege, inter generales rubricas inducenda erat; hoc autem prae oculis non habuit cl. Gavantus. quando rubricas recognovit sub Urbano viij.

Quatuor ergo adsunt huiusce rubricae compositiones: Prima, quae viguit ab anno 1631 usque ad 1884; Secunda usque ad 1898; Tertia usque ad 1912, et Novissima, quam hic exponimus.

Simul conferendo quatuor istas diversas redactiones, sequentia profluunt consectaria:

I. In *prima* et *secunda* lectione, satis obscure exponebatur distinctio inter patronum et titulum, sicut passim invenitur in generalibus rubricis; in *tertia* melius distinctio et clarius proponitur; in *novissima* vero, perfecte, et prout res exigit, omnia dicuntur quae in diversis casibus sunt facienda.

II. In *tertia* haec verba adiecta fuere: *qui separari queunt;* quia, aliqui sancti, inter se copulati in eodem festo, separari possunt, aliqui vero non; in *novissima* vero explicite casus separationis indicantur.

III. In *prima* legebatur: « qui si in dicto calendario descripti sint sub officio duplici vel semiduplici transferuntur », in *secunda* negabatur translatio duplicibus minoribus, *non tamen doctoris ecclesiae,* et semiduplicibus, quod erat sin-

gularis applicatio dispositionis in brevi *Nullo umquam* contentae (1), quia in hoc brevi ablata fuit translatio *accidentalis*, non autem *perpetua* huiusmodi officiorum. In *tertia* vero et in *novissima*, restituta fuit repositio perpetua tam duplicis minoris quam semiduplicis.

IV. In *prima* et in *tertia* de sanctis sociis, licet eorum festum sit duplex, vel duplex maius, praescribitur ut officium eorum perpetuo translatum fiat semiduplex; in *secunda* autem et in *novissima* eorum ritus retinetur.

V. In *novissima* tantum, et non in aliis, disponitur etiam de patrono secundario, ac de sancto, cuius habentur reliquiae insignes, uti decrevit S. R. C.

Rubricae docent, dari posse patronos locorum primarios et secundarios; illi sub ritu duplici I classis, hi autem sub ritu duplici maiore recolendi sunt. *Novissima* vero rubrica de utroque agit patrono principali et secundario. Quod si ecclesia duos aut plures sanctos habeat titulares, qui distincta die occurrant, omnes aeque sunt principales, ac proinde omnes ritu duplici I classis recoluntur, et in casu a sociis separandi.

Quod attinet ad inscriptionem in calendario, Gavantus (sect. 3, c. 10, n. 11) ait: « Aliqui putarunt, hanc rubricam loqui de occurrentia duorum festorum, quorum alterum est in calendario romano, alterum in calendario loci proprio, sed falluntur ex iis verbis: *descriptus sit eodem die in calendariis*, et loquitur de calendario romano, me teste, in recognitione clementina ». Adde tamen, hanc legem de separatione valere, non tantum pro calendario romano, ut ait hic Gavantus, scilicet universalis ecclesiae, sed quoque pro calendario dioecesis, aut religionis, aut ecclesiae etiam particularis. Cf. Guyetum et Cavalerium (loc. cit.).

---

(1) In huius rubricae emendatione anno 1883 vulgata, legebatur, quod de sociis fit commemoratio in utrisque vesperis et laudibus iuxta rubricas; quae commemoratio in duplicibus I classis cum tunc esset prohibita, anno sequenti denuo emendata est.

S. R. C. in suo decreto 11 aug. 1877, n. 3431 id retinet, clarissime agens de ecclesiis dicatis ss. Iusto et Pastori, ss. Acischi et Victoriae in Hispania.

Nota autem hic dici: *descriptus sit in calendario,* non in *martyrologio,* quia bene Cavalerius (loc. cit.) ait: « Non autem de iis qui solum in martyrologio simul descripti sunt, quia socii eius, de quo iuxta rubricas officium faciendum est, nullum officium habent, nec ius ad officium ». Res per se patet; nam de iis solummodo agitur officium qui in calendario proprio inscribuntur.

In *tertia* adiecta fuerat clausula: *cum aliis sanctis, qui separari queant;* sed quia explicite non dicebatur, quando possibilis erat separatio, in *novissima* res penitius declaratur. Aliquando enim habentur socii, qui a Patrono vel Titulo separari possunt, aliquando non. Et revera Guyetus (loc. cit.) scribit: « Dupliciter contingit ut sancti aliqui sic in calendario simul inscribantur. Primo quidem *ex occasione* tantum, quia scilicet eadem die passi fuerint, vel obierint, licet forte non eodem anno, nec eodem in loco, nec eadem de causa, cuiusmodi sunt plerique inter martyres, ut ss. Fabianus et Sebastianus, Vincentius et Anastasius, Soter et Caius, Cletus et Marcellinus, Cornelius et Cyprianus et alii; inter confessores item multi ut ss. Vedastus et Amandus, Lupus et Aegidius, etc. (1). Secundo associantur sancti quasi *ex natura rei,* quod videlicet eodem simul die ac loco, eamdemque ob causam, cursum vitae huius feliciter consummarunt; cuiusmodi exempla in confessoribus pauca admodum suppetunt, ac vix nisi unum ss. Antonii, Meruli et Ioannis ex martyrologio licet allegare ».

« Inter martyres frequentissime id occurrit, ut patet exemplis ss. Innocentium, Ioannis et Pauli, Cosmae et Damiani, Gervasii et Protasii, Mauritii et sociorum, Ursulae et sociarum, et aliis innumeris ».

---

(1) Hodie in calendario universali habentur festa VII fundatorum ordinis B. M. V., et ss. Cyrilli et Methodii Confessorum.

« Primo itaque modo coniuncti, nullo negotio dissociantur, occurritque plurimum unum absque alio alicuius ecclesiae esse Patronum, ut constat de s. Sebastiano, Vincentio, Cypriano, Aegidio et reliquis. De aliis vero, secundo modo simul iunctis, non idem usus est ac par ratio. Quae enim ecclesiae s. Gervasium v. g. vel s. Cosmam Patronum colunt, nequaquam ab hoc s. Damianum, nec ab illo s. Protasium solent divellere. Quae item ss. Innocentes, aut s. Mauritium, aut s. Ursulam, aliosve eiusmodi omnes ex aequo socios perinde recognoscunt; nisi forte alicubi unius nominatim corpus, aut insignis reliquia, ab aliis certo discreta, quae occasioni sit, ut is cuius est, singillatim patronus adhibeatur; sicut de ss. Exuperio, Candido, Victore, Innocentio et aliis ex legione Thebaea posset accidere item de s. Cordula, una ex sociabus s. Ursulae, aliisque similibus ».

Huc usque Guyetus. Iisdem fere verbis loquitur Cavalerius, qui de sanctis ex *natura rei* invicem coniunctis non tantum dicit: « debent eodem die, eodem anno, eodem in loco, et eadem de causa ex hac lacrymarum valle esse sublati »; sed addit quoque: « et insuper (debent) inter sese aliquam affinitatem, vel consanguinitatem habere; cuius rationis sunt ss. Gervasius et Protasius, Cosma et Damianus, qui fratres erant; Symphorosa et Filii, aliique similes ». Quod idem docet Meratus (sect. III, c. 10, n. 8).

E contra S. R. C. suo decreto 16 ianuarii 1677, in nova collectione servato sub n. 1589, ad 2 quaesitum: « an duae lectiones ut ss. Gervasii et Protasii legendae sint in officio duplici illius cuius reliquia habetur, et de socio facienda tantum sit commemoratio » respondit: « Si hoc casu lectiones disiungi commode possunt, legenda est illa de sancto, cuius fit officium duplex, propter reliquiam insignem... si vero non possunt commode disiungi lectiones, utraque ponenda est in ij nocturno,... et in hoc casu lectio nona pro festo simplici repetenda non est, fieri tamen debet de eo commemoratio ». Ex quo sequitur: dari posse separationem sanctorum, quorum unus sit Patronus

vel Titulus, vel de eo habeatur reliquia insignis, licet agatur de sanctis ex *natura rei* simul coniunctis, uti sunt ss. Gervasius et Protasius.

Moderni vero rubricistae, cum Cavalerio (loc. cit. decr. 4, n. 4), et de Herdt (p. 4, n. 293) docuerunt separationem fieri, cum Patronus recolatur ritu duplici I classis; cum autem agatur de Patrono minus principali, aut de sancto cuius habetur reliquia insignis, separationem non esse faciendam.

Nihilominus S. R. C. in aliam sententiam devenit: quod probatur ex eius decretis n. 3413 (11 augusti 1877) et 4037 (20 iunii 1899), nec non ex *secunda* ex rubricis, quas hic conferimus. In decreto 3431 ad 1 quaesitum circa officia Titularium edixit: « Praedictos (ss. Iustum et Pastorem vel Cosmam et Damianum) per se et ex natura rei coniunctos et eodem die in calendario descriptos, quorum vel alter est Titularis ecclesiae (adde, ob eamdem rationem, Patronus loci) vel alterius insignis reliquia asservatur in ecclesia, non esse separandos ».

In secundo decreto n. 4037 ad 3, praecepit: « Quando Patronus (adde Titularis) aut sanctus cuius insignis reliquia habetur, describitur in calendario cum aliis sanctis, quum tamen nulla inter eos necessaria consanguinitatis aut affinitatis intercesserit ratio, agenda est separatio ».

Hisce de causis, in nostris *Praelectionibus s. Liturgiae* (Romae, Forzani, 1909, pag. 372) emendationem proposuimus huius rubricae, quae fere ad literam inducta fuit in rubricam, quam hic exponimus.

Pro praxi ergo, en quomodo applicari debet huius rubricae praescriptio. Patronus vel Titulus est s. Sebastianus; quia socius eius Fabianus non est ex natura sua cum eo coniunctus, sed tantummodo, quia eadem die mensis, non vero eodem anno, mortem oppetiit, separari debet; scilicet, die 20 ianuarii agenda est solemnitas solius s. Sebastiani, sub suo ritu duplici I classis cum octava, cum commemoratione s. Fabiani, ut infra dicendum erit.

E contra, si Patronus aut Titulus est s. Gervasius, quia cum fratre suo Protasio, non tantum eodem die et anno, atque eadem ex causa, mortuus est, sed etiam consanguinitatem habet, non est separandus, et ideo de duobus fratribus solemnitas simul agi debet cum ritu Patronorum aut Titularium proprio.

(90) *Quod si socii sint cum eo descripti in calendario sub situ duplici 1 vel 2 classis etc....* Huiusmodi lex noviter in rubricis ponitur, scilicet, festa sociorum, quae sub ritu classico celebrantur, reponi nunc debent in proximam diem tamquam in sedem propriam. Itaque, si Patronus sit s. Philippus apostolus, separandus est a socio suo Iacobo, et huius festum die 2 maii sub suo competenti ritu duplici 2 classis celebrandum cum commemoratione s. Athanasii ea die occurrentis.

E contra, si Patronus sit ex. gr. s. Fabianus, et Titulus s. Vincentius martyr, separari debent respective socii Sebastianus et Anastasius, qui cum inscripti sint in calendario sub ritu duplici vel semiduplici, transferri ex novo iure nequeunt; ideoque de istis sociis respective agenda erit commemoratio in festo Patroni et Titularis in laudibus et missis privatis tantum iuxta rubricas.

Quod si Patrona fuerit ex. gr. s. Iustina virgo et martyr Antiochena, quae in calendario invenitur inscripta simul cum s. Cypriano, eo quod sub ritu tantum simplici recolantur, de socio separato nihil agi poterit (1).

5. Si Patronus secundarius, vel alius Sanctus proprius, ut supra, qui sub ritu Duplici maiori vel minori aut Semiduplici celebrari debeat, pariter cum Sociis descriptus sit in Kalendario sub ritu Simplici, de eo fit Festum sub ritu competenti, et de Sociis fit tan-

(1) Placentiae vero, ubi s. Iustina est Titularis cathedralis, de separato socio suo s. Cypriano agitur festum die 1 octobris, eo quod de eodem habentur insignes reliquiae, et ideo sit sanctus proprius.

tum Commemoratio, iuxta Rubricas. Si tamen inter eos necessaria consanguinitatis aut affinitatis ratio intercedat, vel etiam si eodem loco, eodem tempore, eadem de causa vitam obierint, Patronus aut alius Sanctus proprius a Sociis non separatur, sed de omnibus simul celebratur Festum sub ritu qui Patrono aut Sancto proprio competat. Quod item fit si omnes qualibet de causa simul in Kalendario descripti sint sub ritu Duplici maiori vel minori aut Semiduplici (91). In his tamen casibus Sancti proprii nomen et gesta, quae seiuncta sint, in Oratione et Lectionibus II Nocturni nomini et gestis Sociorum praeferuntur (92).

(91) Uti notavimus supra, de Patrono secundario, vel de aliis sanctis propriis, ex. gr. de sanctis quorum in loco habeantur reliquiae insignes, nihil loquebantur antiquae rubricae; nunc vero ad mentem decretorum, quae supra citavimus, separatio agi quoque debet, vel non, pro diversitate casuum, etiam sociorum Patroni minus principalis, et sancti proprii.

De hoc ultimo casu exemplum habemus apud patres societatis Iesu, qui die 5 februarii colunt tantummodo festum s. Pauli Miki, cum duobus aliis martyribus ex eadem societate, et nihil de sanctis ex ordine minorum, qui in Iaponia simul martyrium sustulerunt. Similiter dioecesi pictaviensi, die 23 febr. 1910, concessum est festum b. Theophanis Venard martyris, illud separando a festo sociorum eius, cum quibus martyrium subiit, et anno praecedenti beatorum honores obtinuerat; eo quod praedictus Theophanes in dicta dioecesi ortum habuit; in quo festo, uti dioecesi *proprio*, nil agitur de sociis, cum de istis nulla mentio habeatur in dioecesano calendario.

Igitur de sancto quolibet, qui revera proprius dici possit alicuius dioecesis, vel religionis, vel loci, iuxta titulum ij novissimarum rubricarum, sive ratione patronatus, sive ra-

tione ortus, aut alius relationis specialis, si in calendario cum aliis sanctis inscriptus sit, agendum est festum, et de sociis, uti rubrica ista praescribit, separatio fieri debet, vel non, iuxta diversos ritus quibus in calendario describuntur.

Hinc, si Sanctus proprius cum sociis inscribitur sub ritu simplici, tunc officium agitur de sancto ipso separato a sociis; et de sociis agitur commemoratio. Ex. gr. Placentiae asservantur reliquiae insignes ss. Marcelli et Apuleii, qui in calendario universali recoluntur eadem die cum ss. Sergio et Baccho sub ritu simplici; in dicta civitate agitur ergo festum de ss. Marcello et Apuleio, ritu duplici, et de sociis Sergio et Baccho agitur commemoratio.

Notandum est tamen, quod, si socii, licet sub ritu simplici cum Sancto proprio recolantur in calendario, cum eo relationem habeant vel consanguinitatis, vel affinitatis, vel, eadem die et eadem de causa mortem oppetierint, tunc non agitur separatio, sed simul cum Sancto proprio celebrantur.

Verbi gratia, in ecclesia s. Antonini Placentiae asservantur reliquiae insignes s. Feliciani martyris, et Regii Lepidi s. Chrysanthus patronus secundarius honoratur; quia eadem die inscribuntur s. Primus, et s. Daria respectivi socii ss. Feliciani et Chrysanthi, qui cum ipsis consanguinitatis relationem habent, socii ipsi non separantur, sed de omnibus agitur festum sub ritu duplici maiori.

Quod si sanctus proprius in calendario inscriptus sit cum aliis sociis, sub ritu duplici maiori vel minori aut semiduplici, habeat vel non habeat praedictam consanguininitatis vel affinitatis relationem, itemque mortuus sit eadem quidem die, non vero eadem ex causa, neque eodem anno, tunc semper de omnibus simul agendum est festum, ritu qui competit ipsi sancto proprio.

Verbi gratia, in basilica s. Mariae ad Martyres in Urbe, agitur festum speciale pro s. Cornelio papa, ob partem corporis ibidem asservatam, sub ritu duplici maiori; vi huius rubricae, s. Cyprianus eadem die in breviario celebratus,

non separatur, sed simul cum s. Cornelio exinde agendum erit festum sub ritu duplici maiori.

(92) *In his tamen casibus sancti proprii nomen et gesta, quae seiuncta sint, in oratione et lectionibus ij nocturni nomini et gestis sociorum praeferuntur.* Haec norma iam tradebatur a scriptoribus, Gavanto, Guyeto et Cavalerio, ex praxi plurium ecclesiarum. Ita Romae, die 28 iulii, festum ss. Nazarii et Celsi etc., semper inscriptum est hoc modo: *ss. Victoris I. P. et M., Innocentii I. P. et C. Nazarii et Celsi Martyr.* eo quod sub ritu duplici recoluntur Romae duo sancti Pontifices, ideoque alii duo sancti martyres, simul quidem eodem officio et eodem ritu duplici recoluntur, sed tam in oratione quam in serie historiae, nomina et gesta horum duorum martyrum post nomina et gesta eorumdem Pontificum disponuntur.

D.r Petrus Piacenza

Consultationes.

E Belgio. — **De oratione pro defunctis in missa de feria maiori.** — *Quaer*. Utrum in missa de feria maiori, quando tres orationes a Rubricis praescriptae iam sunt, et penultimo loco addita fuit oratio pro defunctis, omitti possit oratio imperata?

Resp. In Rubricis post Constitutionem « Divino afflatu » positis, dicitur: « deinceps (collectae scilicet ab Ordinario imperatae) prohibentur quandocumque in missa dicendae sunt plus quam tres orationes a Rubrica eo die praescriptae ». Haec tamen verba « a Rubrica praescriptae » non esse ita stricte intelligenda innuit decretum 21 Iunii 1912 ad V, ubi dicitur: « An collectae omittendae sunt quando in missis privatis, post tres orationes eo die praescriptas, addita est oratio ss. Sacramenti publice expositi, vel pro Papa aut Episcopo in respectivis anniversariis? Resp. Affirmative ». Oratio enim pro ss. Sacramento exposito non semper a Rubrica est praescripta, sed aliquando tantum permittitur, v. g. ss. Sacramento publice exposito praeter Orationem XL Horarum in omnibus privatis missis et in missis cantatis ad aliud altare.

Sed veniamus iam ad decretum 12 Iunii 1912. Decretum istud generale editum fuit *ad praecavendas dubitationes*, non autem ad augmentanda dubia.

In I. huius decreti dicitur quod quandocumque in feriis maioribus missam propriam habentibus missa de feria celebratur, si defunctis applicetur, addi *potest* oratio pro defunctis. In VI. vero dicitur « ut rite legitimeque applicari possit pro defunctis indulgentia Altaris privilegiati, *oportet* ut, diebus quibus permittitur, missa de feria omnino celebretur,

addita, ut supra, oratione pro defunctis » (1). Hinc patet orationem illam pro defunctis a Rubricis esse permissam, et quando applicari debet indulgentia Altaris privilegiati, a Rubricis esse praescriptam. Ergo iam applicandum venit quod supra dictum est ex decreto 21 Iunii 1912 ad V. Sed et ex ipso decreto 12 Iunii erui potest, quod dicta oratio pro defunctis, si addita in missa efficit orationes numero quatuor, excludat orationem imperatam. In II. enim statuitur quid per dictam orationem non excluditur: « Huiusmodi oratio pro defunctis non excludit orationes de tempore, nisi occurrat commemoratio duplicis ». Si orationem quoque imperatam non excluderet, in decreto additum fuisset, quia decretum *ad praecavendas dubitationes* editum fuit.

Sed quae praecipue contra hanc thesim obiiciuntur, sunt verba dicti decreti sub IV: « Haec eadem oratio pro defunctis semper recitari debet penultimo loco inter orationes ea die a Rubricis praescriptas vel permissas, *non computatis collectis ab Ordinario imperatis* ». Arguitur enim ex his ultimis verbis dictam orationem pro defunctis non posse computari in numero orationum, ac proinde si tres orationes in dicta missa feriali dici debent, ista oratio pro defunctis inter secundam et tertiam orationem dicitur intercalata, quin numeretur, et oratio imperata remanet quarto loco dicenda, scilicet post ultimam orationem a Rubricis praescriptam. Sed quis non videt hanc interpretationem aliquam vim Rubricis inferre, talem ambiguum modum loquendi non esse usitatum in Rubricis, illam denique intentionem non esse *ad praecavendas dubitationes*? Insuper quisquis istum IV decreti inspicit, videbit in hoc numero scopum decreti esse ut isti orationi pro defunctis locus assignetur in missa, et nihil aliud: De iis enim quae ista oratio excludit vel non excludit, iam actum est sub II. Ultima autem verba: « non computatis collectis ab Ordinario imperatis », provocant ad Ru-

---

(1) Meminerit tamen lector, hanc obligationem esse abolitam per decretum S. Officii, diei 20 februarii 1913 *(Nota Redact.)*.

bricas generales Missalis, tit. VII, n. 6 et ad alias decreta. Et mirandum quomodo ista verba alio sensu intelligi potuerunt ab Auctoribus aliunde in Rubricis versatis.

Concludendum ergo et ad quaestionem respondendum: affirmative, quando iuxta novas Rubricas missa de feria maiori celebratur et defunctis applicatur, et aliunde tres orationes a Rubricis praescribuntur, tertio loco dicitur oratio pro defunctis, et quarto loco oratio tertio loco praescripta, et omittitur oratio imperata. Ita salvo meliori iudicio.

P. I. A C. C. D.

BREVIORA RESPONSA

Pro Galicia. — I. An Solemnitas S. Ioseph, in Fer. IV ante Dom. III post Pascha assignata, amiserit suum characterem *feriationis,* ita ut Parochi in dicto Festo Missam pro populo applicare non teneantur?

Resp. a) Negative, eadem ex ratione qua non amisit aliud festum, S. Ioachim, quod certo certius ratione feriationis Dominicae affixum erat; et habetur revera utrumque in novissimo elencho festorum feriatorum (editio typica, 1914). *b*) Cum tamen non agatur de festo suppresso, sed de assignatione novi diei alicui festo, feriatione reipsa permanente antiquo die, quo externa solemnitas nunc agi potest, nequimus onus imponere Parochis, nisi certo de eo constet, Consulatur ergo R.mus Ordinarius: iam enim Ordinarii instructionem habent a S. C. Concilii, quae, sicut relatum nobis est, conformis est nostro sentiendi modo, scilicet quod Parochi in casu nulla obligatione teneantur.

II. Anno proximo, 1915, in Feria III post Dom. I Quadragesimae, occurrunt: Festum S. Petri Damiani et Vigilia S. Matthiae Ap. - Quodnam Evangelium legendum est in

fine utriusque Missae Conventualis quae in Cathedrali celebrari debet?

Resp. In Missa de Sancto dicatur Evangelium solitum S. Ioannis, quia nulla facienda est in dicta Missa commemoratio feriae vel Vigiliae. In Missa vero de feria, dicatur Evangelium Vigiliae, quae in ea commemoratur, quod reipsa faciendum est, uti alias probavimus, ex hodiernis documentis, usque dum aliter a S. Sede, si ei placuerit, decernatur.

III. Iuxta novissimas *Variationes* divini Officii, in III Nocturno Festi S. Wenceslai (28 Sept.) adhibenda est Homilia in Evangelium *Nolite arbitrari*. – An etiam in Missa idem Evangelium legendum sit, convenientiae gratia cum Officio, vel potius, ut hucusque, Evangelium *Si quis vult?*

Resp. Affirmative, est enim postulatum liturgicum, quod Missae Evangelium debeat concordare cum eo de quo lectum est in Officio.

IV. Festum S. Ferdinandi Regis (30 maii) habet tres Hymnos proprios historicos eiusdem metri, 1.us nempe et idem in utrisque Vesperis, 2.us ad Matutinum, 3.us vero ad Laudes. Quaenam norma in praedictis Hymnis ordinandis tenenda est, quando impediuntur tantum primae Vesperae Festi? Quidam dicunt in casu nihil variandum esse, quia, quamvis Hymnus Vesperarum omittatur in primis, in secundis tamen locum habet, et ita, absque ullà transpositione aut coniunctione, tres Hymni suis locis recitantur. Alii vero, innixi Rubricis (XX, 3), asserunt, Hymnum primarum Vesperarum dicendum esse ad Matutinum, Hymnum Matutini ad Laudes, et Hymnum Laudum ad secundas Vesperas. Alii denique opinantur, servandam esse rubricam specialem Officii, quae ita se habet: *Si hoc Festum non habet primas Vesperas, Hymnus* Quale, cum coelum (e Iis. Vesp.) *iungitur cum Hymno ad Matutinum sub una et ultima conclusione.* – Quaenam ex tribus sententiis in praxi sequenda?

Resp. Proculdubio servanda est rubrica specialis Officii, quod cum sit a competenti Auctoritate approbatum, mutari

nequit. Si quid valerent rationes, quae possent adduci, ac praesertim de inutilitate, et forsan de minori convenientia repetitionis hymni prioris, eas ad S. Rituum Congregatioem oporteret afferri.

V. Quando in Festo Septem Dolorum B. M. V. (Feria VI post Dom. Passionis) omittendae sunt primae Vesperae Hymnus *Stabat Mater* iungi debet cum Hymno *Sancta Mater* ad Matutinum, iuxta Rubricam specialem Breviarii Romani et Decretum S. R. C., 6 Febr. 1892, XVII; vel Hymnus *Stabat Mater* dici debet ad Matutinum, Hymnus *Sancta Mater* ad Laudes, et Hymnus Laudum ad secundas Vesperas, ut praescribit quidam *Ordo divini Officii?*

Resp. Ut ad dubium praecedens; Decretum 3764, supra citatum, in dubio, clarius esse nequit, ita ut nihil valeant quaecumque etiam speciosissimae rationes.

Pro Congregatione SS. Redemptoris in Hollandia. — I. S. Ioannes Ev. est Patronus Ecclesiae Cathedralis Buscoducensis, in qua urbe Patres nostri Collegium habent, et ideo a nobis ritu dupl. 1 cl. sine octava est celebrandus, quum proprium Kalendarium habeamus. Nunc quaeritur, an ex iis quae docent *Ephemerides Liturgicae* an. 1914, pag. 294, II, die 2 ianuarii, a me indicandum sit pro domo Buscoducensi: de VII die infra oct. S. Ioannis, com. diei oct. S. Stephani, et die 3 ian. octava S. Ioannis, dupl. mai.? Antea profecto indicavi, die 3 ian. oct. S. Ioannis dupl. quia tunc erat octava communis in universali Ecclesia, et ideo iuxta Decr. S. R. C., n. 4212, etiam a Regularibus dies octava erat recolenda, sed nunc puto sic esse ratiocinandum: S. Ioannes Titularis Ecclesiae Buscoducensis habet octavam communem pro iis qui ad octavam tenentur h. e. pro clero saeculari; habet vero octavam simplicem in tota Ecclesia. Regulares ideo non tenentur ad diem VII, quia haec non recolitur in tota Ecclesia, et cum non teneantur ad octavam communem, de die VII nihil fit. Quid?

Resp. Contra opinionem nostram loco citato Ephemeridum expressam, stat opinio cl. Alterius ex adlaboratoribus

nostris, quam Lectores iam noverunt. In dubio ergo libertas, seu melius, recursus ad S. Sedem.

II. Docent quidem *Ephemerides Liturgicae* 1914, pag. 68, ad 14 ian. legendas esse lectiones de Scriptura occurrente cum responsoriis feriae II *praecedentis*. Sed 1° non video quomodo tunc servetur rubrica libelli *Variationum* pag. [23] prima die qua huiusmodi lectiones dicuntur, sumentur eae quae I Nocturno Dom. II sunt assignata. 2° non intelligo quomodo *Ephemerides Liturgicae* applicent quae dicuntur: sumuntur responsoria singulis feriis *sequentis* hebdomadae II, post Epiph. assignata. 3° demum nullatenus inveni ℟℟. feriae II hebdomadae primae post Epiph. meum breviarium nullum omnino responsorium indicat.

Resp. Ad 1. Responsoria feriae II praecedentis, in casu, sunt eadem ac 1 Noct. Dominicae II post Epiphaniam. Ad 2. Difficultas solvitur fere eadem ratione ac ad 1, quia hebdomada prima, quoad responsoria, idem tenet ac secunda. Ad 3. Videantur novissima Breviaria typica, et res evidens erit, ut diximus supra.

III. S. Ioannes Nepomucenus est Contitularis ecclesiae nostrae Wittemiensis. Habuimus et etiamnunc habemus Officium proprium (2° loco pro aliq. locis). Inter illam octavam bis notatur Officium de die infra oct. Hucusque dies octava dumtaxat celebrabatur, et habemus Lectiones proprias de 2 et 3 Nocturno pro die octava. Sed undenam sumendum est a nobis Officium pro diebus infra octavam, quoad Lectiones 2 et 3 Nocturni?

Resp. Pro II Nocturno, vel de *Octavario romano,* vel de Communi unius Martyris (prima die ut in ipso Comm., secunda die, ut post ipsum Comm.: *Aliae lectiones*); pro III Nocturno repetantur de die festo, iuxta rubricam Proprium Sanctorum praecedentem in libello *Variationes,* pag. [33].

IV. Insuper sciscitari vellem quomodo ordinandum Kalendarium pro diebus infra octavam eiusdem Sancti Ioannis (Est enim Officium omnino proprium quoad antiphonas et responsoria). Dicitur equidem Officium infra octavam com-

munem « psalmi cum antiphonis de feria currenti ad omnes horas et ad Lectiones I Nocturni responsoria de tempore », iuxta Decr. S. R. C., 28 oct. 1913, nihilominus, puto adhuc vigere constit. *Divino afflatu*, tit. I, n. 3, quoad horas maiores. Et ideo indicare vellem: ad Vesp. Mat. et Laud. omnia e Brev. ut antea (nil de Psalterio). Similiter in vigore esse adhuc Tit. I, n. 4, puto: Responsoria propria secum trahunt Lectiones de Communi, nisi in casibus exceptis quoad S. Clementem, Luciam etc. Et ideo pro diebus infra oct. Lect. I Noct. de *Communi* (vel propriae ut in festo?) cum ℟℟. propriis? Vel Lect. de Script. occ. cum ℟℟. de tempore? Et occurrente illa octava cum octava Ascensionis Domini: Responsoria I Noct. de octava Ascensionis vel ℟℟. propria, ut in festo S. Ioannis Nepomuceni?

Resp. Etiam quoad Horas maiores, infra octavam sumenda sunt de Psalterio: psalmi, antiphonae, versiculi et responsoria I. Noct. (Vide Rubricas novissimi libelli *Variationes*).

V. Quaenam responsoria post Lectiones I Noct. sumenda in festis SS. Stigmatum S. Francisci, et S. Iosephi a Cupertino (diebus 17 et 18 sept.), de tempore vel de Communi? Ratio dubitandi est, quia lectionibus de scriptura occurrenti adhaerent responsoria de tempore.

Resp. De Communi, uti explicatur in rubricis novissime reformatis, et in Decreto 28 oct. 1913: et sane, in casu, Lectiones non sunt de scriptura *occurrenti*.

VI. Regulares tenentur ad Patronum principalem. Sed quid quoad Patres nostros in Brasilia? In Kalendario Brasiliano invenitur: *S. Petri de Alcantara*, Patr. Brasil. Sed estne principalis? Nescio. An igitur notandum tamquam dupl. I cl.? *S. Rosae Limanae*, Patr. Americae latinae. Estne notandum dupl. I cl. pro Patribus nostris in Brasilia et Surin? *B. M. V. de Guadalupe*, Patr. Americae latinae (12 dec.). Eadem difficultas?

Resp. Hi omnes, Patronus et Patronae sunt principales, et ideo omnes recolendi sub ritu dupl. I. cl. – Ita in tabulario S. R. Congregationis.

VII. Moniales nostrae habent festum VII Dolorum B. M. V. dupl. 1 cl. cum octava. Quaeritur, quoad diem octavam (quam habemus in Proprio nostro), ubi incipit nona Lectio? Nona Lectio enim non indicatur nisi de homilia Dominicae, et in Lectione octava nullum invenitur signaculum.

Resp. Si Lectiones sunt eaedem ac in *Octavario romano,* putamus, nonam Lectionem posse instaurari a verbo *Moriebatur.*

VIII. Num nona Lectio de Sancto simplici vel simplificato legitur infra octavam Ascensionis, quamvis sit octava privilegiata?

Resp. Affirmative, id enim nullibi est prohibitum: sequenda igitur regula generalis.

IX. In Kalendario Brasiliano, B. M. V. de Monte Carmelo dupl. 1 cl. sine octava *pro utroque Clero* notatur. Quaeritur an etiam Patres nostri in Brasilia, Kalendario proprio gaudentes, ad hunc ritum teneantur? An saltem post novam nostri Kalendarii approbationem ad hunc ritum non teneamur? Nam quamvis Episcopi pro utroque Clero hoc rogaverint, nos nihilominus exempti sumus.

Resp. Negative, scilicet non tenentur; id clare edicente Decreto S. R. C. d. d. 28 februarii 1914, IV (V. *Ephemerides Liturgicae,* 1914, pag. 258).

Pro Anglia. — 1. Utrum fieri debeat denudatio altaris maioris, post Missam Praesanctificatorum? 2. Si affirmative, utrum cum recitatione psalmi a sacerdote? Utrum fieri non debeat denudatio altaris in quo reposita fuerat Sacra Hostia a sacerdote et cum recitatione psalmi *Deus, Deus meus?* Utrum candelae, flores vasaque amoveri debeant ab acolythis tantum.

Resp. Ad 1. Affirmative cohaerenter cum spiritu Liturgiae huius diei, et quomodo eruitur e Caeremoniali Episcoporum (lib. II, cap. XXVII, quod loquens de sabbato Sancto ait: « Summo mane vestiuntur altaria ».

Ad 2. Negative, id enim non praescribitur nisi feria V praecedente.

Ad 3. Affirmative, sed non adhibito ritu diei praecedentis, neque enim id ullibi praescribitur, neque opportuum esset ritum renovare pro altari, quod est secundarium, et posset etiam non esse altare, uti eruitur ex verbis Rubricae Missalis feria V in Coena Domini: « Paretur locus aptus in aliqua capella Ecclesiae vel altari ».

Ad 4. Regulariter, affirmative, quod praesertim fieri debet pro altari maiore, si peracta Missa Praesanctificatorum clerus maneat in choro, recitaturus Vesperas.

Pro Millington (Durham). — Ad paginam 16, ad III, *Ephemeridum Liturgicarum* mensis martii, pr. el. dicitur, casum propositum non amplius locum habere posse. Verum est, casum S. Laurentii Octavae in Vigilia Assumptionis non posse amplius locum habere. Similiter pro festis II cl. Sed quid de festis 1 cl. (Dedic. Cathedr., Titul. Eccles. aut similibus), quorum dies infra Octavam occurrere possunt cum aliqua Vigilia. V. g. Titularis alicuius Ecclesiae celebratur die 25 octobris; dedicatio Cathedralis celebratur in aliqua dioecesi die 12 augusti, per privilegium Patronus alicuius dioecesis celebratur *cum Octava* die 20 martii. Utrum, iterum, in istis feriis Quadragesimae et Vigiliae Assumptionis et Omn. SS. possimus habere Missam Octavae atque Missam Vigiliae (vel feriae)?

Resp. Affirmative, uti iam diximus anno elapso (V. Vol. XXVII, pag. 585, III), et in prima parte responsionis in dubio citatae, scilicet praeter casum vigiliae Assumptionis, *uti exponebatur;* cohaerenter cum Rubricis (quia novae nihil habent de Missis) primo editis ad normam Bullae *Divino afflatu,* cum dies infra octavam communem sit verum festum semiduplex.

Pro N. N. in Moravia. — I. Hebdomada mensis septembris, post Dom. III, erit sequens:

18. Fer. 2. S. Iosephi a Cupert. dupl. Lect. 1. Noct. propr.

19. Fer. 3. Ss. Ianuarii et Soc. Mm., dupl. Lect. 1. Noct. fer. occ.

20. Fer. 4. Quat. Temp. Vigil. Ss. Eustachii et Soc. Mm. dupl. Lect. 1. Noct. « Fratres. debitores ».

21. Fer. 5. S. Matthaei Ap. Ev. dupl. 2. cl. Lect. 1. Noct. « Et factum est ».

22. Fer. 6. Quat. Temp. S. Thomae a Villanova Ep. C. dupl. Lect. 1. Noct. « Fidelis sermo ».

23. Sabb. Quat. Temp. S. Lini Pap. M. semid. Lect. 1. Noct. « A Mileto ».

a) Est dispositio Lectionum 1. Noct. bene et recte facta? an debeo sequi Mutationes in Brev. Rom. S. R. C. 11 iunii 1913, iuxta quas essent *Lect. 1. Noct.:*

19. Fer. 3. Lect. 1. Noct. de lib. Tobiae e fer. 2. praec.

20. Fer. 4. Lect. 1. Noct. de lib. Tobiae e fer. 3. praec.

22. Fer. 6. Lect. 1. Noct. de lib. Tobiae e fer. 5. praec.?

b) Si standum sit pro Mutationibus, iuxta S. R. C. 11 iunii 1913, et Lectiones fer. 3, 4, et 6 dicendae sint de libro Tobiae, non vero de Communi, unde sumenda sunt Responsoria?

Resp. a) Negative ad primam partem, affirmative ad secundam. Ad mentem enim Rubricarum et Decretorum, quando habentur Officia, quae Lectionibus de scriptura dant locum, hae sunt opportune, ut facit Rev. Inquirens, distribuendae. *b*) Ex currenti feria, post Lectiones in homiliam diei.

II. Die 3 iulii, iuxta novissimum Calendarium a S. R. C. 20 feb. 1914 adprobatum, celebratur festum Oo. Ss. Summorum Pontificum ritu dupl. mai. Die vero 4 iulii S. Procopii Abb. Conf. Patroni minus principalis ritu dupl. mai. Est festum Ss. Summorum Pontificum secundarium? Et Vesperae erunt de sequenti, an a capitulo de sequenti?

Resp. Standum, usque dum aliud fieri non debeat ex competentis Auctoritatis declaratione, praesertim ubi non recoluntur singuli Romani Pontifices quibus honores altarium delati sunt, catalogo festorum ex Decretis S. R. C. 27 aug. 1893, et 5 febr. 1895, in quo praedictum festum recensetur inter secundaria. Et quamvis esset primarium, putamus festum magis proprium Patroni secundarii semper esse praeferendum: difficile intelligitur potior proprietas in festo Oo. Ss. Pp.

III. In Vigiliis non privilegiatis, feriis Missam propriam habentibus, diebus in quibus reposita est Missa Dominicae praecedentis, potest cantari Missa quotidiana pro Defunctis? Rubricae ex « Divino afflatu » tit. X, ad 5, dicunt: » Leges pro Missis Defunctorum in cantu immutatae manent » ?

Resp. Affirmative, quia reipsa, si Rubricae novissimae quotidianas Missas excipere voluissent, id dixissent. Hic et nunc igitur, nihil innovandum.

IV. Dominica anticipata, quae habet omnia iura Dominicae iuxta novissima Decreta, admittitur Missa cantata pro die obitus vel in die anniversaria? Admittit etiam Missam pro Sponsis votivam, an dicenda hoc in casu Missa Dominicae?

Resp. Ad primum. Quod Missam cantatam respicit pro die obitus, scilicet moraliter praesente cadavere, nullum dubium, illam permittit Dominica anticipata, prouti Dominica occurrens; quod autem in die anniversaria, dubitari potest, quia, quamvis nova rubrica dicat (tit. X, n. 5), leges pro Missis defunctorum in cantu immutatas manere, posterius Decretum S. R. C., 28 oct. 1913, dicit, Dominicam anticipatam pollere *omnibus* privilegiis Dominicae; attamen clarum non est, an hoc verbo *omnibus* casus noster includatur. Expectandae sunt ergo novae rubricae Missalis, quae et de hac re erunt.

Ad secundum. Ut in altera parte responsi praecedentis.

V. In concursu festi SS. Philippi et Iacobi Ap. cum translato festo S. Marci Evang. Vesperae erunt ne a capitulo de seq.?

Resp. Negative, ratione feriationis qua gaudet festum SS. Apostolorum; cuius igitur erunt integrae Vesperae (noviss. Rubr., tit. II, 1).

VI. In concursu festi SS. Cordis Iesu cum festo Pretiosissimi Sanguinis D. N. I. Chr. eritne: In 2. Vesp. SS. Cordis com. Pret. Sanguinis D. N. I. Chr.?

Resp. Negative, cum enim habeatur in utroque festo identitas mysterii, faciendum est de praecedenti absque ulla com. sequentis.

VII. Quomodo disponentur hymni in festo Pretiosissimi Sanguinis D. N. I. Chr., si careat utriusque Vesperis?

Resp. Nequeunt in casu applicari Decreta S. R. C. nn. 4126, II, et 4159, IV, de omittendo scilicet hymno minoris momenti, cum nequeat, nostro iudicio, affirmari, quodnam, inter tres illos hymnos, momentum minus sit; praestat igitur omittere hymnum de primis Vesperis et recitare ceteros prouti iacent.

VIII. Variationes in Officio divino, pag. [23] dicunt: « Prima tamen die, qua huiusmodi lectiones (Epistolae I ad Corinthios) dicuntur, omissis aliis responsoriis ea die secus recitandis, sumuntur ea, quae 1. Nocturno Dominicae III sunt assignata ». Anno sequenti, secundum hanc regulam, die 14 ianuarii dicuntur Lectiones 1 Nocturni de Scriptura occurrente cum ℟℟. 1 Noct. Dom. II post Epiph., et die 15 ianuarii Lectiones 1. Noct. de Scriptura occurrente cum ℟℟. e fer. II (iuxta rubricam novam, tit. I, ad 3). Estne ita recte factum?

Resp. Affirmative ad primam partem; negative ad secundam; quia in primo casu rubrica ita dicit, sed in secundo nihil habet; sunt igitur sumenda responsoria feria VI ex feria VI post Dom. II post Epiphaniam, seu, ut in Breviario typico, die 14 ut feria II praecedenti, feria VI, ut proprio loco.

Pro Hollandia. — An repugnat Rubricis aut S. R. C. Decretis, repraesentandi *in ecclesia* caeremonias, quae olim in Ecclesia in usu fuerunt, v. gr. pulchras omnino caeremonias, quibuscum Baptismum *olim* solemniter conferebatur, ut inde populus maiorem aestimationem pro solemnitatibus Sanctae nostrae Religionis concipiat eiusque fervor pro frequentatione solemnitatum in ecclesiis urgeatur? Ut omnis erga Sanctissimum evitetur irreverentia, suppono SS. Sacramentum in sacristiam vel sacellum vicinum deportatum fuisse.

Resp. Nisi litterae, certe spiritui Rubricarum et Decretorum repugnat instauratio veterum Rituum in ecclesiis adhibitorum, eo vel magis, quod difficile esset decernere,

utrum ob aliquam intrinsecam rationem aboliti fuerint necne. Posset dari casus etiam alicuius saltem minus rectae interpretationis dogmatum vel traditionum ecclesiasticarum, olim alicubi factae. Imprudens ergo esset talis restitutio, nisi recursus ad S. Sedem pro aliquo casu habeatur, cum relativa facultate. Non desunt huiusmodi exempla in pluribus Ritualibus exterarum regionum a S. Sede approbatis.

Pro Gallia. — Anno proximo, 1915, Litaniae maiores incidunt Dominica tertia post Pascha, in qua, ex benigna Sacrae Rituum Congregationis concessione, petitioni Episcoporum Galliae annuentis, post Motu proprium « Abhinc duos annos », concessum fuit pro Gallia, Missam solemnitatis S. Ioseph cantare, etiam in Paroeciis ubi unicus est sacerdos, ac proinde Missam parochialem esse, non de Dominica, sed de solemnitate S. Ioseph cum commemoratione Dominicae, quaeritur: an in iis locis, ubi unica celebrabitur Missa post Processionem cum Litaniis, haec Missa celebranda sit de Rogationibus? vel de solemnitate S. Ioseph cum commemorationibus Rogationum ac S. Marci et Dominicae?

Resp. In casu applicandum esse putamus Decretum S. R. C., n. 2942, I, quo edicitur, in festo S. Marci occurrente festo Patroni principalis, ubi tantum unus vel duo sacerdotes celebrant, post processionem Missam de festo cum commemoratione Rogationum esse celebrandam. Et sane, in casu, Missa de S. Ioseph locum tenet Missae de festo occurrente, quasi imo solemnitas liturgica S. Ioseph eo die occurrat; et cum S. Ioseph sit Patronus Ecclesiae universalis, et eius solemnitas sit de primariis primae classis eiusdem universalis Ecclesiae, a fortiori applicandum citatum decretum.

Pro Hispania. — In quadam Cathedrali, thurificato ad Vesperas Altari, et antequam Canonici ceterique de Choro thurificentur, mos quidam viget, et a Constitutionibus tanquam pius et laudabilis habetur, se mutuo sequenti modo salutandi, dum cantus *Magnificat* alternante organo persol-

vitur: primus cuiusque lateris, cum capitis inclinatione versus alium, ei dicit: *Sit nomen Domini benedictum*, et hic, cum eadem venia, respondet: *Ex hoc nunc et usque in seculum*, et eiusmodi salutatio ab antiquiore ad recentiorem pertransit. Postea singuli, dum thurificationem accipiunt, seipsos pollice dextrae manus in pectore signant dicentes: *Non nobis, Domine, non nobis; sed nomini tuo da gloriam*. Continuari potest tanquam laudabilis haec consuetudo, ita ut cantum liturgicum *Magnificat* intercipere liceat praedictis vel similibus oratiunculis, quamquam piis et maxime devotis?

Resp. Si Constitutiones capitulares, de quibus in casus expositione sermo est, ab apostolica Sede sunt approbatae, quod inverisimile est, non est interloquendum; sin vero minime, dubitari saltem potest de legitimitate illius duplicis consuetudinis. Certe, non videtur posse attendi ad cantum *Magnificat* illa interpolatione extraneorum verborum. Unde, quod nostrum videndi modum respicit, tam ratione usus praeter legem et fere universalem consuetudinem, quam ratione impossibilitatis conciliandi respectum debitum ritui, qui completur, et S. Evangelio, de quo assumptum est canticum, concludendum est, talem consuetudinem, non modo non esse laudabilem, sed omnino recto sensui liturgico et theologico repugnare.

Pro dioecesi Elnen. — Iuxta decretum generale super *Motu Proprio* « Abhinc duos annos », tit. I, n. 2: Ubi solemnitas externa Festorum, quae hucusque alicui Dominicae affixa erat, in ipsa Dominica celebratur, de solemnitate Festi duplicis I classis permittuntur omnes Missae praeter Conventualem et Parochialem. Imo ex Rescripto 14 ian. 1914 pro Gallia, in ecclesiis ubi permittitur solemnitas, si una tantum Missa celebratur, haec esse potest de solemnitate translata, etiamsi parochialis et applicanda pro populo.

Quae cum ita sint pro festis nuperrime e Dominica sublatis et in aliam diem repositis, quaeritur, an privilegia superius enuntiata extendi possint aut debeant solemnitati-

bus quae, ante Novas Rubricas, iam, sive ex indulto quodam, sive ex decreto generali Cardinalis Caprara pro Gallia, erant affixae primae Dominicae liberae post festum suppressum aut aliud quodcumque? Quod si res non ita sint, festa v. g. Epiphaniae, SS. Corporis Christi, SS. Petri et Pauli et alia eiusdem solemnitatis non erunt tam privilegiata quam alia festa ritu et dignitate minora e. g. S. Ioannis Baptistae, S. Ioseph, SS. Rosarii, etc., et hoc repugnare videtur.

Resp. Non adest paritas inter festa primitus in Dominicis celebrata, nunc autem remota, et festa infra hebdomadam incidentia, ad Dominicam, quoad solemnitatem externam, translata; id animadvertat cl. Inquirens. Hinc nulla consequens, ut ita dicamus, iniuria festis translatis, quia alia potiori privilegio gaudent. Et sane festa primitus in Dominica assignata, in hac Dominica, quasi ius nativum possident, dum alia fere dicerem usurpant locum sibi non debitum. Ceterum pro parochiis unum tantum sacerdotem celebrantem habentes, in Gallia, provisum est per S. R. Congregationem, quae edixit, consuetudinem celebrandi etiam hoc in casu solemnitatem translatam per Missam solemnem, aequivalere Indulto, quod alias requireretur ad relaxandam legem. Unde, salvo novo privilegio, nihil moliri potest in maiorem favorem festorum infra hebdomadam occurrentium et quoad solemnitatem translatorum.

Pro Tilburgo. — Quid dicendum de praxi sequenti: 1.° Dominica Palmarum, feria VI Maioris Hebdomadae cantores laici puerique vestibus ecclesiasticis indulti, in presbyterio, oculis fidelium patente, se sistunt ad cantandum Missam, Passionem Domini (partes Synagogae Iudaeorum), etc. 2.° Diebus solemnioribus, modo solemniore Vesperae cantantur ab iisdem sedentibus in sedibus communibus (« stalla » non adsunt) in presbyterio.

Mihi videtur, cantores, etiamsi vestibus clericalibus indutos nunquam in presbyterio, clericis destinato, se sistere posse (Cfr. Motu proprio *De Musica sacra,* Instr. n. 14). Nihil refert quod cantores sunt membra alicuius Congrega-

tionis (Cfr. Martinucci-Menghini, *Manuale sacrar. Caerem.*, vol. I, Appendice ad tit. I, pag. 92. n. 32).

Resp. Instructio, de qua in casu, n. 14, minime aliquid habet, circa exclusionem cantorum a presbyterio, sed notat, eos convenienter superpelliceo, dum cantant, indui debere, et si in *suggesto* locum sumant, clathris abscondi, si nimis pateant oculis fidelium. Martinucci-Menghini autem, excludit Congregationum membra aliosque, clericali habitu non indutos; quinimo in nota dicit, posse recipi ad SS. Functiones membra clero extranea, si veste talari cuiuslibet generis induantur, et superpelliceo utantur. Hinc, salvo recto officii inferiorum clericorum usu, nihil impedit, cantores laicos puerosque, vestibus ecclesiasticis *cum superpelliceo* ornatos, opportunas sustinere partes, etiam in presbyterio.

Habetur ad rem etiam decretum S. R. C., videlicet sub n. 13, quod admittit nimirum inter clericos intonantes et legentes Antiphonas vel Capitula, etc. ipsos homines coniugatos, dummodo clericali habitu incedant.

Scrupulum eiusmodi ceterum deberet extendi et ad pueros seminariorum, qui clericali tonsura ne sunt quidem initiati, quod nescimus an cogitet ipse R. Inquirens.

Quoad sedes autem communes, oportet animadvertere, ut deceant sacrum locum clero destinatum, scilicet presbyterium, exclusis vulgaribus sedibus, quae tolerantur in navi ecclesiae, sed nullimode tolerari queunt prope altare.

Pro Hispania. — I. Iuxta Kalendarium nuperrime a S. R. C. pro hac Dioecesi adprobatum, recolitur die 16 ianuarii festum S. Fulgentii Ep. C. (dupl. mai.) cum commemoratione semiduplicis occurrentis, nempe S. Marcelli I. P. M. Dici potest hac die Missa privata S. Marcelli, iuxta Decretum 28 octobris 1913, IV, 2?

Resp. Affirmative, non iuxta n. 2, sed 3, citati Decreti: « De huiusmodi..... semiduplicibus, quae perpetuo..... impediantur dici poterunt Missae privatae ad libitum sacerdotis, dummodo Officium impediens non fuerit duplex 1 vel 2 cl. ».

II. Die 28 aprilis anni proximi, 1915, occurrunt: Octava

solemnitatis S. Ioseph, de qua fit officium, et festum S. Pauli a Cruce ad instar simplicis commemoratum. In Missa privata, quae iuxta citatum Decretum celebrari potest de hoc festo commemorato, dicitur *Credo* ratione Octavae S. Ioseph?

Resp. Affirmative, iuxta Decretum S. R. C., diei 21 iunii 1912, IV, quod, quamvis sit datum pro festo translato symbolum non admittente, tamen ad rem omnino facit, ob identitatem casus.

III. Inter Sanctos uti proprios a S. R. C. huic Dioecesi concessos, recensentur: S. Fulgentius Ep. C., dup. mai. (16 ianuarii), S. Leander Ep. C., dup. mai. (27 februarii), quibus usque in praesens, uti Ecclesiae Doctoris, Missa *In medio* cum *Credo* assignabatur; et S. Ildephonsus Ep. C. dup. mai. (23 ianuarii) cum eadem Missa, sed sine *Credo*. Cum autem in novissimo Kalendario tres praedicti Sancti appareant sine qualitate Doctorum (S. Ildephonsus tanquam Doctor merito venerabatur, etsi uti talis a S. Sede declaratus non fuerit), quaenam in posterum Missa eisdem adsignanda est?

Resp. S. Rituum Congregatio, uti videre est in principio praecedentis fasciculi, in casu eodem ac qui proponitur, relate tamen ad Officium, respondit, nihil esse innovandum. Standum igitut eidem normae, etiam quoad Missam, cum eadem valeat ratio (Vide l. c. cum Commentario).

IV. S. Isidorus Agricola C., qui die 15 maii colebatur cum qualitate *festi suppressi*, assignatus fuit die qua in Martyrologio inscribitur, nempe 10 eiusdem mensis. An ad eamdem diem censeatur quoque translata eius *feriatio*, quoad effectus concurrentiae et applicationis Missae pro populo?

Resp. Quod liturgicum effectum, concurrentiae, attinet, standum elencho a S. R. C. vulgato, qui praeter notissima festa universalis Ecclesiae non habet nisi Patronos principales Oppidi, Civitatis, Dioecesis, Provinciae et Nationis. Quod vero attinet applicationem pro populo, recurratur ad R.mum Ordinarium.

V. In festis Ecclesiae universalis, quae tamen Officia

propria in Hispania habebant, uti festum SS. Cordis Iesu, Vigilia S. Iacobi Ap., Hispaniae Patroni, et S. Teresiae V. (15 octobris), quodnam Officium adhibendum est in posterum? Quod ad S. Teresiae festum spectat, notandum est eidem concessum non fuisse in Kalendarii dioecesani reformatione ritum *dupl. mai.* qui poscebatur.

Resp. Nihil putamus in casu esse innovandum, servatis tamen novis Rubricis, v. gr. quoad horas minores, etc. iuxta diversos ordines Sanctorum vel Officiorum; attamen consideretur etiam Decretum seu Declaratio circa Officia propria, in principio huius fasciculi evulgatum, de die 24 iunii 1914.

VI. Anno proximo, 1915, Anniversarium ultimi defuncti Episcopi occurrit die Dominica. An eius celebratio in Cathedrali anticipari possit, vel debeat in primam diem non impeditam transferri?

Resp. Ad libitum, prout decernitur pro quibuslibet fidelibus defunctis, iuxta Decretum generale S. R. C., n. 3753, II.

VII. An commemoratio anniversaria Electionis et Consecrationis Episcopi in Missis lectis prohibeatur diebus infra Octavas privilegiatas sub ritu semiduplici?

Resp. Iuxta antiquum ius, certo, negative, Decretum enim n. 3764, II sic se habet: « An Decretum in Ravennaten., diei 18 maii 1883, ad VII et VIII, ita sit intelligendum, ut commemoratio anniversaria... electionis et consecrationis Episcopi in Missis lectis prohibeatur etiam illis diebus, festa duplicia excludentibus, qui tamen orationes imperatas admittunt; ut sunt Dominicae Adventus et Quadragesimae, Feria IV cinerum, et *dies infra octavas privilegiatas sub ritu semiduplici?* Ad II. Negative. Die 6 februarii 1892 ».

Hodie tamen, cum infra octavas privilegiatas, etiamsi ritus sit semiduplex, non admittantur collectae imperatae, respondendum videretur affirmative. Sed falsum est quod supponitur in dubio Ravennaten, collectam scilicet de eiusmondi anniversario aequiparandam osse collectis ordinariis imperatis. Haec quinimo est collecta sui generis, nul-

limode cum ordinariis confundenda; et sane, ex Decreto S. R. C., n. 3078, III, illa non est in arbitrio Episcopi, sed ipso iure *obligat* celebrantes. Ita decretum est, quamvis uti asserebat Merati in Gavanto, in Basilicis Urbanis haec collecta nullimode diceretur. Visum est nihilominus opportunum recursum habere ad S. Sedem, ut exceptionem pro hac collecta admittere vellet; non enim agitur de re arbitrio Episcopi utcumque moderanda, sed de speciali eventu, qui specialem considerationem requirere videtur, et responsum habitum est, ut diximus, in sensu obligationis. M.

Pro Lima. — I. Si pro impositione cuiuscumque scapularis adhibeatur habitus iam praevie benedictus; utrum immediate ante impositione denuo sit ipse benedicendus?

Resp. Negative; benedictio enim scapularis est caeremonia distincta ab impositione: possunt igitur benedici plura scapularia, suo tempore imponenda. Immo, unum idemque scapulare valide pluribus potest per vicem imponi, repetita solummodo super singulis receptionis ac impositionis formula, ita tamen, ut primum scapulare, quod deinceps quilibet adscriptus induere debet, sit benedictum, iuxta S. C. Indulg. decretum (18 aug. 1868).

II. Clerus saecularis limanus utitur officio proprio et peculiari Patronae S. Rosae V. Limanae. Nunc quaeritur, utrum Fratres Minores in archidioecesi commorantes eodem uti debeant officio; an potius conformare se debeant illo quod universus Ordo recitat?

Resp. Uti pluries scripsimus, et iuxta decretum 28 februarii 1914, Regulares conformare se debent in casu officio proprio limanae dioecesis.

III. An officia festorum secundariorum S. P. N. Francisci dupl. mai., v. gr. Translationis Corporis, pro nobis festiva reputanda sint, ac proinde ad Horas minores Psalmi sumendi sint de Dominica?

Resp. Matutinum, laudes et vesperae, ut in die festo celebrantur; horae autem minores et completorium ut in psalterio diei currentis.

Pro Urbe. — I. Nonne Decretum diei 28 febr. 1914 *De festis localibus quae a Religiosis recoli debeant* ità intelligendum est, ut in § 1 : « Ordines Regulares proprium omnino habere debent Kalendarium, *quod pariter adhibendum est a Monialibus et Sororibus eorumdem Ordinum* », comprehendantur *teneri* adhibere Kalendarium Primi Ordinis non tantum Moniales quae iurisdictioni subiacent Praelatorum Primi Ordinis, *sed et quae a Praelatis exemptae, Episcoporum iurisdictioni subduntur?*

Resp. Procul dubio tenentur adhibere calendarium Ordinis etiam moniales illae, quae, licet sint sub iurisdictione externa Episcopi dioecesani, nihilominus sunt revera tamquam filiae Ordinis; a quo regulam sumpserunt, sicuti sunt, ex. gr. Clarissae, relate ad Ordinem Minorum. Legamen subiectionis externae, et legamen regularum sunt separabilia, ita ut, ratione obedientiae et visitationis, Moniales subiiciantur Episcopo, ratione vero regularum, inter quae non est excipienda lex liturgica, subiiciuntur proprio Ordini, cuius constitutiones sequuntur. Igitur, dispositio decreti d. d. 28 februarii elapsi non excludit Moniales Episcoporum iurisdictioni subditas.

II. An verba, quae in § IV ipsius Decreti: « ... *Festa solemniora Patronorum principalium* », se referant ad Patronos principales *Regni,* Provinciae, Dioecesis; vel tantum ad Patronos principales *loci* seu *Civitatis* in quo est Monasterium?

Resp. Verba decreti: « Festa solemniora Patronorum principalium », se referunt ad omnes Patronos vere principales, tam regni, provinciae et dioecesis, quam civitatis aut oppidi, in quo degunt Regulares; dummodo festa istorum omnium Patronorum ex consuetudine celebrentur etiam a Regularibus. Deinceps vero, ubi aliquis novus Patronus detur a S. Sede alicui regno, vel provinciae, vel dioecesi, praeter Patronum loci, Regulares et novum Patronum celebrabunt de praecepto, si in decreto concessionis patronatus Regulares excepti non fuerint, et dummodo iuxta Benedictum XIV etiam ipsi Regulares suffragium emiserint in electione Patroni.

P. P.

Appendix

ad Caeremoniale Parochorum

(Continuatio. Vide n. 7, curr. anni, pagg. 442-447)

4. In expositione demum et benedictione cum Sanctissimo *independenter a quacumque alia functione;* idest cum episcopus cathedralem vel aliam ecclesiam adit, simpliciter ad populum benedicendum, diaconus et subdiaconus tantum episcopo assistere debent absque presbytero assistente; et, in casu, diaconus stolam assumit. Haec est praxis Urbis, cum aliquis cardinalis populum benedicit (Cfr. cl. Favrin, *Praxis solemn. funct. episcop.* Pars II, c. I).

5. Ubi thuriferarius genuflexus se tenet cum episcopo thuribulum exibeat ad thronum vel ante altare, regulariter agit. Cum tamen expositum sit Sanctissimum, thuriferarius, sive canonicis, sive dignitatibus, sive episcopis, stans semper erectus thuribulum ministrat (DD. 2027 [8], 5198 [19]). Ipso summo Pontifice thus in thuribulum immittente (exposito Sanctissimo) minister thuribuli stat.

§ II. — *Summaria praesentis functionis expositio.*

18. 1. Cum Sanctissimum non sit expositum, tunc ante adventum episcopi, per sacerdotem vel diaconum, cotta et stola indutum, praesentibus ceroferariis aliisque ministris, exponitur.

2. Sanctissimo super altaris mensam posito et incensato, clericus aliquis ad altare accedit, et pulvinum ante infimum gradum collocat, debitis genuflexionibus non omissis.

3. In loco principaliori sacristiae faldistorium vel sedes cameralis, cum tapete sub ipsa, paretur.

4. Ante adventum episcopi, ministri paramenta proprii ordinis accipiunt, manipulis seclusis (D. 2528 [1]), et clerici superpellicea, minister mitrae etiam vimpam.

5. Episcopus, capellanis comitantibus, sacristiam ingreditur; et facta debita imagini reverentia, in faldistorio, terga vertens imagini principali, sedit, medius inter ministros paratos.

6. Ad nutum caeremoniarii, clerici vestimenta episcopalia accipiunt, et diacono deferunt, non omissis debitis reverentiis.

7. Suo tempore, episcopus deponit biretum. et stans exuit mantelletum, deinde sedet, et ubi adest consuetudo, ministrantibus familiaribus lavat manus; rubrica tamen de hac lotione nullum verbum facit.

8. Episcopus, induitur amictu, alba, cingulo, cruce pectorali, stola, pluviali et mitra pretiosa; et omnibus necessariis paratis, caeremoniarius signum exeundi praebet, hoc ordine:

a) thuriferarius cum thuribulo et navicula; *b*) ceroferarii cum intorticiis; *c*) sacerdos vel diaconus expositor ad dexteram caeremoniarii; *d*) episcopus cum baculo, inter diaconum et subdiaconum, fimbrias pluvialis elevantes; *e*) caudatarius; *f*) ministri mitrae, baculi, candelae et libri.

9. Ministri, simul ac in conspectum ss. Sacramenti pervenerint, caput detegunt. Diaconus mitram et pileolum episcopo aufert, et porrigit ministro de officio.

10. Proceditur deinde, eundem ordinem servando, usque ad altare, ubi genuflectunt omnes utroque genu in plano, cum mediocri reverentia; deinde omnes surgunt, et proprio loco genuflexi manent hunc ordinem retinendo:

Caeremoniarius (1) - Subdiaconus - Episcopus - Diaconus - Expositor.
Acolythus - Caudatarius - Thuriferarius - Acolythus
Minister mitrae - Minister libri - Minister candelae - Minister baculi.

11. Sanctissimum hoc tempore non incensatur, iuxta praescriptum S. R. C. (D. 4202[1]). Interim dum ab omnibus oratio ad Sacramentum effunditur, cantores laudabiliter aliquam laudem canent, puta *O salutaris Hostia — Ave, verum — O sacrum convivium — Pange, lingua* etc.

12. Post laudis cantum, intonatur hymnus *Tantum ergo*. Ad verba *Veneremur cernui,* omnes mediocriter se inclinant; et ad nutum caeremoniarii, praemissa mediocri inclinatione, episcopus, ministri sacri et thuriferarius assurgunt. Thuriferarius ad diaconum accedit, et thuribulum episcopo praesentat, qui aliquantulum se retrahens ad cornu evangelii, facie versa ad cornu epistolae, ter incensum in thuribulum imponit, nil dicens, nec benedicens. Thuriferarius naviculam sine osculis diacono praebet, et subdiaconus fimbriam dexteram pluvialis interim elevat.

(1) Si expositoris officio caeremoniarius etiam fungit, ad cornu epistolae sistet.

13. Incenso ministrato, iterum genuflectunt; et post verba *Genitori Genitoque* episcopus thuribulum a diacono accipit, et triplici ductu ss. Sacramentum, cum mediocri inclinatione ante et post, adolet, ministris fimbrias pluvialis interim elevantibus.

14. Versiculo *Panem de coelo* a duobus clericis, iuxta rituale romanum (tit. IX, c. V, n. 2), cantato, minister libri eum diacono praebet, et minister candelae ad episcopum accedit, qui sine ulla inclinatione surgit, et manibus iunctis, ex libro quem ministri sustentant, genuflexi, orationem vel orationes, iuxta praescriptiones antea allatas, sub brevi conclusione cantat.

15. Caeremoniarius diacono velum humerale porrigit, diaconus vero illud episcopo imponit, et subdiaconus ante pectus ligat. Presbyter autem expositor, si ob consuetudinem haud laudabilem, Sanctissimum super thronum antea collocavit, accepta stola, quam osculari potest, si adsit consuetudo, ascendit suppedaneum, et ostensorium cum debitis genuflexionibus super mensam ponit, et descendit.

16. Absque inclinatione, episcopus cum sacris ministris assurgens, suppedaneum cum diacono conscendit, subdiaconus vero in gradu suppedaneo proximiori perstat.

17. Diaconus, facta cum episcopo genuflexione, eidem stans ostensorium tradit, et velo super manus episcopi accommodato, descendit, et ipse et subdiaconus in ora suppedanei genuflexi, praemissa capitis inclinatione, fimbrias pluvialis in actu benedictionis sustinent, aspicientes, si commode possunt, Sacramentum.

18. Episcopus, accepto ostensorio, manibus coopertis veli extremitatibus, convertit se ad populum, illumque ter benedicit, nil dicens.

19. Benedictione impertita, diaconus surgit, et stans, ostensorium ab episcopo recipit, et super altare ponit; tunc repetita ab utroque in suppedaneo genuflexione, et a subdiacono in suppedanei ora, simul in planum descendunt.

20. Subdiaconus episcopo velum humerale aufert, et caeremoniario tradit, qui suo loco explicatum reponit.

21. Ut est in more, laus *Dio sia benedetto* italice vel quocumque alio idiomate recitatur; et interim presbyter exspositor, assumpta iterum stola, ad suppedaneum ascendit, et ss. Sacramentum in tabernaculum recondit.

22. Clauso tabernaculo, omnes surgunt; minister mitrae ad episcopum accedit, cui diaconus, praemissa ab omnibus altari genuflexione, pileolum et mitram imponit.

23. Caeremoniarius bireta ministris tradit, et processionaliter in sacrarium omnes recedunt, eodem ordine quo egressi fuerant.

FINIS.

BIBLIOGRAPHIA

Pr. A. M. MICHELETTI. — **Ius Planum.** — Synopsis ad Acta et Decreta a Pio P. X lata vel a SS. Congr., Off. ac Trib. promulgata. Aug. Taur. Sumptibus ac Typis Eq. P. Marietti MCMXIV. — Pret. L. 15.

Hoc opus, quod Eques P. Marietti, Typ. Pontificius, sapienti sane consilio nuper in commodum Cleri edidit, plurimae Ephemerides laudibus extulerunt. Et merito, quia ad hoc concinnatum est ut singulis ad quos pertinet praesto esset veluti Promptuarium et Collectio universae canonicae legislationis primi decennii Pontificatus Pii P. X, et etiam quia propositum suum Clar. Auctor egregie assecutus est.

Ad pleniorem promptioremque documentorum, quae in suo ponderoso Volumine Auct. collegit, intelligentiam, eorum copiam in quatuor Partes inter se coniunctas divisit.

1ae Partis (Synopsis Chronologica et argumentorum) finis praecipuus est « ut quo tempore unumquodque Actum editum fuerit, eiusque Argumentum primo veluti obtutu lectori innotescat ».

2a Pars (in qua nucleus et robur totius operis consistit) compendiariam simul et copiosam Synopsim Analitico-Syntheticam « eorum omnium quae Documentis in 1a Parte recensitis instituta et dispositiones continentur suppeditat ».

3a demum Pars et 4a (Syn. Alphabetica et Syn. gentium, locorum ac personarum) praedictas tamquam necessarium complementum subsequuntur.

Ex his, quae de eo summatim attigimus, patet quam dignum sit commendatione hoc opus, cui invictus a labore Auctor (post alia plurima de re paedagogica et morali ad Clerum) mira patientia et sensu incubuit.

MONS. A. ZANECCHIA-GINNETTI, de' Carmelitani Scalzi, Vescovo di Teramo. — **La Novissima riforma del breviario,** ossia il Motu proprio « Abhinc duos annos » e il decreto « Cum SS. Dominus noster », volgarizzati e commentati. L. 1,00.

PROPRIETAS LITERARIA

IMPRIMATUR

Fr. ALBERTUS LEPIDI O. P., S. P. A. Magister.

IMPRIMATUR

FRANCISCUS FABERJ, Vicariatus Urbis *Adsessor*.

AUGUSTUS ZUCCONI, Director Domus editricis Desclée et Soc., Romae, *Sponsor*.

Ex Officina Polygraphica Latiali, Fratrum Tempesta, Via Boccaccio, 7 - Roma

ANNO · DOMINI · M · D · CCCC · XIV.

IN · FESTO · NATIVITATIS · B. · MARIAE · VIRGINIS

BENEDICTO · XV · PONT. · OPT. · MAX.

QUI · DECIMIQUINTI · BENEDICTI · NOMINE · SPLENDES
VIVE · DIU · VALIDA · VIRGINIS · AUCTUS · OPE

HUIUS · EPHEMERIDIS · MODERATOR · PROSPERA · VOTA
EXPRIMIT · HISCE · SACRIS · QUOTQUE · VACANT · STUDIIS

HAEC · DECIMUSQUARTUS · BENEDICTUS · FOVIT · ABUNDE
HAEC · DUCE · TE · SERVENT · PRISTINI · HONORIS · ITER

B. VERGHETTI
SS. RR. C. Hymnographus

ANNO DOMINI MCMXIV. XIII. KALENDAS SEPT.

DIE DORMITIONIS IN CHRISTO

PII PAPAE X

HYMNUS ACROSTICHUS

Praeclara lux, qua nobilis
Ceu Ductor, Arcem Coelitum
Victor petivit inclitus,
PIUS Supremus Pontifex,

Iesuque voces audiit
Regis Sacerdotum : Veni,
Functus meo qui munere,
Rector fuisti Ecclesiae!

Ut strenuus perenniter
Vindex fuisti Dogmatum!
Veni, tuaeque praemium
Capesse fortitudinis!

Suprema coeli limina.
Virtutibus clarissimus,
Qui divi amoris ignibus
Desiderabas scandere;

Partem mei iam gaudii,
Inter sacerdotum choros,
Habe, sedeque iugiter,
Dives superna gloria.

Memento, Christe, ut excites
Tales per Orbem Praesules,
Qui illuminent Ecclesiam,
Ovesque pascant creditas.

B. VERGHETTI
SS. RR. C. Hymnographus.

IN FUNERE SANCTISSIMI PONTIFICIS PII X

Luctus christiani Orbis in morte Summi Pontificis Pii X, universalis fuit; non tantum homines bene morati, sed et inimici contra Religionem, in decessu santissimi Viri, verba protulerunt admirationis plena circa virtutes eius, ac praesertim pro sua modestia et humilitate, ac pro sua effusa in pauperes charitate.

Is, uti legitur, in elogio, quod simul cum sacro suo corpore in sepulchro depositum est, " IV Nonas Junias anno MDCCCXXXV in oppidulo Tarvisinae dioecesis Riese natus est, parentibus tenuioris quidem fortunae, sed antiquae virtutis, Ioanne Baptista Sarto et Margarita Sanson, eique ad Fontem salutaris Lavacri imposita sunt nomina Iosephus Melchior ".

" Adolescens acri ingenio optimaque indole sancte institutus probeque eruditus ad sacerdotium, munus curionis mature suscepit, diu cum laude fructuosae diligentiae administravit. Anno MDCCCLXXX episcopus Mantuanus factus, nono anno post pater cardinalis et patriarcha Venetiarum. Pridie Nonas Augusti a. MDCCCCIII universae Ecclesiae praepositus, accepto Pii X nomine, sollertiam pastoralem, usu rerum in omni genere expolitam, ad Cathedram beati Petri attulit ".

" Sacricolas praecipuis curis complexus, seminaria Italiae congruenter temporibus ordinavit, disciplinam Thomae Aquinatis impense promovit, studiis Rei Biblicae provehendis Athenaeum in Urbe instituit, re-

ctam rationem de rebus divinis concionandi praescripsit, clerum catholicum ad sui ordinis officia servanda diligenter cohortatus est „.

" Sempiternae populorum salutis perstudiosus, de christiana doctrina rite tradenda praecepit, sanctissimae Eucharistiae cultum usumque frequentem fovit, eiusdem pueris copiam maturiorem fecit „.

Decorem domus Dei in primis dilexit, maiestati sacrorum artem musicam convenienter iussit; et antiquas melodias pulcherrimas gregorianas, in Graduali S. R. E. restituit; Breviarium Romanum reformavit, volens ut Clerus totius Orbis, psalterium davidicum in termino unius hebdomadae denuo, iuxta Patrum traditionem, iugiter recitaret: pristinum honorem Officiis et Missis de Tempore, Dominicis diebus, lectioni Sacrae Scripturae cum suis Responsoriis restituit, prout erat in votis doctorum maioris notae, tam ex antiquis, quam ex recentioribus.

" Vindex catholicae fidei, recentiorum errores qui vel obedientiam Ecclesiae debitam everterent vel ad ipsam Ecclesiam funditus convellendam spectarent, vigilanter detexit, damnavit. Leges de civitatibus ab Ecclesia separandis reiecit „.

" Eius providentiam illa quoque illustrant, sacra Romanae Curiae Consilia et Officia aptius constituta, Urbis paroeciae aequabilius distributae auctaeque, decretum de vulgata Bibliorum versione emendanda, item de legibus Ecclesiae in unum codicem redigendis „.

" Denique ab eo proposito, quod in Pontificatu maximo ineundo susceperat, instaurandi omnia in Christo, numquam cessavit „.

De sancto Pio X recte dici potest, quod non in una tantum alteraque re versatus fuerit, sed nullum fuit sacerdotii munus, in quo non praebuerit praeclara exempla virtutum, ac zeli apostolici testimonia.

Auctus quippe sacerdotio, ad quod attulerat eas virtutis et doctrinae opes, quas uberrime sibi comparaverat in Seminario Patavino, uti acta Scholarum et regesta adhuc testantur, muneribus omnibus perfunctus est, ab infimis usque ad summa, ad quae ecclesiastici viri vocari possunt.

Oppidi Tumboli Parochi vices gerens; Salzani Curio; Tarvisii Canonicus cathedralis, Magister pietatis alumnorum seminarii, Cancellarius episcopalis, et Vicarius capitularis; Mantuae Episcopus; Venetiis Patriarcha ac Cardinalis, et tandem Summus Pontifex, semper constanterque pietatis, doctrinae, et prudentiae in rebus agendis documenta insigna praestitit.

Statim ac summi Pontificatus apicem adeptus est summa cum sua reluctantia, illico sentiit se esse in primis Episcopum Urbis Romae. Ideoque, cum praecipuum munus episcopi sit Visitatio suae dioecesis, eam faciendam curavit; opportuna edicta ac decreta ad rem publici iuris fecit: quod ab anno 1824 numquam factum fuerat. Neque de hoc satis, quia ecclesiam suam romanam inter tot ac tantas sollicitudines omnium ecclesiarum nunquam oblitus est.

Seminarium a fundamentis excitavit, studia clericorum promovit et ordinavit, ecclesias parochiales plurimas tam in Urbe quam in agro romano, non tantum refecit ac ditavit, sed ex novo construxit. Christianam doctrinam pueris tradendam, et sermones

parochiales ad populum usu obsoletos restituit. Curiam Vicariatus iuxta mutatas temporum et aucti incolarum numeri exigentias meliori modo coordinavit, eique ampliorem ac decentiorem sedem donavit.

" Sanctitudini muneris apostolici admodum fuit huius Pontificis vita consentanea; ceteris vero virtutibus modestia quae admirationem efficiebat, caritas quae omnium capiebat animos, praestitere „.

Quod si de piissimo isto Pontifice causa beatificationis promovenda foret, uti plures scriptores nostrates et exteri iam innuerunt, antequam de virtutibus in genere et in specie, agatur in processu, nullum ex obstaculis de quibus scribit Benedictus XIV (De Canoniz. Ss. lib. 3) circa munera tum episcopi, tum Summi Pontificis, an scilicet recte ac rite iis perfuntus fuerit, proponi poterit, prout multis in causis piorum Episcoporum et Pontificum factum est, testante eodem Lambertinio.

XII cal. sept. anno MDCCCCXIV placido exitu decessit; inde luctus et moeror orbis catholici.

Vixit an. LXXIX, m. II, d. XVIII.

Vale, Pater sanctissime, et vive aeternum in pace.

Acta Sanctae Sedis
sacram Liturgiam spectantia.

SACRA CONGREGATIO RITUUM

I.
DUBIUM
circa festa localia pro Regularibus.

Exquisitum est a Sacra Rituum Congregatione: Utrum festa, quae in Kalendario universalis Ecclesiae sub ritu duplici secundae classis cum octava simplici inscribuntur, et in aliquibus locis sint etiam Festa praecipua de Sanctis patronis locorum vel titularibus ecclesiarum cathedralium, a Regularibus proprium Kalendarium habentibus inibi celebrari debeant cum octava communi, sicut a clero saeculari?

Et sacra eadem Congregatio, audito specialis Commissionis suffragio, praepositae quaestioni ita rescribendum censuit: Negative; sed post diem festum servetur quoad octavam Kalendarium Ecclesiae universalis.

Atque ita rescripsit ac servari mandavit, die 8 iulii 1914.

Fr. S. Card. MARTINELLI, *Praefectus.*

L. ✠ S.

† Petrus La Fontaine, Ep. Charystien., *Secret.*

Commentarium.

Mens est, hodie, apostolicae Sedis, ut maxima sit uniformitas, in psallendo, cum Ecclesia universali; et numero octavarum redacto, ne saepius idem repetatur Officium, neve ob lectiones trium nocturnorum prolixius evadat; hoc responso, impedivit quominus, peculiari in casu, a rubricis nondum considerato, his normis derogaretur. Evenit ita, ut novus typus exoriretur festi cum octava; octava videlicet simplex, hodie non modo dari potest pro festo ritus duplicis II classis, sed etiam pro festo duplici I classis, esto per accidens. Necessaria fuit haec declaratio, quia, ut diximus in hisce Ephemeridibus, nemini tunc licebat, proprio marte, eiusmodi novitatem inducere, sed recurrendum ad S. Sedem (mense aug. pag. 494, in cap.), quia, ut ratiocinabamur, octava sequi debet naturam festi; atqui, si festo duplici I classis debetur octava, haec debet esse communis, nullum enim duplex I classis octava gaudet simplici; ergo, ob Titulum vel Patronum, etiam pro Regularibus proprium Calendarium habentibus, quamvis in Ecclesia universali octava alicuius festi II classis, sit simplex, in casu evectionis ad superiorem ritum, fit communis. Oppositores huius sententiae (Vide Ephem. mens. iulii, pag. 415) aiebant: habentur festa duplicia I classis sine octava, ergo possunt haberi cum octava simplici; respondemus: possunt, ex voluntate Superiorum, concedo; auctoritate privata, nego. Et addebant: non sunt imponenda nova onera, et quidem in casu multa essent; respondemus: non imponimus onera, sed interpretamur ad normam vigentis legis. Ceterum, tunc, in dubio erat libertas; nunc recursus ad S. Sedem factus est, et haec, opportunius duxit tueri normas uniformitatis cum Ecclesia universali, et minoris oneris pro Regularibus, ac declaravit bene stare posse duplex I classis cum octava simplici.

Validum argumentum pro nostra sententia praestabat decretum S. R. C., diei 24 ianuarii 1908, n. 4212, quo *Credo* dicendum est etiam per octavam Patroni vel Titularis a Regularibus, qui etsi horum octavam celebrare non debent, ratione patronatus vel tituli, eam tamen celebrant alio titulo, qui non dat *Credo:* symbolum datur ratione patronatus; ergo, quia Patronus non habet qua talis octavam apud Regulares, non debet habere symbolum in octava, quam hi habent communem cum

iis qui non habent symbolum; hoc non obstante S. R. C. decrevit sic debere continuari, uti inceptum est: octava habetur, et est octava Patroni; octava incipit in festo cum privilegio Patronorum, id est cum *Credo;* ita continuari debet. A pari in casu nostro: octava habetur et est octava Patroni; octava incipit cum privilegio Patronorum, id est cum ritu duplici I classis; ita continuari debet, uti in aliis duplicibus I classis, cum octava scilicet communi.

Restat igitur, quod S. C. imminuere voluit gravamen Regularibus, maluit maiorem uniformitatem cum Ecclesia universali, et admisit duplicia I cl. cum octava simplici.

M.

NOTA. — Eximius adlaborator noster I. B. Menghini in hoc suo commentario, licet accipiat dispositionem huius decreti, nihilominus redit ad argumenta quibus ipse innixus sententiam suam defenderat; argumenta quae Ephemerid. Nostrae iam diluerant. Gaudemus autem quod S. R. C. cui rationes hinc inde a tutoribus utriusque sententiae productae fuerunt, exagitavit, et sententiae Ephemer. Liturg. probavit. Igitur lectores nostri qui forsan a specie argumenti a cl. Menghini adhuc relati circa Credo dicendum per Octavam Patroni etiam a Regularibus, capiuntur, videant solutionem in nostri Ephemerid. (mense Julio elapso pag. 415). Ceterum quid quid sit de anteacta quaestionis tractatione, nunc Sacrum Tribunal locutus est, ideoque argumenta in contrarium inopportune producuntur.

DIRECTIO.

II.

ALTERUM DECRETUM SEU DECLARATIO

super insuetus cultus titulos.

Edito decreto S. R. C. die 28 martii 1914 « De insuetis cultus titulis », Subdirector generalis Consociationis, quam vocant a Corde Iesu eucharistico, opportunum putavit, secretis litteris significare multis R.mis locorum Ordinariis nonnulla circa interpretationem ipsius decreti, non adeo veritati innixa, et quae facile confusionem ingerunt. Quod quum ad aures SS.mi D.ni nostri Pii Papae X pervenerit, de cuius mandato decretum una cum altero S. Officii, diei 27 maii 1891, evulgatum fuerat, earumque litterarum

tenorem ipse noverit, agendi rationem praedicti Subdirectoris eiusque incongruum zelum improbans, ad omnem ambiguitatem praecavendam, quae ex illis secretis litteris oriri poterit, haec quae sequuntur publicari iussit:

I. Decretum S. R. C. diei 28 martii 1914 iterum confirmari cum sententia: *In decisis et amplius.*

II. Titulum « Cordis Iesu eucharistici » permitti tantum posse in approbatis sub eo titulo Confraternitatibus; dummodo idem hoc sensu accipiatur quo intelligitur sacratissimum Cor Iesu prouti praesens est in Ss.mo Eucharistiae Sacramento.

III. Quum vero eiusmodi titulus non sit canonicus et liturgicus, immo novitatem sapiat, numquam eum esse recognoscendum et admittendum in sacra Liturgia.

IV. Confraternitates autem quae eo titulo nuncupantur, nullum aliud festum tamquam proprium celebrare posse, nisi festum sacratissimi Cordis Iesu cum Ecclesia universali, vel festum SS.mi Corporis Christi.

Contrariis non obstantibus quibuscumque, etiam speciali mentione dignis. Die 15 iulii 1914.

Fr. S. Card. MARTINELLI, *Praefectus.*

L. ✠ S.

† PETRUS LA FONTAINE, Ep. Charystien., *Secret.*

Commentarium.

I. Quod substantiam attinet huius decreti, in hoc primo numero indicatam, superfluum est aliquid addere iis quae exposuimus in fasciculo praeteriti mensis; insuper, notum est quid in iure canonico significet locutio: *in decisis,* et quidem cum addito *et amplius.*

II. Ex decreto diei 28 martii 1914, poterat, veluti consectarium, deduci, quod, sicuti nequit ecclesia dedicari SS. Cordi Iesu Eucharistico, ita neque possit Sodalitas aliqua canonice sub eodem titulo institui, quae vero institutae fuerint, oporteat alio titulo, vel simpliciter a S. Corde Iesu, nuncupari. Id noluit S. C. absolute declarare, sed edixit, *permitti posse* Sodalitates seu Confraternitates istius tituli; ex quo colligitur, hanc esse meram tolerantiam, et melius fore, ut titulus immutetur, quod evidentius erit, si consideretur sequentis paragraphi tenor. Excluditur autem alius quilibet sensus istius appellationis, qui non congruat cum declarationibus S. Sedis.

III. Confirmat haec paragraphus quod diximus supra, de eiusmodi titulo qui datur Confraternitatibus: esto quod Confraternitas titulum liturgicum non sibi vindicat, esto quod Confraternitas, quamvis dicatur canonice erecta, non sit tamen canonicum, strictiori, sensu, institutum, ex quo deducitur nihil nocere sensui Ecclesiae; remanet tamen sententia huius paragraphi: *hic titulus novitatem sapit,* eam novitatem, a qua Ecclesia abhorret; ergo expedit ut neque detur Confraternitati. Firmum porro manet, huiusmodi titulum numquam esse recognoscendum, scilicet, directe approbandum, et in sacra Liturgia admittendum.

IV. Consectarium eorum, quae antea, in decreto, dicta sunt, hoc est: non posse ab eiusmodi Sodalitatibus festum recoli, quod sub titulo Ss. Cordis Iesu Eucharistici enuncietur; erit festum proprium talium Confraternitatum vel festum SS. Cordis Iesu, prout ab Ecclesia universa recolitur, vel festum SS. Corporis Christi.

Expositio Rubricarum.

COMMENTARIUM
in novissimas Rubricas iuxta Motu proprio S. Mem. Pii Pp. X "Ab hinc duos annos" et subsequens S. R. C. Decretum 28 Octobris 1913 emendatas.

(Continuatio. Vide num. 8 curr. anni, pagg. 470-488).

DUAE TABELLAE (93)

ex Rubricis generalibus breviarii et ex Rubricis iuxta constitutionem « Divino afflatu » reformatis excerptae, in quarum prima statim videri poterit de quo celebrandum erit Officium, si plura eodem die Festa vel Officia sive perpetuo sive accidentaliter occurrant; in altera vero, quomodo Officium praecedens concurrat in Vesperis cum Officio sequentis diei.

In alterutra Tabella hoc ordine reperietur quod quaeritur:

Primum inveniatur numerus positus in quadrangulo illo, in quo Officia, de quibus est controversia, sibi invicem occurrunt; deinde legatur regula iuxta dictum numerum descripta, et ex ea clare videbitur quid sit agendum.

Exempli gratia: Quadrangulum, in quo sibi invicem occurrunt, in prima Tabella, Duplex I classis, et Dominica I classis, erit quod invenitur ultimo loco in eadem linea in qua inscribitur Duplex I classis, in quo signatus est numerus 6, quia si ad ipsum quadrangu-

lum tam Duplex I classis quam Dominica I classis ex eorum locis recto tramite pergerent, in eo sibi invicem occurrerent. Regula autem iuxta dictum numerum 6 apposita sic habet:

6 *Officium de secundo, Translatio de primo*. Id est Officium fiat de Dominica I classis, et Duplex I classis transferatur iuxta Rubricas: quia cum in his regulis dicitur de primo, seu praecedenti, intelligitur de Festo vel Officio in superiori parte Tabellae apposito, ut Duplex praedictum: cum de secundo, vel sequenti, de Officio in inferiori parte sub numeris apposito, ut Dominica praedicta (94).

In aliquibus autem quadrangulis positus est o, quia nullus occursus aut concursus esse potest inter Officia simul ad idem quadrangulum occurrentia (95).

(93) In breviario s. Pii duae positae sunt tabellae, pro occurrentia una et pro concurrentia altera, et duae semper fuerunt in breviariis, etiam sub Leone xiij, quando Pontifex iste translationes accidentales abstulit duplicium; tunc enim tres procul dubio componi debuissent tabellae, duae pro occurrentia et una pro concurrentia.

Et ita quidem factum fuerat post emendationes rubricarum ad normam bullae « Divino afflatu », et nos ipsi id propugnavimus, et commentarium confecimus *in Tres Tabellas,* quae vulgatae fuerunt per S. R. C. decretum d.d. 23 ianuarii anno 1912. In quo commentario sequentia scripsimus, ad tabellas quod attinet.

« Quando, ut diximus, Leo xiij abrogavit translationem accidentalem duplicium minorum et semiduplicium, tabella occurrentiae iam omnibus casibus aptari non poterat; emendata quidem fuit anno 1884, attamen, emendatio perfecta non evasit, quia, qui eam confecit, providit tantummodo pro occurrentiis accidentalibus, non vero pro perpetuis ».

« En casus: die 22 iunii, per recens decretum Ss. D. N. Papae Pii x. celebrandum est novum festum s. Paulini episc.; in loco tamen C. ea die celebratur festum s. Albani martyris, Titularis. ritu suo duplici I classis. Parochus illius loci, ut sciat quid sit agendum de s. Paulino, inspicit tabellam breviarii: *Si occurrat eodem die Duplex I classis* (Titularis) *et duplex minus* (s. Paulinus), in quadrangulo, in quo sibi occurrunt duo dicta festa, invenit numerum 6, qui regulam indicat: *Officium de primo* (Titulari) *nihil de secundo* (s. Paulino). Si occurrentia esset accidentalis, puta si Titularis celebraretur in dominica aliqua, procul dubio iusta esset; cum vero agatur de occurrentia perpetua, ut omnes norunt, duplex minus alia die reponendum est. Similiter, pone omnes casus occurrentiae duplicis minoris per annum et semiduplicis, et sub numeris 3, 4, 6, 7 et 8, regulas invenies, quae pro accidentalibus valent, non vero pro perpetuis ».

« Ad vitandos huiusmodi errores in constructione tabellae, quoniam unica pro occurrentiis accidentalibus et perpetuis poterat quidem construi, nos ipsi in citata nostra Expositione rubricarum unam confecimus; sed, cum, ut omnes casus comprehendi possent, nimis prolixa fieri deberet, in hac nova rubricarum reformatione, melius consultum est, ut duae fierent tabellae, pro perpetuis occurrentiis una, pro accidentalibus altera, sicut nos ipsi proposuimus ».

Haec scripsimus anno 1912; nunc vero post abrogationem repositionis quoque perpetuae duplicium maiorum et minorum, nec non semiduplicium, regulae Translationis tam accidentalis quam perpetuae, omnino sunt aequales, ideoque nunc eadem tabella iuservire potest pro utraque occurrentia; itaque duae tantum tabellae in breviario typico denuo editae fuerunt.

(94) *In alterutra tabella hoc ordine reperietur quod quaeritur: etc.* Methodus pro inveniendis regulis, tum occurrentiae, tum concurrentiae, eadem est ac illa, quae in antiquis tabellis proponitur; mutatum hic fuit tantummodo exemplum demonstrativum.

Scilicet inspiciatur in tabella numerus, qui invenitur in quadrangulo, in quo sibi invicem occurrunt, recto tramite, duo festa de quibus quaeritur, et numerus ipse indicabit regulam sequendam. Sunt casus speciales tum concurrentiae, tum occurrentiae, sed quia singulares sunt, vel quia breviter exprimi nequit regula, in tabella non sunt inscripti. Ex. gr. quando occurrunt duo festa Domini, providetur post ipsas tabellas ut infra videbimus per notanda specialia.

(95) In aliquibus quadrangulis nullus numerus positus fuit, sed signum o, quod etiam in antiquis tabellis habebatur; attamen hodie signum ipsum, indicat tantummodo impossibilem esse casum propositum. Ex. gr. in tabella occurrentiae si quaeres, quid sit agendum: si occurrat eodem die *vigilia*, et *dies infra octavam iij ordinis*, invenies in quadrangulo, in quo sibi invicem occurrunt praedicta officia, signum o; et revera impossibile est, quod eadem die occurrant, nam octavae iij ordinis sunt octavae Nativitatis et Ascensionis, quibus temporibus vigiliae, etiam particulares non habentur. Antea, uti legitur hoc loco in breviario, signum o, indicabat etiam, quod in propriis locis adnotabatur, quid esset agendum; attamen in praxi huiusmodi indicatio parum valebat; hinc, si aliquid excipiendum sit a regulis generalibus diversum, in notandis post tabellas merito ponitur.

Scire tamen oportet, quae sint Dominicae et Feriae maiores, quae Vigiliae privilegiatae, et quae Duplicia I et II classis et maiora, tam Primaria quam Secundaria; sicut et quae Officia, ad effectum tit. II, n. 1 superiorum Rubricarum, cum Feriatione vel cum Octava celebrentur (96).

(96) In conspectu officiorum, quae hic ante tabellas proponuntur, ordinatim et rectius disposito quam in aliis editionibus breviarii, iuxta cuiusvis officii nobilitatem, traduntur *Dominicae maiores, Feriae maiores, Vigiliae privilegiatae, Du-*

plicia I classis, Duplicia maiora, Festa feriata et Festa cum octava. Hoc opportunissime factum est, eo quod, iuxta novissimas rubricas, criteria praelationis sunt prae oculis habenda, ut facilius dignoscatur, quid sit agendum in occurrentia vel in concurrentia simultanea duorum officiorum.

DOMINICAE MAIORES (97)

dividuntur in duas classes:

Dominicae I classis

quae in occurrentia, etiam accidentali, Festis quibuslibet praeferuntur:

Prima Adventus
Prima Quadragesimae
Secunda Quadragesimae
Tertia Quadragesimae
Quarta Quadragesimae (98)
Passionis
Palmarum
Paschatis
In Albis
Pentecostes.

Dominicae II classis

quae in occurrentia accidentali Festis quibuslibet praeferuntur, praeterquam Duplicibus I classis:

Secunda Adventus
Tertia Adventus
Quarta Adventus
Septuagesimae
Sexagesimae
Quinquagesimae.

(97) In Breviario s. Pii v ponuntur festa *duplicia primae classis,* ante dominicas maiores, in novis vero tabellis

primo ponuntur *dominicae* (ideoque et *feriae maiores*) et postea festa. Ratio huius variationis, quae tamen substantialis non est, sita est in eo, quod dominicae primae classis nobiliores sunt, quam nonnulla duplicia primae classis; item dicatur de feriis maioribus privilegiatis: igitur ordo officiorum, quae nunc habentur ante tres novas tabellas. procedit a nobilioribus ad minus nobiles.

Quod autem attinet ad dominicas maiores, antea hanc parvam rubricam prae se ferebant: *Quae numquam omittuntur:* at pro dominicis secundae classis: *Quae non omittuntur, nisi occurrente duplici primae classis: et tunc de iis fit commemoratio in uirisque vesperis et laudibus.*

Nunc vero rectius inscriptum fuit: pro dominicis I classis *quae, in occurrentia etiam accidentali, festis quibuslibet praeferuntur, praeterquam duplicibus I classis.* Dicitur autem utroque in casu, quod praeferuntur in occurrentia accidentali, eo quod perpetua occurrentia in dominica non amplius dari potest, ut supra titulo iv et v dictum est.

(98) Inter dominicas I classis, ex voluntate Summi Pontificis inscriptae fuerunt etiam dominicae ij, iij et iv Quadragesimae, vide notam 46.

Expuncta est e contra dominica Trinitatis, quia festum eius sub ritu I classis nunc recolitur, ac proinde, cum sit festum Domini primarium, ad totam ecclesiam extensum, praefertur cuilibet festo particulari.

Poterat quidem, nostro iudicio, etiam adhuc inscribi inter istas dominicas, sicut inscribitur festum Paschatis et Pentecostes, attamen cum ritus I classis afficiat festum Ss. Trinitatis et non ipsam dominicam: et cum dominica I post Pentecosten admittat festum istud, de ea dici nequiret quod *praefertur cuilibet festo,* eo quod officium dominicae locum cedit ipsi festo Trinitatis. Voluissent ergo aliqui, ad hoc ut dominica ista inter dominicas I classis adservaretur, quod de ipsa nulla commemoratio amplius fieret, sicut in Paschate; cum tamen huiusmodi commemorationem omittere nefas fuisset, saltem usque dum aliter disponatur circa

ordinem evangeliorum, ne exceptio fieret, correctores rubricarum melius putarunt, ut ex dominicis I classis expungeretur.

In praxi nullum discrimen habetur, inter praecedentem et praesentem legem, circa festum Ss. Trinitatis; antea cuilibet festo praeferebatur, quia dominica I classis, nunc praefertur, quia duplex I classis primarium universalis ecclesiae. Vide tamen, quae ad rem scripsimus in Commentario in tres Tabellas (nota 11), ubi probavimus multis argumentis, quod dominica ista, inter illas, quae sunt I classis retinenda erat, non ratione festivitatis Ss. Trinitatis, sed ratione dominicae, quae est octava Pentecostes.

FERIAE MAIORES (99)

dividuntur in duas classes:

Feriae privilegiatae

quae in occurrentia Festis quibuslibet praeferuntur:

Quarta Cinerum
Secunda Maioris Hebdomadae
Tertia Maioris Hebdomadae
Quarta Maioris Hebdomadae

Feriae non privilegiatae

quae in occurrentia Fests tantum Simplicibus praeferuntur:

Adventus
Quadragesimae
Quatuor Temporum Septembris
Secunda Rogationum.

(99) Feriae maiores in duas classes divisae opportune fuerunt; ad primam pertinent feriae, quae nunquam omittuntur, quodcumque occurrat festum, nempe feria iv cinerum, ij, iij et iv maioris hebdomadae; ad alteram pertinent feriae, quarum saltem commemoratio in quibusvis festis fieri

debet. Ne tamen vox *classis* nimis in ordine officiorum usurpetur, visum est potius, ut illae primae dicerentur feriae maiores privilegiatae (numquam enim omittuntur), reliquae feriae maiores non privilegiatae, eo quod earum officium a festis novem lectionum impediri potest.

VIGILIAE PRIVILEGIATAE (100)

item dividuntur in duas classes:

Vigiliae I classis

quae in occurentia Festis quibuslibet praeferuntur:

Vigilia Nativitatis Domini
Vigilia Pentecostes

Vigilia II classis

quae in occurrentia praefertur Festis quibuslibet, praeterquam Duplicibus I vel II classis et Festis Domini:

Vigilia Epiphaniae

(100) Inter officia, quae prostant ante tabellas antiquas, non habebantur vigiliae; nunc vero consultius statutum fuit, ut hoc loco ponerentur etiam vigiliae privilegiatae, quae in tabella occurrentiae inveniuntur suis locis inscriptae. Privilegium autem vigiliarum 1 classis, in eo consistit, ut hic notat rubrica ipsa, quod praeferuntur cuilibet officio, uti notum est; ita ut, in vigilia Pentecostes, etiam Patronus loci, vel Titulus ecclesiae locum cedere debeant. Vigilia vero Epiphaniae, quae in breviario romano est unica vigilia 2 classis (nam in particularibus haberi possunt aliae vigiliae huiusce classis) iisdem privilegiis gaudet, quibus fruuntur dominicae minores, eo quod, ut pluries diximus, officium eius non est nisi officium dominicae, quae occurrere potest a die 1 ad 6 ianuarii.

DUPLICIA I CLASSIS PRIMARIA (101)

Nativitas Domini
Epiphania Domini

Pascha Resurrectionis cum tribus antecedentibus et duobus sequentibus diebus

Ascensio Domini

Pentecostes cum duobus sequentibus diebus

Festum SS.mae Trinitatis (102)

Festum SS.mi Corporis Christi (103)

Conceptio Immaculata B. Mariae Virginis

Annuntiatio B. Mariae Virg.

Assumptio B. Mariae Virg.

Nativitas S. Ioannis Battistae

Solemnitas S. Ioseph, Sponsi B. Mariae Virg., Conf. et Ecclesiae universalis Patroni (104)

Festum Ss. Petri et Pauli Apostolorum

Festum Omnium Sanctorum

Dedicatio Ecclesiae propriae, eiusque Anniversarium (105)

Dedicatio Ecclesiae Cathedralis, eiusque Anniversarium

Titulus propriae Ecclesiae

Titulus Ecclesiae Cathedralis (106)

Patroni principales Oppidi vel Civitatis, Dioecesis, Provinciae et Nationis (107)

Titularis et Sanctus Fundator Ordinis seu Congregationis (108)

(101) Duplicia primae classis in antiquis tabellis illa esse dicebantur, *in quibus nulla fit commemoratio quorumcumque festorum occurrentium, nisi prout in rubricis*. Ut patet, huiusmodi definitio undequaque recta non est; duplicia enim primae classis admittunt commemorationes nonnullas, uti octavae privilegiatae et dominicae occurrentis, et nunc admittunt etiam commemorationem duplicis maioris, minoris et semiduplicis impediti, melius ergo visum est nullam dare

definitionem, alioquin haec prolixa nimis esse deberet, ut omnia comprehenderet.

(102) Inter duplicia primae classis recensitum est festum Ss. Trinitatis, ad hunc ritum elevatum ex decreto 24 iunii 1911. Alias cogitatum fuerat de ritus huius festi elevatione, attamen cum exquisitum esset votum clarissimi viri Aloisii Gardellini, tunc temporis S. R. C. adsessoris; suffragium dedit suum negativum (Suffragium Gardellini editum est in *Ephemer. Liturg.*, 1889, pag. 110).

Hoc non obstante hisce nostris temporibus ritus huius festi elevatus est, sed remanet adhuc absque octava, qua honorantur omnia duplicia 1 classis universalis ecclesiae primaria, extra Quadragesimam.

(103) In hac ultima rubricarum recognitione restitutum est nomen antiquum huiusce festivitatis, quod proponente s. Thoma de Aquino usque a sua institutione habuerat, nempe Festum Ss. Corporis Christi. Nova denominatio « Commemoratio solemnis » quae excogitata fuerat a devotione pissimi viri eminentissimi, potiusquam augere minuebat solemnitatem, ideoque consultius in typica breviarii editione antiqua denominatio restituta fuit.

(104) De solemnitate s. Ioseph vide quae fusiori calamo scripsimus in Commentario in Tabellas occurrentiae et concurrentiae (nota 19). Nunc autem, quia ista primaria festivitas evasit huius sancti Patriarchae, alius eius festum, diei 19 martii, ad antiquum suum ritum dupl. 2 classis redactum fuit, ideoque ex hoc catalogo duplicium 1 classis expunctum.

(105) Iure meritoque in catalogo duplicium 1 classis inscriptum fuit, non tantum anniversarium Dedicationis Ecclesiae, sed ipsa dies Dedicationis, quia clerus universus, qui ecclesiae noviter consecratae inservit, sive ratione canonicatus vel beneficii, sive ratione ministerii ex commissione Ordinarii, celebrare debet solemnitatem ipsius diei Dedicationis, et quidem solemnissime sub ritu duplici 1 classis cum octava, incipiendo eius officium ab hora tertia, quae canenda

est ante missam, ab Episcopo consecratore celebrandam. Et sane, si anniversarium Dedicationis ecclesiae est festum solemne ritu *duplici primae classis cum octava* recolendum; imo, si anniversarium hoc talem solemnitatem constituit, ut in occursu praeferatur festo titularis etiam propriae ecclesiae; a fortiori solemnitas ex maioribus dicenda est ipsa dies dedicationis templi, quae apud aliquas ecclesias solemnissimo ritu celebrabatur, tamquam duplex I classis, primique ordinis (Cf. Brev. Parisien.). Nihilominus, etsi inter maiores festivitates recensenda sit ecclesiarum dedicatio, non tamen iuxta romanum ritum ipsa omnibus praestat. Aliae enim habentur festivitates solemniores, vel etiam dies non festivi, qui, propter mysteria commemoranda ita privilegiati sunt, ut ipsi dedicationis festo praeferantur.

Hi dies solemniores, sunt dominicae I classis, feriae maiores privilegiatae, ac duplicia I classis primaria universalis ecclesiae.

Si ergo in aliquo ex diebus supra recensitis occurrat anniversarium dedicationis ecclesiae non solum, sed etiam dies ipsa consecrationis, officium dedicationis illis cedat opus est.

(106) In sylloge duplicium I classis est quoque titulus ecclesiae cathedralis; antiquitus sufficienter de huiusmodi festo mentionem faciebant rubricae, per locutionem: *Titulus propriae ecclesiae;* cum autem cathedralis sit revera ecclesia propria pro tota dioecesi, non tantum eius dedicatio, sed etiam titulus inter fines dioecesis ipsius concelebrari debet, tam a clero saeculari quam a regulari. Vide quae ad rem scripsimus in commentario ad bullam « Divino afflatu » notis 61 et 62.

(107) Quod attinet ad festum Patroni principalis, luculentius hoc loco declaratur, de quibus patronis agendum sit festum sub ritu duplicis primae classis. Advertendum est tamen, alium esse patronum loci, in sensu stricto appellati; scilicet oppidi, civitatis, municipii, terrae etc., alium patronum dioecesis, alium patronum regni, vel ditionis, vel nationis.

(108) Sub notione Patroni, venit etiam Titulus vel Fundator alicuius Ordinis, seu Congregationis, ut notavit iam suo tempore Gavantus (sect. III, 12, n. 24), post tamen, ipse addit, solemnem canonizationem. Ad rem Meratus (loc. cit. n. vij) ait: « Sic distinguitur in ecclesia Titulus, rigorose acceptus, a Patrono, sic etiam non est confundendus Patronus Religionis, cum Titulo illo, a quo aliqua Religio nuncupatur: ita, verbi gratia, Titulus potius, quam Patronus Religionis seu Ordinis de Redemptione captivorum est Ss. Trinitas. Ita etiam Titulus potius, quam Patronus Clericorum regularium Cruciferorum est s. Crux, a qua haec Religio denominatur, quorum tamen festa a praedictis Ordinibus respective coluntur ».

Patres, Barnabitae vocati, seu Clerici regulares s. Pauli, festum huius apostoli sub ritu I classis celebrant, utpote Titularis suae Congregationis; et postquam Leo xiij inter sanctos adnumeravit fundatorem s. Antonium Zaccaria, hunc quoque sub eodem ritu celebrare coeperunt. Idem dicatur de Presbyteris Ss. Redemptoris, qui tam titulum propriae congregationis, quam sanctum fundatorem Alphonsum dicto ritu concelebrant. Presbyteri quoque salesiani, nunc s. Franciscum Salesium ritu j classis recolunt tamquam suae Congregationis titularem; si autem et venerabili Io. Bosco fundatori, ut est sperandum, coelitum honores mater ecclesia decreverit, hunc quoque caritatis heroem pari solemnitate laetanter celebrabunt.

DUPLEX I CLASSIS SECUNDARIUM (109)

Festum sacratissimi Cordis Iesu

(109) Festum s. Cordis Iesu a Pio ix ad ecclesiam universalem extensum est, per decretum 2 augusti 1856, sub ritu duplici maiori; postea vero, postulantibus Episcopis ex variis regionibus, ad ritum duplicem I classis a Leone xiij per breve 28 iunii 1889 evectum. Cum autem idem pontifex disposuisset, quod festum istud locum cedere deberet sole-

mnitatibus s. Ioannis Baptistae et ss. Petri et Pauli, aliisque duplicibus I classis primariis, inter secundaria festa recensitum fuit; et est unicum festum I classis secundarium.

Nonnulli eo tempore fuerunt, qui melius esse censebant, quod ad ritum 2 classis elevaretur, ita ut cedere debuisset quidem duplicibus I classis, non vero aliis; rationes enim non deerant, ut inter primaria festa admitteretur, si audiendus est quidam insignis theologus S. I. qui circa naturam et scopum festi s. Cordis Iesu libellum optimum scripsit, nunc in archiviis S. R. C. reservatum.

DUPLICIA II CLASSIS PRIMARIA

Circumcisio Domini
Transfiguratio Domini
Dedicatio Archibasilicae SS.mi Salvatoris (110).
Purificatio B. Mariae Virg.
Visitatio B. Mariae Virg.
Nativitas B. Mariae Virg.
Dedicatio S. Michaëlis Archangeli
Festum S. Ioseph, Sponsi B. Mariae Virg. Conf.
» S. Andreae Ap.
» S. Thomae Ap.
» S. Ioannis Ap. et. Ev.
» S. Matthiae Ap.
» Ss. Philippi et Iacobi App.
» S. Iacobi Ap.
» S. Bartholomaei Ap.
» S. Matthaei Ap. et Ev.
» Ss. Simonis et Iudae App.
» S. Marci Ev.
» S. Lucae Ev.
» S. Stephani Protomartyris

Festum Ss. Innocentium Mm.
» S. Annae, Matris B. Mariae Virg.
» S. Laurentii Mart.
» S. Ioachim, Patris B. Mariae Virg., Conf.

(110) Antiquus ac verus et principalis Titulus Lateranensis basilicae ss. Salvatoris fuit Ascensio Domini (1). Iam suo tempore (998-1072) scribit s. Petrus Damianus in sua epistola ad Cardinales (Migne P. L. cxliv, 255) « Lateranensis ecclesia est Salvatoris insignita vocabulo..... » et paulo post: « Haec igitur ad honorem condita Salvatoris, culmen et summitas totius christianae religionis effecta, ut ita dixerim, ecclesia est ecclesiarum. « Forsan quia pro sanctis consideratus est dies obitus, seu ingressus in coelum, tamquam natale festum, et similiter pro b. Maria, eius Assumptio, ita et pro augustissimo Salvatore nostro eius Ascensio, et ideo ecclesiae in honorem Salvatoris dicatae festum ipsius Ascensionis tamquam titulare celebrarunt. Procul dubio hymni, qui in hoc festo decantantur: *Aeterne rex altissime - Redemptor et fidelium....* nec non alius: *Salutis humanae sator* fundamentum praebuere ad huiusmodi festi Titularis electionem. Videtur ergo multo melius convenire festum Ascensionis, quam Transfigurationis, pro celebratione festi ss. Salvatoris, eo vel magis, quia uti fusius notavimus in Commentario in Tabellas (nota 26) Festum Transfigurationis, si in aliquibus ecclesiis graecis celebrabatur saeculo viij, in Occidenti serius cooptum est celebrari aliquibus in regionibus, et tantummodo anno 1457 Callistus iij, ut legitur in decretalibus (n. 78) ad universam ecclesiam extendit.

Certum est etiam, quod ex Constitutionibus venerandi Capituli lateranensis nil prorsus dicitur de Transfiguratione Domini, tamquam basilicae Titulo, dum e contra festum Ascensionis ibi semper celebratum fuit et celebratur summa

(1) Cf. *Bollettino per le feste Costantiniane in Roma*. Fasc. 2, 1912.

solemnitate, aequali ritu, ut festum Paschatis et Pentecostes. Uti notavimus in nostro Commentario in Constitutionem « *Divino afflatu* » (not. 63), fuit primus omnium Gavantus, qui docuit, ecclesias Ss. Salvatori dicatas festum titulare celebrare Transfigurationem Domini; quia in suo Octavario, diem 6 augusti his verbis inscripsit: *Infra octavam Transfigurationis Domini seu ss. Salvatoris*. Ex quo factum est, quod plures ecclesiae Ss. Salvatori dicatae, festum suum titulare ea die 6 augusti celebrare coeperunt; postea vero S. R. C. suo decreto 29 nov. 1755 n. 2439 hunc usum comprobavit.

Teste autem Gardellinio (Decr. Authent. Vol. 4, p. 344, vot. in decr. 2721) « hoc idem confirmatum fuit per aliud decretum (quod tamen in collectione sive antiqua sive nova non invenitur) 6 aug. 1831 pro Urbe emanatum; in eo dicitur, quod festum Transfigurationis D. N. I. C. in basilica lateranensi occurrens viij idus augusti, ceu Titularis fuerit hactenus celebratum, quo quidem die idcirco Gregorius xvj idem festum Transfigurationis celebrandum aliis etiam locis concessit, et eo ritu, qui Titularibus convenit ».

Notat Guyet (III, xvij, 1) quod in ecclesiis quarum Ss. Salvator est titulus, pro suffragio faciendo sumenda erat antiphona et versus ex officio Transfigurationis, nam antiphona et versus Ascensionis non congruit extra festum. Igitur, forsan alicubi primum, et postea fere ubique coeptum est sumere integrum Transfigurationis officium, scilicet festum Titularis illarum ecclesiarum consideratum fuit.

Quidquid ergo sit, cum in basilica lateranensi festum Titularis nunc celebretur die 6 augusti, et etiam a toto clero Urbis, sub ritu duplici 1 classis recolatur cum octava, in novis rubricis iam ab anno 1911 statutum est, ut in toto etiam Orbe, sub ritu duplici 2 classis concelebretur.

Siquidem, cum clerus universae ecclesiae, iure divino Episcopo romano subiaceat, tamquam s. Petri successori, in signum huiusmodi subiectionis, anniversarium Dedicationis cathedralis ipsius romani antistitis universalis, eiusque Titularis, celebrare decet omnino.

Hucusque huiusmodi festa dioeceseos romanae in universali ecclesia ritu duplici maiori celebrata sunt; propositum quidem fuerat ab aliquibus, ut ubique terrarum, ritu duplici 1 classis recolerentur; sed opportunum potius visum est, ut augeretur tantummodo, et ritus 2 classis illis datus fuit, ne festa 1 classis nimis succrescerent, et perpetuo exinde perirent officia simplicia ss. Xysti et sociorum die 6 augusti, et s. Theodori die 9 novembris. Ceterum non eodem modo subiicimur romano Episcopo; clerus enim almae Urbis strictiori vinculo illi obstringitur, cum nullum alium Episcopum venerari debeat, nisi Summum Pontificem; clerus vero aliarum dioeceseon, suum quisque Episcopum habet, cum quo, Christi in terris vicario absoluta dependentia subiicitur.

(Continuabitur). Dr. P. Piacenza.

DISSERTATIO LITURGICA

De novissima Ritualis Romani typica Editione.

1. Elapso anno 1913 ex Officina typographica **Friderici Pustet,** Bibliopolae Pontificii, prodiit Editio typica Ritualis Romani novissime recogniti, aucti et diligenter revisi a Sacra Rituum Congregatione.

2. Haec typica novissima Editio, cui futurae eiusdem Ritualis Romani editiones ex Decreto S. R. C. 11 iunii 1913 conformes esse debebunt, si digna commendatione est ob cantum ad novas leges reformatum et ob voluminis elegantiam ac nitorem, multo dignior dicenda est ob novas dispositiones ac declarationes circa Sacramentorum ac Sacramentalium administrationem et circa ecclesiasticas functiones in eo contentas, quas opportunum duximus lectoribus harum Ephemeridum breviter exponere.

Circa Baptismum. — 3. Quamquam, *tit. II, c. 2, n. 27, pag. 17* et *c. 5, § 1, n. 25, pag. 43,* peculiares sunt Rubricae de mutatione numeri et generis in formulis et caeremoniis ad Baptismi collationem spectantibus, singulis tamen locis quando et quomodo eiusmodi mutationes fieri debeant intra parenthesim adnotatur.

4. In porrigenda candida veste nuper baptizatis, nunc in Baptismate adultorum *(Tit. cit., c. 4, n. 42, pag. 36,* et *c. 5, § II, n. 41, pag. 57),* eadem formula adhibenda est ac in Baptismate parvulorum (*tit. cit., c. 2, n. 24, pag. 16* et *c. 5, § I, n. 22, pag. 43*); insuper vox *immaculatam* postponitur verbo *perferas.*

5. In formula dicenda dum baptizato vel patrino porrigitur candela accensa, non amplius leguntur verba *habeasque*

vitam aeternam; insuper haec formula nunc in Baptismate adultorum eadem est ac in Baptismate parvulorum (*Tit. cit. c. 2, n. 25, pag. 16; c. 5, § I, n. 23, pag. 43; c. 4, n. 32, pag. 37; c. 5, § II, n. 41, pag. 57*).

Circa sacram Communionem. — 6. Antiphona *O sacrum convivium* post Ss. Eucharistiam administratam extra, vel etiam ante aut post Missam, olim erat ad libitum, nunc est dicenda de praecepto. Revera, ubi prius legebatur *Sacerdos reversus ad altare* **dicere poterit** (1), nunc legitur *Sacerdos reversus ad altare* **dicit** (*Tit. IV, c. 2, n. 6, pag. 75*). — Hic autem velim attendas verbum *reversus*, quod, aiunt scriptores de sacra Liturgia, non est idem ac *revertens*, uti, saltem in praxi, haud recte intelligere multi videntur.

7. Tempore paschali, Eucharistia, ut supra, administrata, *Alleluia* addendum est etiam Antiphonae *O sacrum convivium* (*l. c., pag. 76*) (2).

8. Immo, uti tempore paschali, sic per Octavam Corporis Christi *Alleluia* addi debet tum Antiphonae *O sacrum convivium*, tum ℣. *Panem de coelo* ac ℟. *Omne delectamentum* (*l. c.*).

9. Tempore paschali Oratio *Spiritum nobis*, non secus ac Oratio *Deus, qui nobis* per annum, longa conclusione, diversa tamen, iuxta notissimas normas, scilicet: *Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum* etc., concludenda est (*l. c., n. 7, pag. 76*).

10. Sacramento reposito et tabernaculo clave obserato, populo benedicendi hic traditur modus: *Deinde, elevatis oculis, extendens, elevans et iungens manus caputque Cruci inclinans, dicit:* **Benedictio Dei omnipotentis,** *et versus ad populum semel tantum benedicens, prosequitur:* **Patris** ✠, **et Filii, et Spiritus Sancti, descendat super vos et maneat semper.** ℟. **Amen** (*l. c., n. 9, pag. 76*).

11. Ad Communionem infirmorum quod spectat, eodem Titulo (*c. 4, n. 4, pag. 78 in nota*) innuuntur, in priori

(1) Cfr. S. R. C. 30 aug. 1892, n. 3792 ad 10.
(2) Cfr. S. R. C. 15 iun. 1883, n. 3576 ad 11.

autem Appendice (*pagg. 12*-13**) integra referuntur S. Concilii Congregationis Decreta, 7 decem. 1906 et 25 mart. 1907, quibus concessum est *ut infirmi, qui iam a mense decumberent absque certa spe ut cito convalescant, de confessarii consilio Ss.mam Eucharistiam sumere possint semel aut bis in hebdomada, si agatur de infirmis, qui degunt in piis domibus, ubi Ss.mum Sacramentum adservatur, aut privilegio fruuntur celebrationis Missae in Oratorio domestico; semel vero aut bis in mense pro reliquis, etsi aliquid per modum potus antea sumpserint. — Nomine autem infirmorum qui in mense decumbunt* (1), *et idcirco S. Eucharistiam non ieiuni sumere possunt, comprehenduntur quoque infirmi, qui, quamvis gravi morbo correpti et ex medici iudicio naturale ieiunium servare non valentes, nihilominus in lecto decumbere non possunt, aut ex eo aliquibus horis diei surgere queunt.*

12. Si uni tantum infirmo S. Communio ministranda sit, *Misereatur et Indulgentiam* dicuntur in singulari (*l. c., n. 14, pag. 80*). Excipitur casus (ex S. R. C. Decreto 16 nov. 1906, n. 4193[4]) quo infirmus communicet infra Missam penes ipsum celebratam.

13. Tempore paschali et per octavam Corporis Christi, sacerdos, quum redierit ad Ecclesiam et Sacramentum super altare posuerit ac adoraverit, tum ℣. *Panem de coelo,* tum ℟. *Omne delectamentum* addet *Alleluia* (*l. c., n. 21, pag. 81*).

14. Post Communionem infirmorum Oratio *Deus, qui nobis,* quae quovis anni tempore numquam varianda est, brevi conclusione *Qui vivis et regnas in saecula saeculorum* concludi debet (*l. c.*).

15. Praescriptiones de Sacra Communione promiscuo ritu suscipienda, iuxta Constitutionem Apostolicam *Tradita ab antiquis* diei 14 septem. 1912, invenies in priori Appendice (*pag.* 11*). Eae hic, brevitatis gratia, omittuntur, quum apud nos numquam, vel saltem rarissime, ad eas sit recurrendum.

---

(1) Putamus legendum *a mense* (N. R.).

De Extrema Unctione. — 16. Ex Decreto S. Congregationis S. Officii 25 apr. 1906 in casu verae necessitatis sufficit forma « **Per istam sanctam Unctionem indulgeat tibi Dominus quidquid deliquisti. Amen** » (*Tit. V, c. 1, n. 20, pag. 85*).

17. Mutationes generis faciendae in precibus quae Extremae Unctionis administrationem sequuntur, in ipsis precibus, intra parenthesim, adnotantur (*Tit. cit., c. 2, n. 12, pag. 88*).

De cura infirmorum, de animae commendatione, etc. — 18. Intra parenthesim eodem modo adnotantur mutationes generis in orationibus, quae dicendae proponuntur in infirmorum visitatione (*Tit. cit., c. 4, n. 20, pag. 103, et n. 23, pagg. 105 et seqq.*), in animae commendatione (*ibid. c. 7, n. 3, pag. 115, n. 4, pag. 116, n. 6, pag. 126, n. 7, pag. 129*), post expirationem (*ibid. c. 8, n. 3, pag. 131*).

19. In Ordine autem commendationis animae hae additiones dignae sunt notatu:

a) In Oratione *Proficiscere*, post verba *qui in te effusus est* « **In nomine gloriosae et Sanctae Dei Genitricis Virginis Mariae** » (*pag. 116*);

b) In Oratione *Commendo te*, post verba *te complexus adstringat* « **Sancta Dei Genitrix Maria suos benigna oculos ad te convertat** » (*pag. 117*);

b) Post Orationem *Delicta iuventutis*

Oratio.

« **Clementissima Virgo Dei Genitrix Maria, moerentium piissima consolatrix, famuli** (*vel* **famulae**) **huius N. spiritum Filio suo commendet, ut hoc materno interventu terrores mortis non timeat; sed desideratam coelestis patriae mansionem, ea comite, laetus** (*vel* **laeta**) **adeat** » (*pag. 120*) (1).

De Exsequiis ac de Officio Defunctorum. — 20. Quoties occurrat mutatio sive numeri, sive generis, aut

(1) Hae additiones inductae sunt etiam in novissimis Breviariis.

alia quaecumque semper indicatur, tum quoad Exsequias (*Tit. VI, c. 3, n. 2, pag. 136, in nota; n. 5, pag. 140, n. 10, pag. 144*), tum quoad benedictionem sepulchri (*l. c., n. 12, pag. 145*), tum quoad Orationes pro episcopo, pro cardinali, pro sacerdote, pro patre et matre (*Tit. cit., c. 4. pagg. 157 et seqq.*).

21. Nihil est immutandum in Oratione *Non intres*, etiamsi pro pluribus aut pro foemina dicatur (*Tit. cit., c. 3, n. 2, pag. 136, in nota; n. 7, pag. 141*).

22. In Officio Defunctorum per annum tres Orationes dicuntur (*Tit. cit. c. 4, pag. 160*); et hae sunt eaedem ac illae quae habentur in Missis quotidianis Defunctorum.

23. Ubi agatur de Presbytero vel Diacono Cardinali defuncto, quoad Orationem triplex ponitur distinctio, nempe si in Ordine Episcopatus, vel in Ordine Presbyteratus, vel in nullo horum fuerit constitutus (*l. c. pag. 158*).

24. Omnes Orationes in Exsequiis cantantur in tono feriali, id est recto tono, vel in altero tono feriali ad libitum (*ibid. n. 5, pag. 140, in nota*).

25. Conclusio longa Orationum pro Defunctis adhibetur tantummodo in Missa et Officio, extra vero semper brevis (*l. c.*).

26. ℣℣. *Requiem aeternam* etc. et *Requiescant* etc. post Orationem in Officio dicuntur semper numero plurali (*Tit. cit. c. 4, pag. 160*).

27. Officium Defunctorum dicitur ritu duplici, hoc est duplicantur in eo Antiphonae, in die depositionis, in die post acceptum mortis nuntium, et tertio, septimo, trigesimo et anniversario, etiam late sumpto, et quoties illud solemniter celebratur (*Tit. cit., c. 4, pag. 149*).

28. Invitatorium dicitur semper in Officio Defunctorum, quando persolvitur cum tribus Nocturnis, etiam sub ritu semiduplici, aut cum unico quidem Nocturno, sed sub ritu duplici. In reliquis vero casibus omittitur (1) (*l. c., pag. 160*).

(1) Cfr. S. R. C. 9 maii 1739, n. 2344 ad 2.

29. Si unum tantum Nocturnum dici velit, in die depositionis semper primum Nocturnum dicatur, extra hunc diem dicatur primus Dominica, Feria II et V; secundus Feria III et VI; tertius Feria IV et Sabbato (1) (*l. c., pag. 161*).

30. Psalmi *Lauda, anima mea,* in fine Vesperarum, et *De profundis* in fine Laudum non dicuntur in die obitus seu depositionis Defuncti, neque quandocumque Officium ritu duplici recitatur (2) (*l. c., pagg. 156 et 199*).

31. Antiphona secunda ad Vesperas deinceps est: *Heu me! quia incolatus meus prolongatus est* (*l. c., pag. 150*).

32. Ex Laudibus sublati sunt Psalmi *Deus misereatur* (*n. 66*), *Laudate Dominum de coelis* (*n. 148*) et *Cantate Domino* (*n. 149*).

33. Quoties Officium Defunctorum immediate non sequatur vel delationem cadaveris ad Ecclesiam ac Responsorium *Subvenite,* vel Officium diei currentis, Vesperis praemittuntur *Pater* et *Ave* (*l. c., pag. 149*); Matutino autem praemittitur etiam *Credo* (3) (*l. c., pag. 160*).

34. *Pater* et *Ave* praemittuntur etiam Laudibus quando, in privata recitatione, separatae fuerint a Matutino (4) (*l. c., pag. 191*).

35. Insuper si Matutinum, cum unico vel tribus Nocturnis, in privata recitatione a Laudibus separetur, post ultimum Responsorium subiungitur: ℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum spiritu tuo.* Deinde dicitur Oratio (seu Orationes) ut ad Vesperas, additis sequentibus: ℣. *Requiem aeternam dona eis, Domine.* ℟. *Et lux perpetua luceat eis.* ℣. *Requiescant in pace.* ℟. *Amen.* (5) (*l. c.*).

36. Sed in recitatione publica vel privata, si Laudes

---

(1) Cfr. S. R. C. 29 iul. 1888, n. 3691 ad 3, et 6 febr. 1892, n. 3764 ad 5 et 6.

(2) Cfr. S. R. C. 9 iun. 1899, n. 4029 ad 3.

(3) Cfr. S. R. C. 25 octob. 1912.

(4) Cfr. S. R. C. 24 iul. 1912.

(5) Cfr. S. R. C. 24 iul. 1912.

omnino omittantur, post ultimum Responsorium dicuntur Preces ut in Vesperis (*l. c., pagg. 172 et 191*) (1).

37. Post Orationem, quando dicitur immediate ante Exsequias vel Missam aut Absolutionem, non dicuntur: ℣℣. *Requiem aeternam* et *Requiescat* (*l. c., pag. 140, in nota*).

De Sacramento matrimonii. — 38. Olim parochus prohibebatur quominus eos coniuges benediceret, qui matrimonio celebrato absque benedictione nuptiali, eâque ad diem sequentem dilatâ, interim sub eodem tecto cohabitassent. Nunc ex Decreto S. R. et U. Inq. 31 aug. 1881 eiusmodi prohibitio sublata est. Quin immo non solum hi benedici possunt, si petant; sed hortandi sunt ut petant. *Hortetur* (antea legebatur *moneat*) *Parochus coniuges, ut ante benedictionem sacerdotalem in templo suscipiendam, in eadem domo non cohabitent, neque Matrimonium consumment, nec etiam simul maneant, nisi aliquibus propinquis, vel aliis praesentibus; quae benedictio a nullo alio quam ab ipso Parocho, seu ab alio Sacerdote de ipsius Parochi, vel Ordinarii licentia fieri debet* (*Tit. VII, c. 1, n. 14, pag. 212*). Nunc hanc praescriptionem haec alia sequitur, quam praestat integram referre, ut parochus agnoscat quomodo se gerere debeat erga eos coniuges, qui nondum Benedictionem nuptialem acceperint « *Sciat nihilominus* (parochus), *hanc Benedictionem semper impertiendam esse in matrimoniis catholicorum, infra tamen Missae celebrationem iuxta Rubricas et extra tempus feriatum, omnibus illis coniugibus, qui eam in contrahendo matrimonio quacumque ex causa non obtinuerint, etiamsi petant postquam diu in matrimonio vixerint: imo illos hortandos esse ut eam primo quoque tempore petant, simul tamen admonendos, maxime si neophyti sint, vel ante conversionem ab haeresi valide contraxerint, Benedictionem ipsam*

---

(1) Quae dicta sunt nn. 23, 27, 28, 29, 30, 32, 33, 34, 35, 36, ea omnia reperiuntur etiam in Breviariis novissimis.

ad ritum et solemnitatem, non vero ad substantiam pertinere coniugii (Decr. S. R. et U. Inq. 31 Aug. 1881) (1).

39. Olim pariter numquam licebat benedicere nuptiis si mulier esset vidua; nunc ex eodem S. R. et U. Inq. Decreto haec prohibitio tunc tantum viget quum agitur de vidua, quae in primis nuptiis benedictionem acceperit. *Caveat tamen* (olim legebatur *etiam pro tamen*) *Parochus, ne, quando coniuges in primis nuptiis benedictionem acceperint, eos in secundis benedicat, sive mulier sive etiam vir ad secundas nuptias transeat. Sed ubi ea viget consuetudo, ut, si mulier nemini umquam nupserit, etiamsi vir aliam uxorem habuerit, nuptiae benedicantur, ea servanda est; sed vidüae,* **quae in primis nuptiis iam benedictionem acceperit, novas** *nuptias non benedicat, etiamsi eius vir, numquam uxorem duxerit* (*l. c., n. 16*).

(*Continuabitur*).

Sac. SABATINUS ZEI.

---

(1) Hic non erit abs re animadvertere ex Decreto S. R. C., 27 maii 1911 n. 4269 ad 7, ad impertiendam benedictionem nuptialem post tempus feriatum coniugibus autea Matrimonio iunctis necessariam esse praesentiam amborum et non sufficere solius sponsae.

Acta
Academiae Liturgicae Romanae.

De praeferentia festorum ob feriationem, vel ob octavam, quibus decorantur.

Maurus scholae S. Liturgiae alumnus, conferens varios modos pro valutanda praelatione festorum simul occurrentium vel concurrentium, qui leguntur in Breviario Romano, notat quod *maior solemnitas*, quam habent festa feriata, vel quae cum octava celebrantur, fuit quidem semper nota praelationis, non semper tamen eumdem gradum inter varios praeferentiae characteres obtinuit. Antiquitus, post altiorem ritum et dignitatem, habebatur maior solemnitas; postea in paritate ritus, et qualitatis primarii aut secundarii, et dignitatis personalis, locum habebat maior solemnitas; nunc vero in novissimis Mutationibus in Breviario inducendis ex decreto S. R. C. 11 Iunii 1913, invenit quod maior solemnitas statim attenditur, in paritate ritus, aliis notis praelationis posthabitis. A viro ergo in Liturgia perito quaerit:

1. *Quae festa celebrata fuerint cum feriatione, et quae cum octava, diversis temporibus, nempe sub S. Pio V, Urbano VIII, Pio IX, et nunc sub Ss. D. N. Pio X?*

2. *Utrum festum habens feriationem vel octavam,*

aliquando ius praelationis obtinuerit super alia festa eiusdem ritus?

3. *Quibus ex causis, in novissimis Rubricis, feriatio* etiam in foro sublata vel reducta, *et octava, notam exhibeant praelationis, posthabita ratione primarii vel secundarii et dignitatis personalis?*

Solutio.

Sub Pio V, catalogus festorum in Ecclesia universali cum feriatione celebrandorum nondum existit. Concilium Tridentinum inculcavit quidem, quomodo festa more vero christiano essent celebranda; at numerum festorum nec pro suprema sua auctoritate denuo definivit nec imminuit neque Episcopis antiquam potestatem instituendi nova festa subduxit, imo potius expresse approbavit (Wernz III, 2, p. 60, Romae, Kellner p. 13, 19).

Tandem Urbanus VIII, Constitutione « Universa » 13 Sept. 1642 catalogum festorum promulgavit, in quo enumerantur festa, quae *praecepto* ex iuris *communis* sanctionibus *unice* servanda sunt. In hoc catalogo inveniuntur nota festa, in quibus hucusque urget obligatio applicandi pro populo; non inveniuntur adhuc 1) Conceptio immaculata B. M. V. 2) Festum II S. Ioseph post Pascha celebratum 3) Festum S. Ioachim 4) Patronus Dioecesis. Notandum 1) quod unum tantum festum Patronorum Principalium Regni sive Provinciae cum obligatione celebrari potest, et aliud civitatis, Oppidi vel Pagi; 2) quod etiam festum S. Silvestri P. C. sit feriatum.

Anno 1708 Clemens XI addidit festum Immaculatae C. Constitutione « Commissi », sine feriatione iam a Sixto IV anno 1476 ad universam Ecslesiam extensum.

Anno 1731 Clemens XII rogatus a Carolo VI Imperatore ut festum S. Ioachim feriatum redderet, illud a 20 Martii, ubi hucusque in Martyrologio legitur, amovit, Dominicaeque infra Assumptionem B. M. V. affixit, ne festa de praecepto multiplicarentur. Illud ergo non propria, sed Dominicae feriatione celebrabatur. Simili modo feriatione Dominicae celebrabatur festum II Sancti Ioseph Dom. III post Pascha, a Pio IX anno 1847 ad universam Ecclesiam extensum.

Catalogo Urbani VIII praesertim a tempore Benedicti XIV tot indultis particularibus derogatum est, ut ille catalogus in aliquibus tantum quaestionibus (v. gr. quoad applicandam Missam, collationem ordinum, banna matrimonialia, servitium chori) sit practici quidem momenti, non autem quoad praeceptum audiendi Missam et abstinendi ab operibus servilibus.

Demum Pius X omnia festa pro Ecclesia universali abrogavit, relinquendo solummodo praeter Dominicas octo festa cum obligatione audiendi Missam et abstinendi ab operibus servilibus; inter quae invenitur etiam festum Immaculatae Conceptionis in Catalogo Urbani VIII desideratum.

Catalogus antem hic Pii X valet solummodo quoad duplicem obligationem. Quoad alias quaestiones iuris canonici valet catalogus Urbani VIII. Quoad ius liturgi, cum vero valet novissimus catalogus in Editione typica Breviarii et Psalterii anni 1914. In novissimo hocce catalogo deest festum S. Silvestri P. C. forte quia ritu dupl. min. tantum celebratur, nec vix alicubi cum feriatione (ex devotione etiam mera populi erga Sanctum oriente) celebratur. Adest vero festum Immaculatae; prima vice festum S. Ioachim; Solemnitas S. Ioseph, Patroni principalis *Dioecesis,* qui hucusque non habebant feriationem in iure liturgico. Notandum, quod in catalogo Urbani VIII *unum* tantum habeatur festum Regni et *unum* oppidi, in novissimo catalogo vero dicitur sine restrictione Festum *Patronorum* principalium oppidi vel Civitatis, Dioecesis, Provinciae et Nationis.

Sub Pio V celebrabantur *Octavae* seu potius septimanae Paschatis et Pentecostes, Octavae Epiphaniae, Corporis Christi, Nativitatis et Ascensionis Domini. Item Nativitatis et Assumptionis B. M. V., festorum Ioannis B., Petri et Pauli, Omnium Sanctorum, Ioannis A. et Ev., Stephani Protom., Innocentium, Laurentii M., Dedicationis et Tituli propriae Ecclesiae et Patronorum aliquorum; alicubi etiam alia ex consuetudine. Octavas Conceptionis et Visitationis B. M. V. item Octavas Ss. Francisci et Clarae Ass., Antonii Patavini, Bernardini Senensis, et Ludovici Tolosani Pius V expunxit.

Anno 1693 addita seu restituta est ab Innocentio XII octava Conceptionis B. M. V.

Anno 1741, Decreto n. 2365, III, primo declaratur, octavam Titularis Eccl. Cath. et Patroni in *tota* Dioecesi peragendam esse.

Anno 1911 a Pio X instituta est Octava Solemnitatis S. Ioseph.

Circa festa particularia aliqua confusio vigebat, quare S. R. C. anno 1895 statuit (n. 3863) 1), Festum praecipui Patroni loci, vel dioecesis, *si particularis non habeatur*, a saecularibus celebrandum esse *cum octava*, etiamsi sint *plures* aeque principales patroni. 2) Titulum Ecclesiae propriae ab omnibus, et illum Ecclesiae Cathedralis a saecularibus cum octava esse celebrandam. 3) Anniversarium Dedicationis Ecclesiae Cathedralis a clero saeculari *Civitatis solummodo* esse cum octava celebrandum. Anno 1911 editum est Psalterium iuxta Bullam « Divino afflatu », in cuius Rubricis praescribitur octava Dedicationis et Tituli Ecclesiae Cathedralis ab omnibus Calendario Dioecesis utentibus servanda. Item cum octava est celebrandum festum Patroni principalis Oppidi vel Civitatis, vel Dioecesis, vel Provinciae, vel Nationis *ab omnibus* Calendario Dioecesis utentibus.

Iuxta novissimas Rubricas, etiam Titulus et S. Fundator Ordinis seu Congregationis *cum octava* sunt celebrandi; quod ex consuetudine seu privilegiis particularibus hucusque etiam factum est.

Pius X prohibuit etiam octavas dupl. mai. et illas festorum dupl. II cl. reduxit ad solum diem octavum ritu simplici celebrandum.

2) Utrum festum habens feriationem vel octavam, aliquando ius praelationis obtinuerit super alia festa eiusdem ritus?

Feriatio aliquibus festis adnexá apud antiquos non semper habebatur tamquam nota praeferentiae; imo non unum exstat S. R. C. decretum, quo aperte declaretur, feriationem nullam maiorem solemnitatem adiungere festivitati. Attamen hodie aliter res se habet, nam eadem S. R. C. in decreto generali (4 febr. 1896, n. 3881) quo declaravit, dedicationem Ecclesiae esse festum Domini, statuit etiam quod, hoc non obstante, cedere possit festo Patroni *cum feriatione celebrato*. Ita etiam Breviarium Seraphicum in suis Rubricis approbatis.

3) Quibus ex causis hoc factum sit? Ideo quia feriatio vocat populum ad Ecclesiam, non vero primarietas vel dignitas, inconveniens ergo esset quod populus ad Ecclesiam pergeret ad Sanctum quemdam colendum, et in ea aliud festum celebraretur. Quod ubique cum grano salis tantum accipiendum est. Nunc

ergo. ritu pari, festum cum feriatione, praefertur festo non feriato. Congruit nova tabella concurrentiae, in qua in paritate ritus Vesperae sunt de nobiliori, i. e. quod in occurrentia praecederet, iuxta « Notanda » n. 1.

Feriatio in foro *sublata vel reducta* ideo exhibet notam praelationis, quia Ecclesia in abolitione festorum semper declarat, reductione hac se nihil *solemnitati* detrahere velle, sed quod hucusque de praecepto fuit, ex devotione populi christiani – firma remanente obligatione cleri – servandum est.

Antiquibus festum gaudens octava nulla praeferentia fruebatur super festum absque octava, nunc vero huiusmodi ius praeferentiae datum illi fuit. Ratio est, quia octava addit solemnitatem festo, et tantummodo festa nobiliora gaudent octava; ideo, ceteris paribus, festum habens octavam nobilius esse videtur. Sed alia etiam ratione praelatio datur per hanc Rubricam festo cum octava, scilicet ne octava ipsa suis diebus perturbetur.

Dr. Stephanus Makkay
Presbyter archidioec. Strigonien.

Consultationes.

Pro Moravia. — I. In Vigiliis non privilegiatis, feriis maioribus, Dominica anticipata vel reposita prohibentur Missae pro defunctis in colore nigro privatae; prohibentur hisce diebus Missae quotidianae defunctorum cantatae?

Resp. Negative quia nulla ex Missis cum cantu imminutionem passa est per novas rubricas, uti videre est sub tit. X, n. 5, post Bullam *Divino afflatu.*

II. Dominica post Epiphaniam anticipata, iuxta Decretum S. R. C. 28 octobris 1913, celebratur Sabbato ante Dominicam Septuagesimae cum omnibus privilegiis Dominicae; possunt, hac Dominica anticipata, Missae pro defunctis in Anniversario quotidianae cantari?

Resp. Negative, quia unum ex privilegiis Dominicae est exclusio Missarum de requie, etiam cum cantu ac etiam in anniversariis.

III. Iuxta Decretum S. R. C. 28 octobris 1913 festa impedita non transferuntur: *a*) In Ecclesia titulari S. Sebastiani M. dicitur Officium et Missa de S. Sebastiano cum com. S. Fabiani in Laudibus et Missis privatis tantum, an faciendum est de Ss. Fabiano et Sebastiano simul?

Resp. Affirmative ad primam partem; negative ad secundam, quia hi Sancti non sunt ex natura sua coniuncti, uti se exprimit novissima rubrica Psalterii (ed. typ. 1914, tit. IX. n. 4), scilicet quando inter eos necessaria consanguinitatis, aut affinitatis ratio intercedit.

b) Festum Ss. Viti, Modesti et Crescentiae Mm. celebratur ritu dupl. mai. propter festum S. Viti, qui est patronus dioecesis; in Ecclesia Titulari S. Viti dicitur Officium et Missa de S. Vito cum com. Ss. Modesti et Crescentiae Mm?

Resp. Affirmative, ut ad litteram *a*), ob eamdem rationem.

c) In Ecclesia titulari S. Cyriaci (die 8 aug.) dicitur officium de S. Cyriaco cum com. in Laudibus et Missis privatis Ss. Largi et Smaragdi?

Resp. Affirmative, ut supra, eadem enim militat ratio.

IV. Iuxta Decretum S. R. C. 28 octobris 1913, festa duplicia II cl. quae habent Octavam, per Octavam nihil fit, nisi in die Octava, et quidem ritu simplici: *a*) Infra similem Octavam, fit saltem commemoratio Octavae, prout est in Breviario Dominicanorum?

Resp. Negative; nulla eiusmodi commemoratio innuitur in novis rubricis, et nihili valet auctoritas Breviarii Ordinis Praedicatorum, qui ritum specialem sequitur.

b) Et si nullum festum infra hanc octavam occurrat, dicitur Officium de feria?

Resp. Affirmative; de feria enim agitur quando nullum est, neque simplex, recolendum Officium.

c) Et si habeat ad festum *Credo* et Praefationem propriam, dicitur infra similem Octavam *Credo* et Praefatio festi?

Resp. Negative, nisi quoad Praefationem, occurrente Officio S. Mariae in Sabbato infra Octavam Nativitatis B. M. V. (v. novissimas rubricas die 8 septembris), quia tunc Missa dicenda est ut in festo. Non dicitur tamen *Credo,* quia Officium est ritus simplicis (cf. decr. S. R. C. 4192, IV).

V. Initium alicuius libri Scripturae sacrae reponitur propter festum a Dominica in feriam III; iuxta Decretum S. R. C. 28 octobris 1913, III, ad 1, haec lectio initii S. Scripturae legenda est cum lectionibus feriae, in qua reponantur. Dicuntur hoc in casu feria tertia lectiones sequenti modo: Lect. I erit prima et secunda initii coniuncta, Lect. II tertia ex initio et prima feriae II, Lect. III secunda et tertia feriae II; et feriae quarta simili modo coniungentur lectiones feriae tertiae et feriae quartae?

Resp. Potest distributio lectionum fieri ut proponitur, sed nulla extat de hac re obligatio. Decretum citatum di-

sponit de responsoriis dicendis in hypothesi qua Lectiones Dominicae simul cum Lectionibus de feria dicantur, quod fieri *potest* in privata recitatione Officii, sed non debet *imponi,* multo minus indicari pro choro.

VI. Unde sumenda sunt responsoria pro hebdomada post Dominicam I post Epiphaniam? in Breviario editionis Pustet, nec haec Responsoria sunt nec fit de eis mentio.

Resp. In libello *Variationes* etc., ad pag. [23] dicitur, quod si feriae occurrant, Officium fit ut in Ordinario et Psalterio, et sumuntur responsoria singulis feriis sequentis hebdomadae II post Epiphaniam assignata. Prima tamen die, sumentur ea quae I Nocturno Dominicae II sunt assignata. Ceterum in Breviario editionis Pustet omnia suo loco sunt disposita.

VII. Iuxta Decretum S. R. C. 28 octobris 1913, pro festo Ss. Nominis Iesu assignatur Dominica a die 2 ad 5 ianuarii, quia non satis ex hisce clarum est, an de festo Ss. Nominis occurrente Vigilia Epiphaniae in Dominicam inciderit?

Resp. Affirmative, iuxta novissimas rubricas postremo reformatas (1914), in quarum tit. IV, n. 2, dicitur: « Itemque excipiuntur Dominicae... nec non Dominica occurrens a die 1 ad 6 Ianuarii..... in qua, nisi a nobiliori Officio impediatur; celebratur festum Ss. Nominis Iesu ». Vide etiam *Variationes* in ipsa Vigilia Epiphaniae, pag. [22], in qua dicitur quod haec Vigilia servat suam commemorationem *etiam in Officio Ss. Nominis Iesu occurrenti.*

VIII. Nunc Solemnitas S. Ioseph celebrabitur feria IV ante Dominicam III post Pascha, cum Octava; unde Lectiones II et III Nocturni sumendae sunt pro die Octava?

Resp. Vide *Variationes* etc., ad pagg. [53]-[56].

IX. Mutationes S. R. C. 11 Iunii 1913, in pag. 42, de Lectionibus I Nocturni in Dominica anticipata, dicunt: « Et in I Nocturno ponuntur Lectiones de Initio Epistolarum b. Pauli, quae in praedicta Dominica IV post Epiphaniam Sabbato ante Dominicam Septuagesimae totum Officium fit de Dominica anticipata cum privilegiis Dominicae; in I Noc-

turno leguntur lectiones de Dominica tantum IV post Epiphaniam (*Initium ad Philippenses*), an Lectio secunda erit *Initium Ep. ad Colossenses,* e feria III, et Lectio tertia *Initium I ad Thessalonicenses* e feria V post Dominicam IV post Epiphaniam?

Resp. Rubrica iuxta praedictas Mutationes in libello *Variationes* relata sic completur: « et initia Epistolarum. Initium vero Epistolae quod assignetur Sabbato, in quo anticipatur Officium Dominicae, ut supra, ponitur in feria proxime antecedenti, iuxta rubricas (pag. [24]) ».

X. In Quadragesima, in Officiis partes suas e novo Psalterio sumentibus, Lectiones I Nocturni dicuntur de Communi; in his Officiis in I Nocturno dicuntur responsoria de Communi, an de occurrente feria ex homilia feriae occurrentis?

Resp. In libello *Variationes,* pag. [32], habetur: « quae (Lectiones I Nocturni de Scriptura occurrenti) si omnino desint, Lectiones *et responsoria* (dicuntur) de Communi primo loco, nisi aliter propriis locis notetur ». Hinc, quamvis responsoria de tempore habeantur, non dicuntur in casu, quia Lectiones non sunt de Scriptura *occurrenti.*

XI. In feria II Rogationum et Vigilia Ascensionis si Lectiones I Nocturni sint de Communi in Officio semiduplici vel duplici, dicuntur ℟℟. e feria occurrente post Homiliam posita, an de Communi? Et si de feria occurrente, post Homiliam posita, an de Communi? Et si de feria occurrente, unde sumetur ℟. tertium in Vigilia Ascensionis?

Resp. Novissimae rubricae (v. *Variationes,* pag. [32], aiunt: « Lectiones et responsoria (si omnino desunt Lectiones de scriptura occurrenti) de Communi primo loco, *nisi aliter propriis locis notetur* »; atqui proprio loco, in casu, notatur (*Variationes,* pag. [28]: « Infra hebdomadam IV post Octavam Paschae usque ad Vigiliam Ascensionis *inclusive,* in omnibus Officiis novem Lectionum feria II et IV responsorium *Narrabo* etc.... Ergo ad propositum dubium respondendum, responsoria esse de tempore ut in novissimis ru-

bricis. Verum ut patet ex textu Breviarii typici illa verba *nisi aliter propriis locis notetur,* non sunt applicanda *responsoriis,* sed *communi primo loco.* Hinc non valet allatum ratiocinium, quod innititur *Variationibus,* quae non valent applicari nisi quando leguntur Lectiones Scripturae de tempore.

XII. Festum Nativitatis S. Ioannis Bapt., iuxta Martyrologium, celebrabitur die 24 Iunii, die 27 erit dies infra Octavam, et die 1 Iulii dies Octava; die 27 Iunii, in II et III Nocturno *a)* dicuntur Lectiones ut in antiquo Breviario, an de prima die libera e novo folio? *b)* Et in die Octava, ex 1 Iulii ut in antiquo Breviario, an e secunda die libera infra octavam e novo folio?

Resp. a) Die 27 Iunii, Lectiones in II et III Nocturno assignantur propria in Breviario, vel pro hac die, vel in novissimis Breviariis, pro II die libera infra octavam. *b)* Provisum per novam rubricam festi pretiosissimi Sanguinis.

XIII. Quomodo Lectiones Nocturni dicuntur in Octavis S. Stephani Protomartyris, S. Ioannis Ap. Ev., Ss. Innocentium, quae sunt ritu simplici et in Breviario deficit Scriptura occurrens?

Resp. Provisum per novissimas S. Sedis dispositiones (v. *Variationes,* pagg. [16]-[21]).

XIV. An infra Octavam Nativitatis non dicuntur commemorationes Octavarum S. Stephani, S. Ioannis Apost., Ss. Innocentium, quae adhuc dicebantur, et etiam iuxta Breviarium Dominicanorum (Ord. Praedicat.) dicuntur?

Resp. Non dicuntur, uti supra, ad n. IV, explicatum est.

XV. Octava Ascensionis Domini est privilegiata, sed infra hanc Octavam fit de Officiis Sanctorum duplicibus vel semiduplicibus. *a)* Iuxta contextum, videtur haec Octava Ascensionis Domini esse privilegiata, sicut Octava Nativitatis Domini. *b)* Et quoad Missas votivas et de *Requiem,* est hoc privilegium ut pro Octava Nativitatis? *c)* Et Vigilia Ascensionis, quia festum est privilegiatum non est privilegiata?

Resp. Quoad *a*) et *b*) Affirmative; quoad *c*) Non est

privilegiata, quia, quomodo constat ex novis dispositionibus de privilegiis Octavae non constat de privilegio Vigiliae. Arbitraria ergo esset haec extensio.

XVI. Quando infra Missam, post Evangelium, praedicatur verbum Dei, est licitum post Evangelium Missae, ante sermonem populo perlegere Epistolam et Evangelium in lingua vernacula, an tantum Evangelium sine Epistola?

Resp. Nihil obstat istiusmodi praxi, quomodo enim legentur eo tempore epistolae pastorales aliaeque ordinationes Praelatorum, ita potest et a fortiori legi epistola diei occurrentis. Saepe insuper epistola coordinari potest cum evangelico sermone.

XVII. Est licitum post Missam lectam populo perlegere Epistolam et Evangelium, vel promulgare ordinem Missarum in feriis et devotiones pro sequenti hebdomada, proclamare sponsos die Dominica, suffragia pro defunctis perlegere, et deinde orationes flexis genibus a Leone Pp. XIII praescriptas dicere?

Resp. Affirmative, saltem in Missa parochiali, imo et in aliis de consensu Ordinarii: et in casu viderentur, post Missam parochialem, omitti posse preces illae finales, iuxta Decretum S. R. C. diei 20 Iunii 1913.

Pro Austria. — I. Iuxta Rubricas reformatas, Tit. V, 1, non liquet omnino hic casus: In aliqua Ecclesia *particulari* die 15 octobris est festum dupl. 1 cl. (utpote Patroni principalis); die 16 octobris reponitur festum S. Teresiae, dupl. 2 cl., et simul occurrit hac die *festum proprium* dupl. mai. (perpetuo), an igitur hoc duplex mai. *commemorandum* aut perpetuo *transferendum* in diem primam liberam? Numquam enim de hoc festo proprio (ritus dupl. mai.) posset esse per extensum Officium et Missa. In hoc titulo V, 1, inter thesim 2 et 3 deprehenditur aliqualis discrepantia (scilicet inter transferendum et non transferendum).

Resp. Ad solvendam difficultatem, considerare oportet, naturam festorum quae impediuntur: festa *particularia* diem propriam perpetuo liberam ad suum recolendum ex integro

Officium habere debent: festum igitur duplex maius *particulare,* nisi possit cum toto suo Officio ipso die in quem incidit celebrari, debet perpetuo assignari in diem primam liberam. In casu, igitur, cum festum duplex maius impediatur perpetuo ab Officio S. Teresiae, quod sua vice impeditur die 15 octobris, et ad diem immediate sequentem reclamat ex num. 2, tituli V, utpote *non impeditam* ab alio Officio duplici I vel II classis, Vigilia privilegiata, aut ab alio Officio quod huiusmodi festa respective excludit, dictum festum duplex maius *particulare* diei proximae liberae assignandum est, ex ultima thesi tituli praedicti, n. 1. — Secunda thesis huius numeri agit de festo, *non particularis ecclesiae,* sed communi, scilicet, Nationis, Dioecesis, Ordinis et Instituti *in particulari ecclesia* impedito; ultima vero thesis de festo Nationis in tota Natione, Dioecesis in tota Dioecesi, Ordinis vel Instituti, in toto Ordine vel Instituto, *particularis ecclesiae* in *particulari ecclesia* impedito. Nulla ergo discrepantia inter secundam et ultimam thesim.

II. Proximo anno, die 25 apr. festum S. Marci occurrit Dominica infra octavam Solemnitatis S. Ioseph; an iuxta Decr. S. R. C., 28 oct. 1913, I. 2) omnes Missae, tum solemnis tum privatae (excepta parochiali et conventuali) esse possint *de Solemnitate S. Ioseph?*

Resp. Affirmative, si agitur reipsa de recolenda *solemnitate externa* festi S. Ioseph; utpote quod, cum hucusque (usque ad decretum 28 octobris 1913) affixum fuerit perpetuo illi Dominicae, ius habet (ex eodem decreto) in ipsa Dominica, ad omnes Missas, ut in casus expositione dicitur, quia revera est solemnitas festi duplicis I classis.

III. Nota est Declaratio S. R. C., (8 febr. 1913, ad II) circa Missas votivas *privilegiatas.* Dubium exoritur, utrum hae Missae votivae privilegiatae licitae sint, aut saltem commemoratio, in Dominicis *anticipatis* et *reassumptis,* et octavis forte privilegiatis etiam III ordinis?

Resp. Quoad Dominicas anticipatas et reassumptas, hoc clare statuitur in ipso decreto 8 februarii 1913, quando ait:

« dictae Missae votivae lectae prohibitae sint *in omnibus feriis* in praefata rubrica enumeratis » ; etiam Dominica anticipata vel reposita non perdit naturam feriae, quamvis potiatur iuribus Dominicae. Quoad vero octavas III ordinis, satis est, decretum dixisse: *octavis privilegiatis;* quia, cum non distinguat de quo ordine sit intelligendum, nulla reipsa distinctio ordinum facienda est. Explicatio quae in decreto invenitur: *sic erit* (privilegium) *applicandum,* refertur ad *ferias,* pro quibus necessaria erat explicatio, sed non destruit ideam octavarum III ordinis, prout non destruit ideam octavarum I et II ordinis, quod facile concedet Rev. Inquirens.

IV. Cum Vigilia Epiphaniae amodo gaudeat omnibus privilegiis Dominicae, an etiam in hac Vigilia dicendum sit *Credo?*

Resp. Etsi Vigilia Epiphaniae D.ni gaudeat omnibus privilegiis Dominicae, non tamen amittit naturam feriae, in qua numquam dicitur *Credo,* quod, uti notum est, non est aliquid intrinsecum Dominicae, prout est Officium, sed prout est revera dies Domini in hebdomada semel recurrens; qua ex ratione dicitur *Credo* die Dominica, etiam recurrente Officio, quod alias excluderet *Credo.* Hinc concludendum videretur, non esse addendum *Credo.* Hoc tamen dici nequit omni cum certitudine, nisi ita disponant novae rubricae Missalis, quas adhuc exspectamus; sed putamus ita dispositum iri, hac in re, ut ratio habeatur omnimodae conformitatis Missae istius Vigiliae cum Missa Dominicae, cui subrogatur.

V. Iuxta S. R. C., 28 oct. 1913, IV, 2, legitur *bis* de festis *propriis* etc. Cum in Calendariis reformatis vere propria festa tantummodo sint relicta, concludendum esse videtur, quod, si ista festa propria accidentaliter impediantur sunt commemoranda aut omittenda, alias, si perpetuo impediantur sunt reponenda.

Resp. Recta est interpretatio, in casu, si scilicet in Calendario non extarent nisi *festa propria.* Hoc dicimus hypo-

thetice, quia ex novissimis rubricis Psalterii (ed. Pustet 1914, altera typica), tit. II, n. 2, lit. *e*) in fine, dicitur adhuc: *Festum universalis Ecclesiae, quia est praeceptivum, ceteris paribus, praeferri debet festis, quae aliquibus locis*-ex mero Indulto S. Sedis *sunt concessa, quin tamen propria,* sensu quo supra, *dici queant.* Possunt ergo hodieque dari festa particularia non propria. Quomodo vero agendum sit de his festis ex mero Indulto, alia quaestio, de qua hic non interrogamur.

VI. In Directorio (1914) pro Clero Romano et Ecclesia universali, pag. 60, die 8 Iun., legitur: « Post Primam, extra chorum dicitur Missa defunctorum »; hoc erroneum esse videtur, quia hac die Missa Dominicae propria reassumenda est, qua die Missae votivae et Missae votivae pro defunctis prohibentur iuxta Tit, X, 2.

Resp. Nullimode erravit Directorium, in casu, quia non agitur de Missa de requie *privata,* quae unice prohibetur; quae autem dicitur extra chorum, eo die, est vere conventualis, ergo eminenter publica et praeceptiva, iuxta rubricas et novissima decreta.

VII. Iuxta novissima decreta. *nulla* festa, etiam dupl. 1 cl. et 2 cl. in Dominicis sunt *statuenda,* sed suis diebus fixis. Solemnitas vero *externa,* iuxta S. R. C., 28 oct. 1913, in Dominica *retineri* potest *(I, 2).* Iam quaeritur, si *per accidens* ista festa dupl. 1 cl. et 2 cl. in Dominica celebrantur in Choro, seu Officium et Missa, nonne *in hoc casu* etiam simul solemnitas externa istorum festorum celebrari debet? Alioquin nonnulla festa dupl. 1 cl. et 2 cl. in Dominicis duabus immediate sequentibus celebrarentur, quod incongruum esse videtur.

Resp. Affirmative; talis est sensus magis obvius decretorum, et ratio idem suadet, quoad festa quae privilegio gaudent ut eorum solemnitas externa ad sequentem Dominicam transferatur. Attamen, si agatur de festo, v. gr. SS. Redemptoris, quod colebatur Dominica quarta Octobris, nunc autem rocoli debet die 15 iulii, aliter est dicendum, quia so-

lemnitas externa ex Decreto 28 octobris 1913 retineri potest in ipsa Dominica, et nulla erit potestas eam celebrandi die 15 iulii in Dominicam per accidens incidente, cum hoc nullibi inveniatur concessum; et incongruum esset, post plurium annorum decursum, festum exterius immutare, quod regulariter alio die recolitur.

VIII. Die 20 Decembris 1913, Sabbato Quatuor Temporum erantne Preces feriales dicendae ad Vesperas iuxta XXXIV, n. 4; an revera in Sabbato nunquam quovis anni tempore ad Vesperas dicendae sunt Preces feriales?

Resp. Titulus XXXIV, n. 4 rubricarum generalium respicit ferias in genere, et non debet referri ad Vesperas sabbati, in quibus iam incipit Officium dominicale, uti ceterum se exprimit nova rubrica ante preces feriales inserta: « in feriis IV et VI *(excluditur nempe Sabbatum)* Quatuor Temporum septembris, si Vesperae fuerint de feria, post repetitam ad *Magnificat* antiphonam, dicuntur flexis genibus sequentes Preces, *quae aliis temporibus omittuntur* (Novum Psalterium Vatic. edit. 1914, p. 46) ».

IX. Possuntne per annum 1914 festa particularia duplicia II cl. cum octava celebrari in Breviario et Missali, iuxta « Motu proprio » 23 octobris 1913.

Resp. Affirmative, iuxta ea quae diximus supra, ad dubium.....

X. In aliqua regione septem sunt Patroni principales; sed ne octavae multiplicarentur, ab Apostolica Sede dispensatum est a celebratione quatuor octavarum. Cum regulares, ad celebrandos Patronos principales, nonnisi ad eos obligentur, qui habent octavas (iuxta S. R. C. 12 dec. 1912, ad VII); satisne certum est, Regulares nonnisi ad tres Patronos celebrandos obligatos esse?

Resp. Affirmative, si agatur de Regularibus proprium Calendarium habentibus, iuxta Decretum in dubio citatum, et aliud a S. R. C. datum die 28 februarii 1914, ad IV: « Ordines amodo celebrare tantummodo debent Officia localia... nec non festa *solemniora* Patronum principalium »,

Ergo, si habentur Patroni, qui gaudent octava, et alii qui ea carent, illorum festa sunt solemniora, horum minus solemnia; igitur de illis fiat apud Regulares, nullimode de istis.

XI. In Officio defunctorum anniversario, quando dicitur unum Nocturnum cum Laudibus (ritu dupl., si pridie vespere recitatur, num de ea feria dicendum Nocturnum, in qua fit Officium, an de ea feria, in qua fit Missa de *Requiem*?

Resp. Officium cum Missa, uti compertum est, intime connectitur; ergo, etiam in casu, idem dies quo celebratur Missa habere censetur suum Officium; ita ut si pridie, vespere, Nocturnum dicitur. idem dicitur cum anticipatione, pro die nempe sequenti, hoc est, Missae: ad diem igitur sequentem pertinere debet.

XII. An revera in Parochiis diebus Dominicis *non* datur *obligatio* aspersionis aquae benedictae super populum ut, invenitur in Missali et Rituali Romano?

Resp. Habetur ad rem decretum S. R. C., sub die 15 decembris 1899, quo dicitur, ecclesias collegiatas teneri de praecepto praemittere aspersionem Missae, quae canitur in Dominicis, et in ecclesiis non collegiatis, aspersionem eamdem *fieri posse.* Ergo si ecclesia parochialis non est simul collegiata, non tenetur.

XIII. In Calendario Ecclesiae universalis die 18 iunii, in die octava Ss. Corporis Christi Lectiones I Noct. e fer. 6 seq. assignantur, nonne hoc erroneum est?

Resp. In die octava SS. Corporis Christi, in I Nocturno dicuntur Lectiones de Scriptura reponenda vel anticipanda, si habentur, secus ut in festo, iuxta novas rubricas. Ergo, cum habentur reipsa Lectiones impeditae in feria VI sequenti, bene hae anticipantur. Mens enim est S. Sedis ut quam plurimum fieri possit, Lectiones de Scriptura occurrenti legantur.

XIV. Incipitne obligare « Motu proprio » diei 23 Oct. 1913, iam a die 25 dec. et sequentibus diebus huius anni? Alio-

quin a die 25 dec. usque 31 dec. iuxta veterem ordinem, a die 1 ian. usque 4 ian. iuxta novum ordinem essent digerenda Officium Missa.

Resp. Obligatio facta est per ipsum Motuproprium, a kalendis anni 1915, quidquid sit de immutatione regularum, per novas rubricas imposita, intra easdem octavas. Ratio indicatur in ipso Motuproprio, sub verbis: « ...ratione habita Kalendariorum, quae iam sunt confecta in annum proximum... ».

Pro Abula in Hispania. — I. Officium proprium S. Elisabethae Reginae Portugallien. (8 iulii) a Calendario Ecclesiae universalis expunctum est. Quodnam Officium in festo, in ecclesiis et locis ubi sit Titularis vel Patrona, recitari debebit? Nonne proprium?

Resp. Affirmative, rite enim in casu applicatur Decretum S. Rit. Congregationis diei 6 decembris 1912; quod, quamvis datum sit pro Officiis expunctis in aliqua dioecesi vel loco, apprime quadrat et pro iis quae in Ecclesia universali imminutionem passa sunt: eadem enim valet ratio.

II. S. Laurentius M. (10 august.) est Patronus loci N. quo in loco Moniales quaedam, Calendarium proprium sui Ordinis habentes, morantur. Moniales istae sub ritu dupl. 1. cl. festum S. Laurentii celebrare tenentur: sed quam octavam servare debebunt, octavam semiduplicem aeu communem, vel octavam simplicem tantum?

Resp. Vide solutionem datam in fasciculo praeteriti mensis, pag. 493, n. I, aliamque in fasciculo mensis maii, pag. 294, II, in qua, ratiocinando conclusimus octavam in casu esse debere communem, secus haberetur novus typus festorum cum octava; duplex scilicet I classis cum octava simplici, qua de re rubrica nihil dicebat, cum tamen casus passim, et non raro, detur. Attamen diximus, dubium nonnisi per recursum ad S. Sedem posse resolvi. Ita igitur factum est, forsan per ipsum interesse habentem, et datum est decretum, quod initio huius fasciculi cum commentario vulgamus, sub titulo: « Dubium, circa festa localia pro Re-

gularibus », quo edicitur octavam in casu esse considerandam ut in Ecclesia universali. Ita libertas agendi, hac in re, sublata est, et notandum in Kalendario Monialium: « duplex I classis cum octava simplici ».

III. Officia propria nonnullorum Sanctorum Hispaniarum, v. gr. B. M. V. de Columna (12 octob.), S. Ferdinandi Reg. (30 maii) etc., pro tota America Latina concessa fuere; nunc e Calendario Dioecesis expuncta sunt; Num Officia propria dictorum Sanctorum (et aliorum) adhuc recitari debeant in locis ubi sunt Patroni vel Titulares?

Resp. Affirmative, uti constat ex decrcto diei 6 decembris 1912, IV.

Pro Galicia. — I. Die 30 octobris agitur festum secundarium, nempe Translationis, Sancti Patroni huius Dioeceseos, cuius insuper habetur in Cathedrali reliquia insignis. An in Missa de praedicto Festo dici debeat Symbolum?

Resp. Affirmative, dummodo recitetur eius Officium saltem ritu duplici minori, et agatur de Patrono principali, iuxta decretum S. R. C., n. 4192, IV.

II. An Lectiones I Noct. S. Cyrilli Hieros. Ep. (18 mart.) in Quadragesima, sint *Fidelis sermo,* ut praescribit novissimum Breviarium Romanum (Desclée et Sociorum), vel *Sapientiam,* iuxta libellum cui titulus: *Varationes in divino Officio recitando etc.?*

Resp. Standum editioni iuxta typicam, Desclée, a S. R. Congregatione approbatae die 28 martii 1914, scilicet post vulgatum libellum *Variationes* apdrobatum die 14 ianuarii 1914.

Pro Belgica regione. — Diffuso calamo Rev. Inquirens dubitat, ratiocinatur, proponit, quaerit circa solutionem a nobis datam dubii VI in *Eggenburg,* pagg. 234, 235 Ephemeridum curr. anni. Potius quam ad singula respondeamus, rogamus ut velit Rev. D.nus considerare, casum propositum fuisse de Lectionibus quae *non inveniuntur in Octavario Romano;* extat equidem Octava SS. Cordis Iesu in Octavario, sed haec habet Evangelium diversum ab eo de quo in loco

ubi surrexit dubium, hinc, tamquam non esset. Solutio a nobis data, iuxta novissimas Rubricas, nisi, etiam post hanc nostram animadversionem arrideat Rev. Inquirenti, faveat alia dubia nitide efformare et ad nos transmittere.

Pro dioecesi Carnuten. – I. Habeo Patronum Paroeciae meae S. Germanum Antissiodorensem Episcopum die 31 iulii; an, hoc anno iam, s. Ignatii commemorationem tantum agere possim in Laudibus et Missis privatis; item in die octava, s. Caietani commemorationem in utrisque Vesperis, Laudibus et Missa, cum nona lectione historica — vel debeam ut antea de S. Ignatio die 26 augusti, de S. Caietano 3 septembris agere (primis diebus liberis post eorumdem festum)?

Resp. Possunt, etiam ante annum 1915, in praxim deduci dispositiones Motus-proprii *Abhinc duos annos* sub finem: « Has ipsas quidem praescriptiones volumus, *statim ut hoc Motu Proprio promulgatae sint,* valere », et etiam quoad partiales immutationes, v. gr. circa n. IV dicti Motus-proprii, qui respicit casum hic propositum. Hoc admittitur apud ipsam Secretariam SS. Rituum Congregationis. Unde: affirmative ad primam partem, negative ad secundam.

II. Olim, ante Proprium Carnutense reformatum, anno 1908, de s. Germano agebatur in festo s. Ignatii per commemorationem in I Vesperis Laudibus et Missa, cum oratione propria et nona lectione historica. Decisio recens S. Congregationis permisit, ut festorum suppressorum in Propriis dioecesanis (si Patronorum festa vel Titularium essent) Officium sicut antea recitari possit a Clero paroeciae, cuius illi sancti Patroni vel Titulares sunt; sed haec decisio posterior est reformationi Proprii nostri; an valeat tamen pro meo casu, et orationem propriam cum lectione historica s. Germani (Proprii Carnutensis ab anno 1865 ad annum 1908 approbati) dicere possim, vel an debeam totum de Communi Confessoris Pontificis dicere?

Resp. Inhaerentes decretis S. R. C., diei 24 Iunii 1914, scilicet: *Decretum seu Declaratio* circa Officia propria, et *Dubium* de Propriis dioecesanis (vide initio fasciculi elapsi

mensis augusti, V et VI), nec non diei 6 Decembris 1912, IV (Ephem. Lit., vol. XXVII, pag. 67) affirmative ad primam partem, negative ad secundam: scilicet, partes propriae, quae habebantur per commemoratione s. Germani in Proprio dioecesano, possunt retineri in Officio, quod in aliquo loco de eo recitantur, v. gr. ratione tituli vel patronatus.

Pro dioecesi Virdunen. — I. Redactio nostrarum Ephemeridum non spondet de veritate expositorum in dubiis, quae ad illam solvenda mittuntur; consequenter si ea resolvit, resolvit hypothetice, et hoc satis est; nimis onerosum foret si certiorem se reddere deberet de iis quae etiam in longinquis regionibus accidunt. Hinc, si ad pag. 679, vol. XXVII assertum vulgavimus de Vigilia SS. Crispini et Crispiniani in dioecesi Virdunen. nihil nobis imputandum est, si assertum veritate caret.

II. Si, considerata origine festi et compositione Officii Omnium Sanctorum, videtur alicui melius eidem festo congruere colorem rubrum, sit hoc illi cum bona pace. Non latuerunt hae rationes Apostolicam Sedem, sed praevaluit, ut videtur, ratio obiecti praecipui, seu dignioris illius festi, consideratur nimirum honor qui defertur B. Mariae Virgini, Reginae Sanctorum omnium, Angelis et Archangelis, S. Ioanni Baptistae (qui in praecipuo festo colore albo honoratur), S. Ioseph, ex quibus Beata Virgo cultu speciali gaudet hyperduliae, et alii dignitate praecipua pollent; insuper non veneramur eo die natalitium Sanctorum, sed eorum glorificationem.

III. Rubricae quae sunt de oratione *Fidelium* dicenda in Missa de feria per annum, ita accipiendae sunt, ut semel oratio dicatur, tam propter primam diem liberam in mense, quam propter recursum feriae II in hebdomada. Ita omnes interpretantur.

Pro Anglia. — Quod attinet fundum sub reticulato in manicis albarum pro sacerdote celebrante et ministris, regulare est quo respondeat dignitati ipsius celebrantis et ministrorum (S. R. C., n. 4186, III); cum tamen S. Congregatio

noluerit omnino directe respondere dubio an toleranda sit consuetudo utendi fundis rubri vel violacei coloris, non nimis insistendum, si ratione solemnitatis promiscue albae ita ornatae adhibentur. Etiam in populo, saltem plurimis in locis, non habetur id quasi signum dignitatis. Ecclesiae tamen bene ordinatae abstineant ab huiusmodi promiscuitate, et arceantur omnino colores caeruleus, rosatus aliive a nemine in vestibus usitatis.

Pro dioecesi N. — I. Caeremoniale Episcoporum (lib. II, cap. III) in Vesperis solemnibus praeter altare chorale non praescribit adoleri altare SS. Sacramenti. Martinucci vero (Lib. II, cap. II, n. 58; Lib. VIII, n. 69-71) hanc thurificationem concedit in locis tantum ub mos invaluit. Decreta denique S. R. C. nn. 915, III, et 3110, VI, hanc thurificationem praescribunt « quando Episcopus Vesperas non persolvit ». Quaeritur: *a*) In locis ubi haec thurificatio numquam peracta fuit, debetne fieri in posterum? *b*) Quando, in quibus Vesperis et quomodo haec thurificatio peragenda sit, quum probati auctores de hac re nihil explicite doceant?

Resp. In tertia editione operis Martinucci quam curavit R.mus Menghini (Vol. II, ed. Pustet, 1912, pag. 21, n. 58), res ad tramitem decreti S. R. C., 30 augusti 1876, scilicet postquam Martinucci editionem alteram iam ediderat, n. 3410, I et II, composita est. Habetur ibi nimirum: « I. An thurificatio altaris in quo asservatur SS.mum Sacramentum, quando est distinctum ab altari chori, sit *praeceptiva,* quum Vesperae canuntur a simplici Sacerdote vel Canonico? Affirmative; et detur decretum in una Nullius dioecesis provinciae Treviren., sub die 19 septembris 1665, ad I (n. 1322). II. An talis *obligatio* adsit quando Vesperae celebrantur ab *Episcopo loci Ordinario?* Negative; et servetur Caeremoniale Episcoporum, lib. II, cap. I, § 14, et cap. II, § 9 ».

Hinc resolve: *a*) Etiam in locis ubi haec thurificatio numquam peracta fuit, instituenda est. *b*) Ante thurificationem altaris chori, ut se exprimit decretum citatum, n. 1322, I. In Vesperis, in quibus celebrat simplex Sacerdos, Cano-

nicus et etiam Episcopus non Ordinarius: duo primi vi positivi praecepti decreti 3410. I. Episcopus vero extraneus vi exclusionis solius Ordinarii, ut in eodem decreto sub n. II. Circa modum peragendi hanc thurificationem consulatur Martinucci, qui rite illum proponit.

II. Sunt qui credunt, Episcopum posse, iure proprio, in privatis domibus, concedere licentiam erigendi altare Missamque celebrandi si altare, licet extrinsecus, adhaereat parieti cuiusdam Ecclesiae; alii vero hoc concedunt, dummodo tamen per fenestram in pariete factam Ecclesia pateat. Ita omnes Parochi pollerent quodammodo de licentia Episcopi privilegio Oratorii privati. Quid tenendum?

Resp. Certum est, loca cum ecclesia communicantia, considerari posse quasi illius appendices, ita chorus per fenestram cum ecclesia coniunctus aptus est et ad Officium canonice persolvendum, et ad Missam celebrandam. Hoc tamen in praxim deduci nequit, nisi ob *publicum* ecclesiae servitium, non ad privatorum commodum. Ita posset v. g. chorus hiemalis statui in cubiculo etiam superiori cum ecclesia communicante per fenestram; posset altare erigi in cubiculo ecclesiae adhaerente ad instar cappellae seu oratorii, v. g. ad celebranda Matrimonia secreta, ad aliosque publicae utilitatis usus, prout passim habentur in ecclesiis, et etiam erigi in ipso sacrario. Imo, non modo prohibetur altare in privatum usum adhaerens ecclesiae, ac etiam per fenestram communicans; sed neque permittitur simplex aperitio fenestrae ob privatum commodum seu devotionem.

Habetur ad rem decretum S. C. concilii, quo Sacra Congregatio « censuit non licere alicui, absque speciali Sedis apostolicae facultate, fenestras nec alios aditus habere ad ecclesias pro Missis et aliis divinis Officiis audiendis (in Lusitan., 16 martii 1652). S. C. Episcopor. et Regularium edixit non debere Ordinarium permittere ut a domibus privatis habeatur imgressus aut prospectus in ecclesias absque S. Congregationis licentia (in Hieracen., 6 decembris 1612). Cum Archiepiscopns Elboren. postulasset ut confirmaretur aperitio

parvae fenestrae, quae ex aedibus suis in ecclesiam prospiciebat, quam etiam transenna munivit, ut inde, non visus ab aliis, divina Officia quandoque audire posset, et per eam aspicere, an recte et decenter ecclesiastica munia executioni mandarentur, S. Rituum Congregatio respondit: « Pro usu et persona Archiepiscopi tantum, concedi posse (die 19 iunii 1604, n. 166) ». M.

Pro Bavaria. — *Q.* 1) Die 22 iulii celebratur octava Titularis; pro festo S. Mariae Magdalenae duplex maius est assignata dies 24 iulii. Quaeritur:

Nonne possunt die 22 iulii Missae privatae dici de S. Maria Magdalena cum com. oct. Titularis? iuxta Decretun Generale super « Abhinc duos annos » IV, 2.

Q. 2) In Praefatione ad nostrum Calendarium novum P. Superior Generalis scribit: « Hoc autem anno, uti R.mus Secretarius Rituum declaravit, Officium *communiter* recitandum et Missa celebranda erunt iuxta Directorium decurrentis anni, ad normam veteris Kalendarii. *Privatim* tamen, liberum cuique erit, iam ex hoc anno, Officium divinum novo accomodare Kalendario. Quaeritur: Num prohibentur etiam Missae **privatae** NOVITER celebrandae.

In Praescriptionibus Temporariis pro 1912 aliter disponebatur (numero II).

Q. 3) Cum aliquo Collegio C. S. S. R. coniungitur in unum Ecclesia parochialis, ubi semper plurimi Patres celebrant, confessiones audiunt et quaedam Festa propria nostrae Congregationis ex privilegio celebrant. Ecclesia propria deficiente, quaeritur:

Debet vel potest hoc Collegium celebrare Dedicationem huius Ecclesiae? Et si affirmative, debemus simul cum Parocho celebrare, vel die, quo habemus Dedicationem omnium Ecclesiarum Ordinis?

Resp. I. Sacerdotes qui, iuxta concessionem, de qua in quaesito II, iam ab hoc anno 1914 novissimas rubricas sequuntur, bene possunt die 22 Missam de S. M. Magdalena celebrare, cum commemoratione diei octavae Titularis. Qui

vero hoc anno utuntur kalendario iuxta antiquas rubricas exarato, die 22 nequeunt celebrare Missam de S. M. Maria Magdalena, de qua agunt festum proxima die 24 iulii.

Resp. II. Aliud est officium recitare aliud Missam celebrare iuxta novissimas praescriptiones, Missa enim celebrari debet iuxta kalendarium ecclesiae in qua celebratur. Quod si agatur de oratorio privato, tunc Missa concordare debet cum officio recitato.

Resp. III. Ecclesia, de qua agitur in casu, non est omnino propria Clericorum Ss.mi Redemptoris, licet in ea ipsi nonnulla sacra ministeria peragant; hinc Missam ipsi celebrare debent iuxta calendarium ipsius ecclesiae. Hinc est, quod in die Dedicationis illiusmet ecclesiae, sacerdotes praedicti celebrare debent Missam de ipsa Dedicatione, licet officium recitent iuxta calendarium propriae Congregationis.

Pro N. in dioec. Adrien. — I. Communis apud plures venetas dioeceses mos est ut populus ante Missam parochialem aspergatur, at sacerdos qui aspersionem peragit induat paramenta missalia excepto tantum manipulo. Nonnulla incommoda sic precaventur, nam ipse sacerdos immediate ante aspersionem Communionem distribuit, et post aspersionem Missam celebrat, quin sacrista laicus ad scamnum accedat pro scenae, ut dicam, mutatione. Addendum est hunc morem hodie maxime videri aptum in ecclesiis ubi pluviale viride desideratur. Si Communio distribui potest cum planeta, et post Missam permittitur Benedictio cum Pyxide, planeta retenta, et alias functiones peragere, quid prohibet ut hic mos servetur, cum et decentiae consulat?

R. Servari potest exposita consuetudo; debet tamen, in casu sacerdos accipere planetam et manipulum post aspersionem, iuxta decr. S. R. C., n. 3697, VIII.

II. In Proprio huius Dioecesis festum S. Marci est ritus dupl. 2. cl. sine oct. ut in Ecclesia universali. Norunt omnes, S. Marcum Patronum Ditionis ex-Venetae fuisse, ob quam rationem usque ad annum 1911 semper celebratum est huiusmodi festum ritu qui Patronis competit cum praecepto

audiendi Sacrum etc. Dioecesis Adriensis ab anno 1818 ad Venetam ecclesiasticam Provinciam pertinet; sed semper Ditioni Venetae in civilibus addicta fuit. Proprius Patronus est S. Bellinus Ep. M. Est ne colendus etiam S. Marcus sub ritu duplici 1 cl. cum oct.? In casu negativo: quid dicendum est de rubrica in qua mentio fit de Patrono Nationis, Regionis etc.? Et quid de responso ab Ephemeridibus dato pag. 249 huius anni? Quin recurratur ad S. R. C. estne corrigendus error?

R. Standum est ad Calendarium noviter a S. R. C. recognitum et adprobatum, ita ut S. Marcus coli debeat ritu, quo in eodem calendario est inscriptus. P.

Pro Forolivii. — Q. Quando Rubrica permittit Missam choralem ad libitum de Dominica vel aliam votivam ordinariam, et celebrans est mansionarius, haec electio pertinet ad Caput Chori, vel ad Hebdomadarium, vel ad Mansionarium celebrantem, vel ad Capitulum?

R. Pertinet ad Capitulum, prout S. R. C. disposuit.

Q. Capitula Cathedralia debentne canere Missam de Rogationibus (quae est principalis) in Cathedrali, ubi facere debent Chorum, an in Ecclesia ad quam fit Processio?

R. Iuxta locorum consuetudinem; melius tamen et antiquitati conformius, si celebretur in ecclesia ad quam accedit processio.

Q. Suntne authenticae hae responsiones quae in Epitome ex Decretis Authenticis (a Sacerd. Bartholomaeo Manassero collecti. Torino 1905 Artigianelli) habentur circa vota?

1. Vota Universitatum, civitatum seu locorum servandi ex praecepto festa, ieiunia, processiones etc. obligant tantum voventes (23 iunii 1703-2113 ad 1).

2. An si confirmata sint ab Episcopo, cum praecepto ut ad ea teneantur etiam successores, isti teneantur saltem ex vi praecepti? Respondit: *Negative* (19 nov. 1630-932).

R. Authenticae sine dubio sunt responsiones istae, nam inter decreta S. R. C. authentica declarata inscribuntur; attamen in locis ubi de facto et continuata consuetudine,

vota, de quibus agitur, servata fuere, hodie quoque servari debent, nisi recurratur ad S. C. Concilii, pro dispensatione, prouti factum est Placentiae, ubi anno 1911 dispensatum est a voto ieiunandi in vigilia, et audiendi Sacrum in festo Ss. Decem millium crucifixorum.

Q. In nostra Cathedrali, ratione Benedictionis cum SS.mo Sacramento, cantatur quotidie Missa post Nonam, quamvis non fiat processio, haec consuetudo potestne retineri?

R. Negative, ut pluries declaravit S. R. C.

Q. Capsula de qua loquitur Rubrica, in qua feria 5ª in Coena Domini reponitur SS. Sacramentum potestne habere formam urnae sepulcralis, an debet praeferri tabernaculum ordinarium?

R. Non est de praecepto ut capsula in casu, formam ordinarii tabernaculi praeseferat; imo universalis praxis, etiam Romae, admittit capsulam ad modum urnae; eo vel magis quod S. R. C. declaravit, illa repositione, etiam sepulturam Domini repraesentari.

Q. In Missis Defunctorum cantatis, cum tribus orationibus, in quibus prima est specialis, 2ª oratio potestne esse pro privata persona, v. g. pro patre et matre Celebrantis, an debet esse – Deus, veniae largitor – ut in missis quotidianis?

R. Negative, ad 1ᵃᵐ partem si agitur de Missa conventuali; affirmative ad 2ᵃᵐ.

Q. Quando lectiones 1ª noct. (ut in festo S. Ioann. a. P. L.) sunt de scr. occurrenti, ℟℟. sunt de festo, an de feria?

R. Lectiones dicendae in festo S. Ioannis ante Portam latinam semper sunt propriae, sive legatur initium epistolae primae eiusdem Apostoli, sive legantur ex libro Apocalypsis, vel de alia epistola, si occurrant; ideoque Responsoria erunt semper de communi.

Q. Quando applicatur pro Confraternitate erecta in capella quae fuit coemeterii nunc destructi, in qua iacent adhuc corpora Confratrum, haec Missa potestne dici de defunctis uti si capella esset veri sepulcreti?

R. Negative, ex S. R. C. decreto n. 4096 ad 1.

Appendix.

SACRA CONGREGATIO S. OFFICII

(Sectio de Indulgentiis)

I.

DECRETUM

seu declaratio circa modum benedicendi quaedam devotionalia Apostolica auctoritate.

Consuevit Apostolica Sedes in facultatibus concedendis, quae benedictionem respiciunt crucium, coronarum, numismatum, aliorumve devotionalium, permittere ut sacerdotes delegati unico crucis signo utantur, nulla adhibita formula, nullis vestibus sacris, absque aliis caeremoniis; at pluries dubitatum est, utrum signum crucis toties peragendum sit, quot sunt res diversae benedicendae, vel diversae facultates quibus gaudet sacerdos, an quolibet in casu unicum generaliter signum sufficiat.

Et Ss.mus D. N. D. Pius div. prov. Pp. X, in audientia R. P. D. Commissario S. Officii, feria V, die 18 maii, anno 1914, impertita, audito E.morum Patrum Inquisitorum generalium suffragio, feria IV praecedenti in ordinaria Congregatione emisso, decernere et declarare dignatus est ut sequitur : « In benedi« cendis pluribus similibus aut diversis religionis obie« ctis, quae sacerdoti, pluribus munito facultatibus, co« niuncta vel commixta offeruntur, atque in ipsis, vigore « diversarum facultatum, indulgentiis ditandis, suffi« cere unicum signum pro pluribus benedictionibus « atque indulgentiarum adnexionibus. Et declaratio

« non extendatur ad metallica numismata scapularibus « substituenda, de quibus in decreto S. Officii, dato « die 16 decembris, anno 1910 ». Contrariis quibus- « cumque non obstantibus.

D. Card. Ferrata, *Secretarius*.

L. ✠ S.

Fr. Dom. M. Pasqualigo, O. P., *Comm. G.lis S. O.*

II.

DECRETUM

seu declaratio circa sacerdotes delegandos ad absolutionem generalem et benedictionem papalem Tertiariis saecularibus impertiendas.

Ad supremam hanc Congregationem S. Officii sequens dubium pro opportuna solutione propositum fuit: « Cum penes Superiores Regulares sit facultas « delegandi sacerdotem ad Absolutionem generalem « et Benedictionem papalem impertiendam Tertiariis « saecularibus, quaeritur, utrum superiores illi possint « delegare sacerdotem non approbatum ad confes- « siones audiendas, saltem si ille sacerdos sit ex suis « subditis, et hoc fiat in propriis ecclesiis ».

E.mi et R.mi Patres Cardinales Inquisitores generales, feria IV, die 27 maii, anno 1914, in ordinaria Congregatione adunati, respondendum esse censuerunt: « Superiores Regulares posse ad Absolutionem « generalem et Benedictionem papalem impertiendam « Tertiariis saecularibus in propriis ecclesiis delegare « sacerdotes sui Ordinis, etiam non approbatos ad con- « fessiones audiendas ».

Et Ss.mus Dominus noster D. Pius div. prov. Pp. X, in audientia R. P. D. Commissario S. Officii impertita, feria V, die 28, iisdem ac supra mense et

anno, sententiam E.morum Patrum benigne approbare dignatus est. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

D. CARD. FERRATA, *Secretarius.*

L. ✠ S.

Fr. Dom. M. Pasqualigo, O. P., *Comm. G.lis S. O.*

BIBLIOGRAPHIA

SACRAE LITURGIAE PROMPTUARIUM, iuxta novam Rubricarum reformationem Bullae « *Divino afflatu* » et recentissima S. R. C. Decreta, cura et studio **P. Victorii ab Appeltern,** Ordinis Fratrum Minorum Capuccinorum Provinciae Belgicae Exprovincialis et Iuris Canonici ac S. Liturgiae Lectoris emerii. Brugis, Sumptibus Caroli Beyaert 1914, in 8, tres partes in duo volumina.

TOMUS I — PARS I — Introductio ad S. Liturgiam et Rubricae Missalis Romani ac Caeremonialis Episcoporum, Pag. XIX 648.

TOMUS II ET III — PARS II. Rubricae Breviarii Romani. Pag. 176.

et PARS III — Rubricae Ritualis Romani. Pag. 248.

Cum legislatio liturgica in hisce ultimis annis tot et tantas mutationes subierit, cultores omnes S. Liturgiae certe confiteri debent opus aliquod liturgicum abhinc aliquos annos compositum et typis datum quasi inutile et in vanum in praesenti evasisse et consequenter quasi ex integro esse reformandum.

Hinc cl. noster collega, Adm. R. P. Victorius ab Appeltern, celebratissimus huius temporis Rubricista, optimum opus operatus est, offerens S. Liturgiam amantibus novum opus liturgicum omnino completum, stylo facili et methodico exaratum, et quantum possibile hodiernis S. Liturgiae leuibus revera conforme.

Cum autem praesens opus omnino differat a suo opere antiquo, Manuali Liturgico, non solum quoad res et contenta, sed etiam quoad divisionem Capitum, concinnitatem formam et qualitatem typorum, auctor praesenti operi iure merito deditnovum titulum, scilicet S. Liturgiae Promptuarium.

Cunctis igitur S. Liturgiae Studiosis praesens opus maxime commendamus, persuasi quod hoc Promptuarium omnibus sit unum ex hodiernis Manualibus accuratissimum et utilissimum.

P. PETRUS MARIA DE AMICIS P. C. M.

PROPRIETAS LITERARIA

IMPRIMATUR
Fr. ALBERTUS LEPIDI O. P., S. P. A. Magister.

IMPRIMATUR
FRANCISCUS FABERJ, Vicariatus Urbis *Adsessor.*

AUGUSTUS ZUCCONI, Director Domus editricis Desclée et Soc., Romae, *Sponsor.*
Ex Officina Polygraphica Latiali, Fratrum Tempesta, Via Boccaccio, 7 - Roma

Expositio Rubricarum.

COMMENTARIUM

in novissimas Rubricas iuxta Motu proprio S. Mem. Pii Pp. X "Ab hinc duos annos" et subsequens S. R. C. Decretum 28 Octobris 1913 emendatas.

(Continuatio. Vide num. 9 curr. anni, pagg. 524-539).

DUPLICIA II CLASSIS SECUNDARIA

Festum SS.mi Nominis Iesu
» Inventionis S. Crucis (111)
» Pretiosissimi Sanguinis D. N. I. C. (112)
» septem Dolorum B. Mariae Virg., mense Septembri (113)
» SS.mi Rosarii B. Mariae Virg. (114)

(111) Fuerunt qui proposuerant ut festum Inventionis s. Crucis, inter primaria festa esset recensendum; quia mysterium Crucis et cultus huius vivifici ligni, in alio Domini nostri festo non comprehenditur. Scimus quod mysterium mortis Christi veneratur et colit Ecclesia, feria vj maioris hebdomadae, sed, sicuti feria v praecedenti memoria agitur de institutione Sacramenti Eucharistici, et tamen festum ss. Corporis Christi inter primaria recensetur, quia agitur, ut ita dicam, de glorificatione ipsius Sacramenti, ita pariter dicendum est de festo sanctae Crucis, in quo triumphus eius praecipue et ritu paschali recolitur.

Neque dicatur, quod ex Decreto S. R. C. 5 febr. 1895 aperte declaratur esse festa secundaria, *Festa sive Domini sive*

b. Mariae . . . uti Inventionis etc., quia evidenter ibi agitur de *inventione* corporum sanctorum, praeter eorum natalem diem. Itaque cum sancta mater Ecclesia, pro celebratione festi principalis s. Crucis elegerit diem, in qua inventa fuit Crux ipsa, quodammodo agitur de eius natali, sicut ait pseudo-Augustinus (brev. rom. die 22 febr.) loquens de Cathedra s. Petri, cuius festum vocat *natale Cathedrae*. Hac ergo de causa, et quia revera de s. Cruce non agitur memoria specifica in alio festo, toto iure inter festa primaria esset recensendum festum eius Inventionis, quod ritu solemniori celebratur, et erat festum cum feriatione. Quoniam vero antiquitus festa cum feriatione et cum ritu classico non instituebat Ecclesia, nisi ageretur de principalibus; et cum inter ipsa festa cum feriatione, et sub ritu 2 classis celebrandam recensuit Inventionem s. Crucis, dicendum est, quod secundarium festum numquam existimavit. Perlege syllabum festorum, quae cum feriatione erant recolenda, et inter ipsa, solummodo festum s. Crucis invenitur, quod, post annum 1895, uti secundarium habitum fuit. Haec quae scribimus, scientifice loquendo, dicta sint tamen sub censura, et usque dum aliter a competenti auctoritate decernatur, Inventio s. Crucis inter secundaria festa est de facto recensenda.

(112) Festum pretiosissimi Sanguinis D. N. I. C. quod antea aliquibus in locis recolebatur, ad universam extendit ecclesiam Pius ix ad preces, uti traditur, b. Gasparis del Bufalo, piissimi sacerdotis ramani, qui congregationem insteuerat sub titulo pretiosissimi Sanguinis. Licet inter festa secundaria censeretur, nihilominus, in ipso decreto extensionis, privilegio donabatur translationis in crastinum, quando a nobiliori officio esset impeditum.

In dominica j iulii celebrabatur cum officio proprio, scilicet cum officio illo quod saeculo xviij concessum fuerat pro dioecesi Sarzanensi; attamen inter festa feriata numquam fuit adnumeratum, ideoque, cum nunc die 1 iulii repositum fuerit, non tamen in catalogo festorum cum feriatione, etiam sublata fuit adnumeratum.

(113) Duo festa habentur in breviario quae sub nomine Septem Dolorum b. Mariae inscribuntur. Antiquum est satis illud quod recolitur feria vj hebdomadae Passionis; de eo, uti scribit Benedictus xiv (Fest. II, iv, 9), notitia habetur in concilio Coloniensi (1423), quod postea ad multas transiit ecclesias, ut docet Guyet (I, i. 16 et alibi passim), sicque de facto, paulatim fere ubique huiusmodi festum, populo christiano tam carum, celebratum est.

Citatus Guyet (I, vj, 13) refert ex Beda et aliis, qui terram sanctam descripsere, quod in via, quae ducit ad Calvarium, extructum olim fuit templum, cuius ruinae adhuc extant, sub titulo s. Mariae de Spasmo, quia eo loco dicitur b. Virginem occurrisse Filio suo crucem gestanti; sub eodem vocabulo extat eximia picta tabula Raphaelis Urbinatis, nuncupata: « lo Spasimo di Sicilia ». Denominatio autem Septem Dolorum non est antiqua, nam vocabatur vel festum Compassionis b. Mariae, vel Nostrae Dominae de Pietate, vel simpliciter Dolorum b. Mariae.

Numerus septenarius dolorum Sanctissimae Virginis perdolentis, postea ex privata fidelium devotione inductus fuit, maxime in Italia; forsan ut ad instar Viae Crucis Domini institui posset et Via Matris dolorosae, quomodo factum est apud ecclesias Ordinis Servorum b. Mariae.

Licet ex decreto Benedicti xiij d. d. 22 augusti 1727, instante generali illius ordinis Petro Pieri, postea Cardinali, festum istud feria vj hebdomadae Passionis celebrandum institutum fuisset; et licet unicum esset festum in breviario romano, de Doloribus b. Mariae, nihilominus, in correctione breviarii coepta a Benedicto xiv paucis post annis, inter illa nonaginta et unum festa erat, quae, unanimi voto commissionis pontificiae, ex breviario erant expungenda (Roskowany V. p. 622-614) (1).

---

(1) Ordini Servorum b. Mariae S. R. C. die 9 iun. 1668 concessit missam in honorem septem Dolorum pro dominica iij septembris, et die 15 sept. eiusdem anni etiam officium sub ritu duplici.

Festum autem quod celebratur mense septembri, licet in decreto 18 sept. 1814, quo Pius vij ad universam ecclesiam in dominica iij eiusdem mensis recolendum extendit, illud dicatur festum b. Mariae Perdolentis nihilominus sub vocamine VII Dolorum inscriptum fuit. Ad ritum duplex 2 classis Ss. D. N. Pius x evexit, nunc vero die 15 septembris perpetuo celebratur; et eandem ob rationem notae praecedentis, inter feriata festa non est recensendum.

Quando, ad ritum 2 classis evectum fuit hoc festum, agitata est quaestio an inter primaria festa esset necne recensendum, eo vel magis quia habetur aliud festum in hebdomada Passionis.

Procul dubio nos ipsi huiusmodi inscriptionem necessariam esse arbitrabamur, non tantum quia nunc celebratur sub ritu classico, sed etiam quia in nullo festo b. Mariae mysterium Dolorum eius comprehenditur.

Praevaluit tamen sententia eorum, qui nolebant ut festum istud, recentis inventionis, perturbaret celebrationem festi s. Matthaei apostoli in casu simultaneae occurrentiae. Nunc vero, huiusmodi occurrentia impossibilis evasit, postquam non amplius in dominica celebratur, ideoque, si nunc denuo haec quaestio agitaretur, forsan primarium festum declararetur.

(114) Festum Rosarii b. Mariae virginis in universa ecclesia pariter recentis est institutionis. Pius v ob obtentam magnam victoriam ad Echinadas aquas die 7 octob. 1571, festum quidem pro gratiarum actione in honorem b. Virginis de victoria in martyrologio praescripserat; Gregorius

---

Forsan erat officium de beata ut in aliis festis, nam die 6 maii 1673 concessit officium proprium. Postea die 2 aug. 1692 evectus est ritus ad duplicem 2 classis cum octava, et die 12 nov. 1727 ad ritum duplicem 1 classis; tandem die 12 nov. 1806 octava declarata est privilegiata.

Haec omnia in favorem Ordinis Servorum concessa hausimus ex R. P. Lotharingo Raffaelli ex eodem Ordine, cui gratias agimus.

vero xiij festum sub nominatione s. Mariae de Rosario instituit, pro iis tantum ecclesiis, in quibus altare de Rosario extabat, dominica j octobris celebrandum. Clemens x autem litteris suis datis die 26 sept. 1671 ad totam Hispaniam festum istud extendit; quod postea S. R. C. aliis dioecesibus paulatim indulsit. Tandem Clemens xj, suo decreto 3 oct. 1716, in memoriam victoriae, quae contra Turcas ad Tenivariam in Pannonia ab imperatoris Caroli vj exercitu, eo ipso anno, parta fuerat, ad universam extendit ecclesiam. Officium tunc recitabatur ut in festo b. Mariae ad nives, cum lectionibus ex sermone s. Augustini ad Rosarii festum accommodatis, in quibus nulla de institutione Rosarii mentio habebatur; sub pontifice autem Benedicto xiij, promotoris Fidei munere fungente Prospero Lambertino, novae lectiones secundi nocturni editae sunt, quibus docemur de institutione Rosarii, ac de eius festivitate in tota Ecclesia celebranda (Cf. Benedictum xiv de fest. II, xij, 12–17).

Leo denique xiij, postquam duobus decretis, 1 sept. 1883 et 30 aug. 1884, praescripsisset ut in omnibus catholici Orbis cathedralibus et parochialibus templis, et oratoriis b. Mariae dicatis, mariale Rosarium (1), cum litaniis lauretanis, per

(1) Usus numerandi preces aliquas breves vocales, pluries repetitas, per quosdam globulos mobiles, filo insertos, satis antiquus est, ac de eo memoria invenitur ante s. Dominicum (Kellner II, 29), immo teste Sozomeno (*Hist. Eccl.* c. 29) antiquissimi eremi patres preces usurpabant per calculos numeratas.

Et quia fratres laici ordinum Regularium, loco officii divini, preces illas recitabant, statis horis diei, vocatae sunt *psalterium laicorum,* eo vel maxime, quia pro 150 psalmis recitabantur 150 salutationes angelicae, interiectis 15 *Pater* et *Gloria.*

Hac de causa sunt qui adhuc dubitant, an revera s. Dominicus fuerit Rosarii marialis institutor vel tantum propagator, et citatus Kellner, aperte negativam sententiam tenet. Leo xiij in suo brevi *Ad praesidium,* 10 dec. 1883, sine dubitatione auctorem Rosarii facit s. Dominicum.

De hac quaestione agit Benedictus xiv (*Fest.* II, xij, 2), et ad

totum mensem octobrem quotidie recitaretur, alio suo decreto 11 sept. 1887, n. 3681, iussit ut, sub ritu duplici 2 classis, festum b. Mariae de Rosario in tota Ecclesia celebraretur. Anno vero sequenti, die 5 aug., revocato officio de communi, officium proprium cum missa, ad usum Ordinis Praedicatorum, ad universam Ecclesiam extendit.

DUPLICIA MAIORA PRIMARIA

Dies Octava cuiuslibet Duplicis I classis Primarii
Dedicatio Basilicarum Ss. Petri et Pauli App. (115)
Dedicatio S. Mariae ad Nives (116)
Praesentatio B. Mariae Virg. (117)
Festum Ss. Angelorum Custodum
Decollatio S. Ioannis Baptistae
Festum S. Barnabae Ap.
» S. Benedicti Abb.
» S. Dominici Conf.
» S. Francisci Assisien. Conf.
» S. Francisci Xaverii Conf.
» Patronorum minus principalium.

(115) Festum Dedicationis basilicarum ss. Petri et Pauli, in catalogo festorum, quae uti primaria sunt habenda, positum fuerat post festa Angelorum, quasi esset festum apo-

sententiam affirmativam sustinendam, adducit bullam Alexandri iv d. d. 24 ian. 1259 (non 1294), editam a nostro concive Petro Maria Campi (*Hist. eccl. di Piacenza,* II, p. 406), qua indulgentiam elargitur confraternitati b. Mariae, erectae in ecclesia s. Ioannis *in canale* fr. Praedicatorum civitatis Placentiae, et ait hanc sodalitatem fuisse nuncupatam a Ss.mo Rosario; attamen, licet praedictus scriptor Campi (ib. p. 216) hoc ipsum dicat, nihilominus in bulla ab eo relata nullum verbum invenitur de huiusmodi nuncupatione a Ss.mo Rosario; deficit ergo in hoc pontificio documento vis pro casu nostro probandi.

stolorum; in editione typica, inscriptum fuit inter festa Domini.

(106) In catalogo a decreto generali 22 augusti 1893 edito; inter festa primaria inscriptum fuit festum Dedicationis b. Mariae ad nives; attamen, si *officium* huiusce festivitatis inspicimus, statim noscimus, agi de officio prorsus secundario b. Mariae; si vero consideratur *festum* et obiectum festi, quod ea die celebrat romana ecclesia, nempe Dedicatio basilicae liberianae, tunc esse festum primarium dicere cogimur. Siquidem, uti iam diximus, apud antiquos saepe saepius anniversarium Dedicationis alicuius ecclesiae confundebatur cum festo Titularis eiusdem, prout probant liturgistae insigniores (Cf. Magani, *Lit. Rom.* III, 314).

De hoc festo iam mentio habetur in calendario filocaliano sub nomine: *S. Mariae maioris* (Cf. Baümer I, 270), nil vero de Dedicatione aliarum basilicarum Urbis, sed tantummodo die 29 iunii invenitur inscripta Dedicatio Baptisterii Lateranensis. Saeculo xiij postea in breviariis de Curia, apparent festa Dedicationis basilicarum, tum Lateranensis, tum ss. Petri et Pauli; tunc autem erant festa solummodo romanae urbis.

Sub Benedicto xiv, « quia incerta sunt ea quae in lectionibus narrantur », proposita fuerat mutatio lectionum historicarum huius festivitatis b. Mariae ad nives; imo et festum ipsum vocari debuisset: *Dedicatio s. Mariae,* et non amplius *s. Mariae ad nives* (Cf. Baümer II, 382-396).

Itaque, licet officium huius diei sit in honorem Titularis, nempe b. Mariae, per illud tamen reolitur Dedicatio Basilicae liberianae, et tamquam Dedicatio, esse non potest nisi festum primarium, ut alibi demonstratum est.

Ideoque huiusmodi festivitas est prorsus sui generis, nam, quoad *officium,* est de beata Maria, quoad vero *festum* celebratum, est de Dedicatione Basilicae liberianae, cuius festum decet ut in universo Orbe recolatur, prout celebrantur Dedicationes Basilicarum maiorum Urbis, Vaticanae scilicet et Lateranensis.

Quia ergo *officium* huius *festi* est de Beata, si occurrat in dominica, officium recitabitur de ipsa dominica cum commemoratione b. Mariae, agitur enim de festo Domini, habens officium quod Domini non est, ac proinde officium dominicae praevalere debet, iuxta novissimas rubricas.

(117) Festa Praesentationis b. Mariae et Decollationis s. Ioannis Baptistae inter primaria festa recensita fuere; facta enim in eis specialiter commemorata, si conferantur cum aliis festis solemnioribus eiusdem personae, licet sint minoris momenti, ideoque secundaria, uti notavimus supra (nota 34), relate tamen ad festa sanctorum, revera uti primaria festa sunt consideranda.

(118) Festa Ss. Angelorum Custodum et Ss. Benedicti ab., Dominici et Francisci Assisiensis ad ritum duplicem maiorem elevata sunt a Leone xiij, quando duplicium minorum translatio accidentalis suppressa fuit. Ne autem Angelorum festum, nec non horum sanctorum, qui principales Ordines Regularium instituerant, et quorum nomina in Litaniis Sanctorum sunt inscripta, in casu impedimenti officio carerent, ad hunc ritum evexit.

Procul dubio et festa sanctorum principalium doctorum Gregorii, Ambrosii, Augustini et Hieronymi, eodem ritu gaudere deberent, Augustinus praecipue tamquam Ordinis, imo plurium Ordinum, fundatoris et legiferi, sed, cum eo tempore de istis sanctis doctoribus sufficienter dispositum fuerit, per exceptionem, qua doctorum omnium translatio suppressa non erat, factum est quod huiusmodi sancti celebriores ritu duplici minori adhuc recoluntur. Quod attinet ad s. Franciscum Xaverium, recentissime a sum. Pont. Pio papa x, ad ritum duplicem maiorem elevatum fuit eius festum, rogatu Episcoporum, tamquam Missionum apud exteras regiones specialis patroni.

DXPLICIA MAIORA SECUNDARIA

Dies Octava cuiuslibet Duplicis I classis Secundarii (119)

Exaltatio S. Crucis
Apparitio B. Mariae Virg. immaculatae
Festum septem Dolorum B. Mariae Virg., tempore Quadragesimae
Commemoratio B. Mariae Virg. de Monte Carmelo
Festum Ss.mi Nominis B. Mariae Virg.
Festum B. Mariae Virg. de Mercede
Apparitio S. Michaëlis Archangeli
Cathedra S. Petri Ap. Romae .
Cathedra S. Petri Ap. Antiochiae
Festum eiusdem ad Vincula
Conversio S. Pauli Ap.
Festum S. Ioannis Ap. ante Portam Latinam.

(119) In calendario universalis Ecclesiae non habentur duplicia I classis secundaria, quae cum octava celebrentur, quod si alicubi, ex. gr. festum Sacr. Cordis Iesu octava gaudeat, dummodo non sit Titulus ecclesiae, dies eius octavus procul dubio esset duplex maius secundarium.

Igitur dies octavus festi secundarii, in occurrentia et concurrentia cedere debet locum aliis duplicibus maioribus primariis (vide notam 34).

ALIA FESTA PRIMARIA

Dies Natalitia, vel quasi-Natalitia, cuiuscumque Sancti (120).

ALIA FESTA SECUNDARIA

Impressio sacrorum Stigmatum sancti Francisci Conf.
Inventio S. Stephani Protomartyris
Festa sive Domini, sive B. Mariae Virg. sub aliquo peculiari titulo, sive Sanctorum, praeter eorumdem Na-

talem diem, uti Inventionis, Translationis, Patrocinii et hisce similia.

(120) De festis primariis et secundariis vide supra notam 34. Est autem animadvertendum, quod ipsum festum natalitium alicuius Sancti, tamquam secundarium, ideoque minori cum solemnitate celebrandum, aliquando habetur, saltem respectu festi solemnioris eiusdem Sancti.

Verbi gratia, presbyteri Congregationis Missionis festum solemnissimum s. Vincentii a Paulo die 19 iulii cum tota ecclesia concelebrant, quae est dies quasi-natalitia; sed cum etiam die 27 septembris aliud festum sub ritu duplici minori agant, pro die obitus seu natali eiusdem Sancti fundatoris, festum hoc, tamquam secundarium considerant, et est.

FESTA FERIATA (121)

Dominicae omnes
Nativitatis Domini
Circumcisio
Epiphania
Feria II et III Paschatis
Ascensio Domini
Feria II et III Pentecostes
Festum Ss.mi Corporis Christi
Inventio S. Crucis
Conceptio immaculata B. Mariae Virg.
Purificatio B. Mariae Virg.
Annuntiatio B. Mariae Virg.
Assumptio B. Mariae Virg.
Dedicatio S. Michaëlis Archangeli
Nativitas S. Ioannis Baptistae (122)
Festum S. Ioseph, Sponsi B. Mariae Virg., Conf,

Solemnitas S. Ioseph, Sponsi B. Mariae Virg., Conf. et Ecclesiae universalis Patroni (123)

Festum S. Andreae Ap.
» S. Thomae Ap.
» S. Ioannis Ap. et Ev.
» S. Matthiae Ap.
» Ss. Philippi et Iacobi App.
» Ss. Petri et Pauli App.
» S. Iacobi Ap.
» S. Bartholomaei Ap.
» S. Matthaei Ap. et Ev.
» Ss. Simonis et Iudae App.
» S. Stephani Protomartyris
» Ss. Innocentium Mm.
» S. Annae, Matris B. Mariae Virg.
» S. Laurentii Mart.
» S. Ioachim, Patris B. Mariae Virg., Confessoris (124)
» Festum Omnium Sanctorum
» Patronorum principalium Oppidi vel Civitatis, Dioecesis, Provinciae et Nationis.

(121) Cum feriatio, etiam reducta aut sublata, reddat nobilius quodlibet festum, ut supra explicavimus, et titulus sit praeferentiae super alia festa non feriata, in catalogo festorum opportune illa quoque posita fuere, quae habent adhuc, vel habuere feriationem, et sic facilius quisque sub oculis habet huiusmodi festa, prae aliis in casu praeferenda.

Notandum tamen est, quod in hoc catalogo ponuntur festa feriata, sub respectu tantummodo iuris liturgici praelationis, non vero sub respectu iuris canonici, ex quo parochi applicare debent missam pro populo. Festa enim olim feriata, et nunc sine feriatione celebrata, adhuc exigunt, ut

parochi Missam pro populo applicent; et licet omnia festa hic recensita olim feriationem habuerint, duo tamen ex ipsis in speciali conditione existunt, scilicet solemnitas s. Ioseph, quae nunc celebratur feria iv ante dominicam iij post Pascha, et festum s. Ioachim, quod nunc die 16 augusti recolitur, de quibus infra.

(122) Nativitas s. Ioannis baptistae, quae ex dominica iv iunii ad antiquam suam sedem, diem 24 eiusdem mensis, restituta est, plaudentibus omnibus, non amplius quidem habet feriationem, ideoque Christifideles ad vacandum ab operibus, et ad audiendium Sacrum non astringuntur, parochi tamen adhuc applicare debent missam pro populo, est enim festum suppressum, sicut Nativitas b. Mariae, et festa Apostolorum.

Neque quis dicat, quod, cum in dominica iv iunii posita fuit Nativitas, s. Ioannis, in die 24 onus non superfuif applicandi missam pro populo, et licet hodie denuo in suam diem illam solemnitas redierit s. Praecursoris, sine feriatione mansit, et ideo absque onere praedicto; quia, si in dominica celebrabatur s. Ioannes, cum unica applicatione parochi duobus oneribus satisfaciebant, applicandi missam pro die Dominico, ac pro festo s. Ioannis, prout fit quando per accidens festum aliquod feriatum in dominicam incidat. Itaque, in suam diem rediens Nativitas s. Ioannis, separata sunt denuo duo onera, et ideo in die 24 iunii adhuc habent parochi obligationem applicandi missam pro populo.

(123) Procul dubio, quando solemnitas s. Ioseph assignata fuit in dominica iij post Pascha, id factum est, ut feriatio dominicae ipsi adnexa in honorem redundaret eidem solemnitati praecipuae s. Ioseph, ut scilicet feriationem in dicta dominica recuperaret, quam perdiderat in sua die 19 martii. Nihilominus, mens non fuit legislatoris, ut onus parochorum circa applicationem missae pro populo augeretur; ideoque, si applicatio missae, uti declaravit S. Congregatio Concilii, fieri debet a parochis in die antiqua 19 martii, nunc in solemnitate s. Ioseph missam applicare non tenentur.

Ratio est, quia in dominica iij post Pascha, missa applicabatur pro populo, non ob solemnitatem s. Ioseph, sed propter diem dominicam ipsam; ideoque solemnitas nunc assignata in feria iv praecedenti, secum onus missae parochialis quod non habebat, ferre non potuit.

(124) Quod dicimus de solemnitate s. Ioseph, dici etiam debet et de festo s. Ioachim, quod assignatum fuerat in dominica infra octavam Assumptionis b. Mariae a Clemente xij, ne festa feriata nimis succrescerent.

(Continuabitur) Dr. P. Piacenza.

Archaeologia Liturgica.

De Stationibus in Ecclesia SS. Cosmae et Damiani.

(Continuatio, V. n. 6 curr. anni, pagg. 341-346)

§ III. — *Quodnam fuerit obiectum formale stationum Dominicae ante SS. festum, et feriae quintae post Dominicam tertiam quadragesimae.*

Obiectum formale, quod in stationis celebratione colitur, ipsam stationis rationem, seu scopum et finem constituit (1). Qui finis et scopus de singulis recensitis stationibus nunc inquirendus nobis est. Primam et secundam stationem simul iungimus ac de eis simul agimus, quia altera, uti videbimus, ex priori suam originem ducit.

I. — Quinam itaque prioris stationis scopus et finis? Indicatio, quam ex Capitulare Wirceburgensi habemus, manifestam relationem cum SS. Martyrum natali praesefert. Scopus igitur est ipsis SS. Martyribus affinis, nempe vel ut ipsi SS. Martyres, vel ut aliquid aliud cum eis intime connexum, colatur.

Non videtur statio ad ipsos SS. Martyres colendos immediate et directe ordinari; ad hunc enim finem ordinatur eorum natale, seu festum, diei vigesimae septimae Septembris affixum. Non restat igitur nisi ut directa dicatur ad commemorandum eorumdem SS. Ecclesiae dedicationem.

Animadvertendum enim est in primis, quod Ecclesiae dedicatio inter maximas solemnitates recensebatur. S. Gregorius M. Ecclesiae dedicationis solemnitatem uti compara-

---

(1) Cfr. *Ephemerides Liturgic.*, a. 1913, pag. 642.

tionis terminum adhibet, ad gaudium coelestium solemnitatum significandum. Scribit enim: « Ibi (in coelo) dulcis solemnitas a peregrinationis huius tristi labore redeuntium... Certe sicubi populus..... ad alicuius Ecclesiae dedicationem, denuntiata solemnitate, concurreret, festineremus omnes simul inveniri, et interesse unusquisque satageret: gravi se damno afflictum crederet, si solemnitatem communis laetitiae non videret. Ecce in coelestibus electorum civium laetitia agitur... Accendamus ergo animum, etc. » (1).

Ea ratione et modo quo tanta solemnitas, die Dominica celebrabatur, etiam eius anniversaria commemoratio eadem die Dominica erat celebranda. Ad cuius rei probationem iure in medium proferuntur, quae ordinarie habent *Evangeliaria Karolina* circa diem anniversariam Dedicationis Pantheon seu S. Mariae ad Martyres. In iis sequens extat rubrica: « Legitur Evangelium cuius occurrit hebdomadae, eo quod semper die Dominica celebratur ipsa solemnitas » (2). Usus igitur tunc temporis invaluit ut huiusmodi solemnitates in die Dominica celebrarentur.

Dominicae ante SS. Cosmae et Damiani natale occurrenti optime convenire videntur, quae Fronteau erronee de statione in Dominica secunda post Pascha scripsit. Quaerit: « Cur autem hac die Dominica (secunda post Pascha) statio sit, cum non sit in praecedenti? » et sibi respondet: « Forte quod Ecclesia SS. Cosmae et Damiani a Felice IV aedificata hac die ab eo dicata fuerit. Nam dedicatio (nempe

(1) S. Gregorius M., *Homilia XIV*. — Migne, *P. L.*, LXXVI, 1130. De ratione antiquissimae solemnitatis huiusmodi optime et luculenter Martène, *De antiquis Ecclesiae ritibus*, lib. II, cap. XIII, Antuerpiae (Mediolani) 1736, pag. 668.

(2) Tomasi-Vezzosi, *Opera omnia*, t. V, pag. 464. — Cfr. *Revue Bénédictine*, a. 1910, pag. 45. Cl. Morin putat rationem huiusmodi festa in diem Dominicam transferendi esse populi commoditatem; sed nobis videtur talis ratio tunc nullam vim habuisse. Veram rationem huiusmodi translationis putamus potius reponendam esse in ea maiori solemnitate, qua dedicationis festum ornari intendebatur.

dies anniversaria dedicationis) tunc temporis, die Dominica fiebat, nec aliud habebat officium aut aliam Missam quam Dominicae ut cognoscere possumus ex 13 mensis Maii » (1).

Quod observatum quoque fuisse in commemoratione dedicationis Ecclesiae SS. Cosmae et Damiani colligitur potissimum ex Missa, quae feria quinta post tertiam Dominicam Quadragesimae celebratur. Quae Missa nobis constituere videtur manifestum argumentum dedicationis illius Ecclesiae et annuae eiusdem solemnis commemorationis.

Circa quam Missam sequentia animadvertenda sunt:

a) Officia et Missae, quae in feriis quintis Quadragesimae celebrantur, ex Dominicis aestivis, seu quae sequuntur Pentecosten, magna ex parte desumpta fuerunt. Ante enim Gregorium II, Feriae quintae in Quadragesima vacabant ab officio proprio et a ieiunio, et erant adinstar Dominicae, dies festivi, et in eis Dominicae officium repetebatur. En quomodo id nobis tradit Walfridus Strabo: « Quo vero Melchiades, trigesimus tertius ordine Romae praesulatum agens, statuit nulla ratione Dominica aut feria quinta ieiunium quis fidelium ageret, pagani enim his diebus quasi ieiunia frequentabant; ideo beatus Gregorius supradictus in dispositione officiorum anni infra Quadragesimam, quintam feriam vacantem dimisit, ut quia festiva erat, veluti Dominica, etiam officio diei Dominicae celebris haberetur. Quae quinta feria, quoniam postmodum coepit, ut ceterae, ieiuniis applicari, Gregorius iunior statuit eam Missis et orationibus esse solemnem, et undecumque colligens, eiusdem diei augmentavit officia » (2).

E quibus potissimum locis haec officia feriis quintis Quadragesimae assignata collegerit, exactioribus verbis indicat Micrologus. Postquam et ipse cum Walfrido dixerit

(1) Io. Frontonis, *Epistolae et dissertationes*, etc. Veronae 1733, pag. 169. Ad usum dedicationis in die Dominica peragendi comprobandum adducit Concil. Caesaraugustanum habitum a. 671.

(2) Strabo, Migne, *P. L.*, CXIV, 942.

quod « S. Gregorius M. quintam feriam infra Quadragesimam vacantem dimisit, ut quia festiva erat sicut Dominica, etiam officio Dominicali honoraretur », subdit S. Gregorium iuniorem (II) statuisse easdem ferias ieiuniis, ut reliquas, solemnes esse, et officiis donasse « undecumque collectis et maxime ex aestivalibus Dominicis, unde et antiphonae ex Dominicalibus Evangeliis, quintis feriis adhuc ascriptae reperiuntur, ut ex Evangelio: *Homo quidam erat dives,* et *Ibat Iesus* » (1).

b) Ex qua autem Dominica, Missa praefatae feriae quintae proprie desumpta fuerit, aperte ostendunt quaedam eiusdem Missae vestigia quae adhuc in una ex Dominicis post Pentecosten, nempe decima nona, conservantur. Tres Missae partes: *Introitum*, *Offertorium* et *Communio,* eaedem sunt ac eae, quae extant in Missa dictae feriae quintae. Nec casu id factum esse supponi potest, non enim una aut altera tantum, sed tres idem sunt, eumdemque locum occupant. Introitus insuper in suo primo versiculo non est ad litteram ex Psalmis desumptus, uti fit ordinarie (2), sed tantum est ad sensum expressum, quod ideo repeti non poterat, nisi proprie ex eo loco excriptum fuisset.

c) Sacramentarium Gelasianum, in natali SS. Cosmae et Damiani, V Kal. Octobris, *Orationem, Secretam* et *Postcommunionem* ponit (3), quas postea in Sacramentario Gregoriano (4), sicut et in praesenti Missali Romano, ad feriam

---

(1) MIGNE, *P. L.*, CLI, 1014. — Primum ex duobus praefatis evangeliis legebatur, uti ex S. Gregorii Magni Homil. XL colligitur, Dominica secunda post Pentecosten, et alterum Dominica decima quinta item post Pentecosten, quod et in praesenti Romano Missali servatur. Cf. MIGNE, *P. L.*, LXXVI, 1301. — BEISSEL, *Entstehung der Pericopen*, Freiburg, 1907, pag. 63.

(2) Cfr. GUYETUS, *Heortologia*, l. III, cap. 25, quaest. II. — BONA, *Rerum liturg.*, l. II, cap. 3, quaest. III.

(3) MURATORI, *Liturgia romana vetus*, t. II, pag. 41. — TOMASI-VEZZOSI, *Opera omnia*, t. V, pag. 58.

(4) TOMASI-VEZZOSI, l. c., pag. 148. Cfr. etiam *Sacramentarium Gregorianum* apud MURATORI, l. c., pag. 173.

quintam post tertiam Dominicam Quadragesimae, translatas conspicimus.

Dicendum itaque videtur Missam, quae nunc integra extat in feria quinta post Dominicam tertiam Quadragesimae, propriam fuisse Dominicae occurrenti ante SS. Martyrum natale, Evangelio excepto, quod ex primo Sabbato post Pentecosten desumptum fuit, quae Missa in die natali, uti propria etiam repetebatur. Sed peracta eiusdem Missae translatione, tres partes eiusdem Missae, ut mox dicebamus, remanserunt in una ex Dominicis post Pentecosten (XIX). In festo autem illorum Sanctorum, alia Missa suffecta est ex Communi Plurimorum Martyrum, quae incipit « Sapientiam Sanctorum ».

d) Si praefata Missa, quae ad feriam quintam post tertiam Dominicam Quadragesimae fuit translata, attente consideratur, magnam redolet solemnitatem, qualis Ecclesiae dedicationi congruit, et plurimos sensus exprimit, qui proprie sunt ad Sanctos illos Medicos colendos et invocandos. Explicite est de dedicatione templi *Epistola*, quae est ex Ieremia desumpta, capit. VII, 1-7. Ingressus Domini in domum Simonis in *Evangelio* (1) descriptus, sanatio socrus Simonis et praedicatio regni Dei in synagogis Galileae, bene possunt intelligi de templi dedicatione per quam Dominus, Ecclesias nostras veluti ingreditur, in iis sanat nos a febribus, quibus misere laboramus, ac nobis regnum suum per ministros suos continuo praedicat. In *Introitu* autem, in *Offertorio*, in *Postcommunione*, etc. sat manifesto sensus exprimuntur versiculorum, qui in inferiori absidis parte aureis characteribus sunt inscripti (2).

---

(1) Hoc evangelium, quod integrae Missae adeo congruit desumptum videtur ex Sabbato post Pentecosten, sed olim aliis quoque diebus legebatur. Cf. BEISSEL, *Entstehung der Pericopen*, Freiburg, 1907, pagg. 132 et 138.

(2) H. GRISAR, *Storia di Roma e dei Papi nel medio evo*, vol. I, Roma, 1908, pag. 188. — Versiculi, qui passim in huius Missae Liturgia revocantur sunt: « Martyribus medicis populo spes certa salutis-venit, etc. ». Vide paulo infra totam inscriptionem.

Propterea, quod cl. H. Grisar scribit de hodierna Missa horum Sanctorum, quae incipit « Sapientiam Sanctorum », potiori ratione affirmandum est de Missa antiquissima ad feriam quintam post tertiam Dominicam Quadragesimae translata, exordiente: « Salus populi », quod nempe: « Con ogni probabilità essa è il primo formolario della Messa che fu composta per la consacrazione della nuova Chiesa al foro » (1).

De qua Missa idem cl. Historicus habet: « La Messa di stazione introdotta da Gregorio II (715-731) pel giovedì dopo la terza Domenica di quaresima, esalta ancor oggi nell'orazione i due Santi e rileva l'ineffabile aiuto, che essi apportano al popolo cristiano... Se nel medesimo formolario il sacerdote ogni anno nel *postcommunio* dai detti Santi implora la « certa salvazione », questo è appunto un accordo testuale coll'iscrizione di Felice IV apposta sotto il quadro a mosaico di quella chiesa, dove si celebra la « sicura speranza di aiuto » che insieme coi Santi è venuta al popolo » (2).

Si omnibus hucusque consideratis additur, quod antiquitus, eo nempe tempore ad quod referendum est *Evangeliarium Wirceburgense,* Dominicae, potissimum quae occurrunt post Pentecosten, non eodem quo nunc ordine disponebantur (3), itemque si perpenditur, quod Dominica secunda post natale S. Cypriani a praefato Evangeliario indicata, et Dominica, quae nunc decimanona post Pentecosten appellatur, in idem fere incidunt tempus circa SS. Cosmae et Damiani natale, vix superest dubium de *obiecto formali* stationis in vetustissimo illo Evangeliario indicata. Comme-

---

(1) H. Grisar, l. c. pag. 187.

(2) Ib. pag. 188.

(3) Varius et incertus ordo Dominicarum per annum et maxime quae sequuntur Pentecosten in veteri Liturgia clare colligitur ex *Sacramentariis*, ex *Capitularibus Evangeliorum*, ex *Epistolariis*, ex aliisque antiquis libris liturgicis. Quod uno obtutu ob oculos ponitur in opere pluries citato cl. St. Beissel S. I., *Entstehung der Pericopen*, passim.

moratio dedicationis illius Ecclesiae nobis manifesta et certa apparet.

II. — *In obiecto formali* seu fine determinando alterius stationis, quae feria quinta post Dominicam tertiam Quadragesimae recolitur, duo consideranda sunt: Primo, ipsa tum Missae tum officii sacra Liturgia in se spectanda est; secundo, scopum seu finem considerari oportet ab Ecclesia intentum in hac Liturgia pro hoc determinato die statuenda; alterum ab altero, veluti *finis operis* a *fine operantis*, distinguendum est.

Ex superius dictis constat huius diei Liturgiam non fuisse directe pro hac statione institutam, sed esse aliunde desumptam, quae cum extra propriam nativam sedem collocata fuerit, amplius intelligi non potest ordinari ad pristinum finem, nempe ad SS. Martyrum Ecclesiae dedicationem commemorandam; nullam enim servat cum ea relationem, et insuper feria Quadragesimae, quae est dies luctus et poenitentiae, non potest componi cum die laetitiae et solemnitatis, qualis est dies anniversaria dedicationis.

Quamvis ad hunc finem immediate et explicite non amplius ordinetur, finis tamen negari non potest, quem ipsa ex sese exprimit. Qui finis non est nisi peculiaris cultus et invocatio SS. Martyrum Cosmae et Damiani. Talis finis explicite intenditur in oratione cum dicitur: « Magnificet te, Domine, Sanctorum tuorum Cosmae et Damiani beata solemnitas », etc. In postcommunio « certa salvatio » imploratur meritis beatorum Martyrum Cosmae et Damiani, etc. Ad eosdem Sanctos Martyres, ut superius innuebamus, explicite vel implicite tota refertur hodierna Liturgia.

Singularis quoque honor ex hac Liturgia in Ecclesiam redundat. In toto anni cursu duae tantum stationes recoluntur in quibus Sancti, apud quorum Ecclesiam fit statio, explicite et nominatim in orationibus invocantur; et sunt statio ad S. Paulum in Sexagesima, et statio hodierna. Qui cultus et invocatio non limitatur ad Ecclesiam stationalem, sed ad totam Ecclesiam Catholicam extenditur et talis statio

ratione cultus, parum aut nihil differt a die natali praefatorum Martyrum. Quod maxime de hac nostra statione est asserendum, cum eius Liturgia olim fuerit propria eorumdem Sanctorum diei natalis (1).

Quinam autem fuerit scopus seu finis ab Ecclesia intentus in hac Liturgia pro hodierna statione ordinanda, certo statui non potest. Finem tantum *congruentiae*, cum rerum liturgicarum Scriptoribus, indicare licet.

Inter ceteros, Ferdinandum Tetamo audire praestat de tali fine egregie disserentem (2). Postquam animadverterit quod « Hodie in officio feriali est oratio singularis seu specialis de SS. Cosma et Damiano Mm. », quaerit: « Cur hodie praedicta recitetur oratio? » et respondet: « Rationem assignat Gavantus (3), quod statio hodie celebretur in laudatorum Sanctorum Ecclesia. Sed haec ratio non satisfacit; enimvero in aliis similiter feriis Quadragesimae celebrantur in aliis aliorum Sanctorum Ecclesiis stationes, nec tamen similis eorum oratio recitatur. Nos igitur inclinamus potius ad credendum stationem ad SS. Cosmam et Damianum hodie celebrari et de iis celebrari collectam, eo quod Ecclesia velit ostendere se Matrem piam, valde sollicitam de filiorum suorum salute etiam corporali. Cum enim hodie inveniantur observantiae quadragesimalis consummasse dimidium, timere videtur ne genua illorum infirmata sint a ieiunio, et eorumdem caro immutata sit propter oleum (Ps. 108, 24); ut igitur curentur viresque resumant, et sic alacres reliquum eiusdem quadragesimalis observantiae dimidium prosequantur, implorat auxilium SS. Cosmae et Damiani, quia Medici fuerunt; ideo etiam legitur Evangelium de infirmis corpore a Domino Iesu curatis » (4). Quam rationem corroborat auctoritate Durandi, subiungens: « Hanc rationem indicare vide-

---

(1) MURATORI, *Liturgia Romana vetus*, vol. I, pag. 41.

(2) TETAMUS, *Diarum Liturgico-Morale*, etc., tract. II, lib. IV, part. II, art. IV.

(3) GAVANTUS, *Thesaurus Ss. Rituum*, t. II, sect. VI, cap. XI, n. 9.

(4) DURANDUS, *Rationale divin. offic.*, lib. VI, cap. 50.

tur Durandus, qui ait: ideo fieri stationem ad SS. Cosmam et Damianum, quia in hac quinta feria Ecclesia ostendit non esse salutem nisi a Domino, et maxime per virtutes: unde Introitus Missae est: Salus populi ego sum; cum itaque agatur de salute, fit, inquit, statio ad laudatos Sanctos, quia Medici fuerunt, et homines corporaliter et spiritualiter sanabant; ideo etiam de ipsis fit mentio in oratione: ita Durandus » (1).

---

(1) Cfr. etiam Dom. GUÉRANGER O. S. B., « *L'année liturgique. Le Carême* », sub hac die.

DISSERTATIO LITURGICA

De novissima Ritualis Romani typica Editione.

(Continuatio. V. num. 9 curr. anni, pagg. 540-547)

De Processionibus ac de Litaniis. — 40. In Processione Corporis Christi velum circumponere scapulis Sacerdotis, olim erat Diaconi, nunc est Clerici (*Tit. IX, c. 5, n. 3, pag. 280*).

41. Nunc non amplius praecipitur ut Sacerdos, in eadem Processione, tabernaculum a Diacono sibi porrectum suscipiat *in supremo Altaris gradu*, neque ut postea *ad altare ascendat* (*l. c.*).

42. In Processione pro gratiarum actione olim tres Psalmi nn. 148, 149 et 150 unica concludebantur doxologia *Gloria Patri*, etc., nunc haec in fine cuiusque Psalmi praecipitur (*Tit. cit., c. 13, pagg. 303, 304*).

43. Olim inter preces Litaniarum tempore belli, si bellum esset contra Turcas et alios infideles vel haereticos, dicendum erat etiam: *Ut Turcarum* (vel *haereticorum*) *conatus reprimere et ad nihilum redigere digneris*, etc.; nunc, si bellum sit contra inimicos S. Ecclesiae, ea quam diximus invocatione sublata, tantum praecipitur ut bis dicatur: *Ut inimicos sanctae Ecclesiae humiliare digneris*, etc. (*Tit. cit., c. 11, n. 2, pag. 295*). Quare et in Oratione ultima loco *Gentes Turcarum* (vel *Haereticorum*) legitur: *hostes nostri qui* (*pag. 297*).

44. In fine Litaniarum Lauretanarum B. Mariae Virg.: ℣℣. ℟℟. et Orationes mutantur pro temporis diversitate hoc modo: *A Purificatione usque ad Pascha et post tempus*

paschale usque ad Adventum Domini: ℣. **Ora pro nobis** etc. ℟. **Ut digni efficiamur** etc. Oratio **Concede nos famulos tuos** etc. *Ab Adventu usque ad Nativitatem Domini:* ℣. **Angelus Domini** etc. ℟. **Et concepit** etc. Oratio **Deus, qui de beatae Mariae Virginis utero** etc. *A Nativitate Domini usque ad Purificationem B. M. V.:* ℣. **Post partum, Virgo** etc. ℟. **Dei Genitrix, intercede** etc. Oratio **Deus, qui salutis aeternae** etc., cum conclusione ut post Antiphonam finalem *Alma Redemptoris* in officio.

Tempore paschali: ℣. **Gaude et laetare** etc. ℟. **Quia surrexit** etc. Oratio **Deus, qui per resurrectionem** etc. (*Append. I, pagg. 23*-24**).

45. In Litaniis Ss. Nominis Iesu obsecrationi *per Ascensionem tuam* etc. immediate adiecta est altera *per Sanctissimae Eucharistiae institutionem tuam* etc., quam adiici posse S. R. C., die 8 febr. 1905, n. 4153, iis qui optarent iam concesserat (*pag. 20**).

46. In eadem priori Appendice (*pag. 25**) habes Litanias de S. Ioseph, die 18 mart. 1909 a S. R. C. approbatas.

47. Quum in Litanias sermo inciderit, non erit abs re animadvertere quasdam deprecationes in Litaniis Sanctorum, quae post Psalmos poenitentiales et in processionibus dicuntur, non esse eodem ordine dispositas ac in iis, quae dicendae praescribuntur in Oratione Quadraginta Horarum. In primis legimus (*Tit. V, c. 3, pag. 97*): *Ab ira tua; a subitanea et improvisa morte; ab insidiis diaboli; ab ira et odio et omni mala voluntate; a spiritu fornicationis; a fulgure et tempestate; a flagello terraemotus; a peste, fame et bello.* In alteris (*Append. I, pag. 15**): *Ab ira tua; ab imminentibus periculis* (haec deprecatio in prioribus deest); *a flagello terraemotus; a peste, fame et bello; a subitanea et improvisa morte; ab insidiis diaboli; ab ira et odio et omni mala voluntate; a spiritu fornicationis; a fulgure et tempestate.* — Porro in hac diversa dispositione rationem habes cur non raro accidat, in ecclesiis praesertim rurali-

bus, ut cantores, diversis libris, iisque non semper rite emendatis, utentes non conveniant.

De Benedictionibus. — 48. Tandem, hae novissimae Benedictiones habentur in priori Appendice: Officinae librariae et Machinae typographicae (*pag. 40**); Vehiculi seu Currus (*pag. 48**); Novae Campanae quae ad usum ecclesiae, sive sacelli, inserviat (*pag. 78**) (1); Novae Campanae quae tamen ad usum ecclesiae non inserviat (*pag. 84**) (2); Lecticae pro infirmis (*pag. 166**); Machinae ad exstinguendum incendium (*pag. 167**); Novae Navis piscatoriae (*pag. 170**).

49. Quin dicam de mutationibus vel additionibus in Rubricarum expositione, maioris claritatis gratia tantum inductis, alias quoque, neque paucas, variationes inveni, quas puto potius correctiones mendorum in prioribus editionibus (etsi rite probatis), in iis saltem quas consului. De his quoque aliquid dicam.

A) In salis benedictione, pro Baptismo, olim quandoque **ut sit** *omnibus* etc., quandoque **ut fiat** legebatur; nunc semper legitur **ut fiat.**

B) In Oratione post immissionem salis in os baptizandi vel baptizati quandoque legebatur *expleatur,* quandoque vero *repleatur,* nunc semper legitur *expleatur.*

C) In Exorcismo *Ergo, maledicte diabole,* ante verbum *recede* semper adest particula *et,* quae prius quandoque deerat.

D) Haec eadem particula *et* nunc deest semper in secunda interrogatione facienda baptizando vel baptizato post verbum *credis;* contra, semper adest in tertia interrogatione ante *vitam aeternam;* prius tum in prima, tum in tertia interrogatione quandoque deerat, quandoque aderat.

E) In Exorcismo *Audi, maledicte Satana,* semper lega-

---

(1) Haec benedictio eadem omnino est ac ea, quae prius inscribebatur BENEDICTIO SIMPLEX NOVAE CAMPANAE *quae tamen ad usum Ecclesiae non inserviat.*

(2) Haec benedictio nova est.

tur *gratias perennes Deo;* numquam, ut olim quandoque, *gratias perenni Deo.*

F) In Oratione *Deus coeli, Deus terrae* in supplendis omissis olim deerat *Deus Patriarcharum.*

G) In Oratione *Aeternam ac iustissimam* etc., tum in conferendo Baptismo tum in omissis supplendis, quando agitur de adulto, dicatur semper **eum** *illuminare,* non vero, ut olim, **eum** in primo casu, **illum** in secundo.

H) Extrema Unctione administrata, Oratio *Domine Deus* concludatur *Qui cum Patre et* **eodem** *Spiritu Sancto* etc. — Vox *eumdem* addenda quoque est in conclusione Orationis, quae dicitur in benedictione Apum.

I) In Benedictione apostolica in articulo mortis addita est post *Benedicat te omnipotens Deus Pater* particula *et.*

K) Oratio *Omnipotens sempiterne Deus* in parvulis sepeliendis, et Oratio *Deus, invicte virtutis* in benedictione sacerdotalium indumentorum brevi conclusione concluduntur.

L) Pluribus ex benedictionibus demptum est ℣. *Domine, exaudi* etc. cum ℟. *Et clamor meus* etc. — Contra, in benedictione Aquae infirmis praestandae additum est ℣. *Dominus vobiscum* cum ℟. *Et cum spiritu tuo.*

M) In Processione in die Purificationis in Antiphona *Responsum accepit* vox *Domine* anteposita est verbis *servum tuum.*

N) In Processione in Dominica Palmarum in Antiphona *Cum appropinquaret* pro *sternebant* nunc est *externebant;* in Antiphona autem *Ante sex dies* in fine dempta est vox *tuae.*

O) In benedictione Domus scholaris noviter erectae Oratio *Domine Iesu Christe* etc. concluditur *Qui vivis,* non vero ut olim, *Per Christum.*

P) In benedictionibus signum ✠ faciendum quandoque sublatum est, quandoque autem additum. Idem signum in benedictione finali *Benedictio Dei omnipontentis* etc. haud raro ter; si vero semel, saepius post nomen *Filii* reperie-

batur; nunc et semel et post nomen Patris fere semper invenitur.

Q) In Oratione *Omnipotens* etc. dicenda in benedictione sacrorum Vasorum et aliorum ornamentorum in genere, ubi legebatur *munda* legitur *immunda*.

R) Pro *precantes* in imponendo habitum B. M. V. de Monte Carmelo positum est *precans*. — Pro *tegimen* autem in benedictione et impositione scapularis B. M. V. de Merce positum est *tegumen*.

S) In benedictione et impositione Quinque scapularium loco « *sine labe conceptae, doloresque tuos ac vices peramanter dolentis* » et « *quibus praedicti Ordines seu Congregationes pollent* », positum est « sub titulo *Immaculatae Conceptionis, Septem Dolorum* » et « *quae per Sanctae Sedis privilegia praedictis Scapularibus concessae sunt;* insuper post *bonorum spiritualium* adiecta sunt verba *horum Ordinum seu Congregationum*.

T) In benedictione coronae S. Ioseph, ubi erat *rosarium*, nunc est *coronam*.

50. Ceterum, siquid notatu dignum me effugit, hoc, quaeso, velis, benevole lector, patefacere ad communem eruditionem atque utilitatem. Prae oculis tamen habeas oportet, valde difficile esse ea omnia, et ea tantum, exponere, in quibus novissima editio a veteribus differat; non enim illae semper inter se omnes conveniunt.

Sac. SABATINUS ZEI.

Consultationes.

E Granata (*in Hispania*). — I. — Festis omnibus I classis fit in Cathedrali Ecclesia processio claustralis statim post Tertiam. Nunc vero propter distantiam nimis longam inter Sacristiam et Chorum, antiqua est praxis ut Dignitates et Canonici pluviale supra habitum choralem assumant in eodem Choro, atque ex eo proceditur sequenti ordine, scilicet: Seminarii alumni, Cantores, Beneficiati, Canonici et Dignitates, tempore quo Celebrans et Ministri postquam perveniunt ad Altare, thure imposito, procedunt in medium clathri quod est inter Chorum et Altare, ibique suo ordine omnes prosequuntur.

Quaeritur: 1. An retineri possit haec antiqua consuetudo qua Dignitates et Canonici induunt pluviale supra habitum choralem?

2. An continuari debeat supradicta ordinatio processionis?

3. Et si negative, an debeant omnes, scilicet, seminarii alumni, Cantores, Beneficiati, Canonici et Dignitates qui in Choro adsint, finita Tertia, ordinatim procedere in Sacristiam, et ex ea pergant omnes processionaliter ad Altare, atque finita processione se reddere denuo in Sacristiam ut habitum Choralem rassumant, non obstante mora in redeundo ad Chorum propter dictam distantiam?

4. An tolerari possit eadem consuetudo qua Dignitates et Canonici tam in Matutinis quam in Vesperis solemnibus, aliisque Officiis induunt pluviale supra habitum choralem?

Resp. ad Im. — Iuxta Caerem. Episc. lib. I, cap. XV, n, 6 et lib. II, cap. I, n. 4, Dignitates et Canonici induti esse debent in sacra Processione amictu super Cottam aut Rochettum et Pluviali, et, si haberi non possunt paramenta pro omnibus, saltem quatuor, aut sex primi, habeant plu-

vialia. Ubi vero praebendae sunt distinctae, Dignitates pluvialia, Canonici Ordinis presbyteralis planetas, Diaconi dalmaticas et Subdiaconi tunicellas coloris convenientis assumere debent, sicut in Caerem. Episc. lib. I, cap. XV, n. 6 praescribitur. Quamvis praebendae seu Ordines sint distincti, ex immemorabili tamen consuetudine omnes Canonici pluvialibus indui possunt in processionibus (S. R. C. 3 oct. 1699 ad 1, n. 2037). Consuetudo autem tolerari nequit, qua, exceptis Presbytero et Diaconibus assistentibus, ceteri Canonici non assumunt sacra paramenta, quum Archiepiscopus solemniter celebrat, vel facit illas functiones in quibus id praestare debent omnes Dignitates et Canonici (S. R. C. 14 Mart. 1861 ad 5, n. 3104) (1). Cf. tamen responsum ad IV^{m} huius dubii.

Resp. ad II^{m}. — Processio claustralis, quae fit cunctis diebus ante Missam solemnem, omittenda est, cum Missa pontificalis celebratur, iuxta consuetudinem in Archibasilica Lateranensi vigentem (S. R. C. 29 Maii 1885, n. 3635). Quamvis S. R. C. d. 29 Nov. 1856 ad 2, n. 3039 primo decreverat Episcopum non debere tolerare, quod Canonici, Episcopo pontificaliter exercente, ad Altare maius, et non in Sacristia se vestiant, postea tamen eadem S. Congregatio declaravit quod si Sacristia forte sit valde distans, possint Canonici sacra paramenta capere in propriis sedilibus, a quibus non descendent ad faciendos circulos, qui a Canonicis sacris paramentis indutis fieri non debent (S. R. C, 20 Aug. 1870 ad 2, n. 3228). Iuxta Caerem. Episc. l. I, c. XV, n. 6 et l. II, c. VIII, n. 4, « in eum locum (*ubi cantabitur Tertia*) ingressus Episcopus, factaque reverentia Cruci super Altari praedicto existenti, orabit, ac inde sedebit aliquantulum super dicta sede, sibi praeparata, donec Canonici extra illum locum

(1) Episcopo Administratore aut Suffraganeo Missam pontificalem celebrante, alii Canonici, praeter tres assistentes, fungentes Officiis Diaconi, Subdiaconi et Presbyteri assistentis, paramenta sacra non induunt (S. R. C. 22 Aug. 1722 ad 7, n. 2274).

capiant sacra indumenta, » vel ibidem, si aliter fieri non potest, ut notat Catalan. cum Bauldry (in hoc loco, scilicet lib. II, c. VIII, § 4, n. 10), vel uti declaravit S. R. C., *si Sacristia forte sit valde distans* ab hoc loco, « remanentibus duobus Diaconis assistentibus apud Episcopum, dum alii parantur, qui et ipsi postea accipiunt paramenta ».

Ordo vero processionis Episcopi ad Altare, in quo Missa pontificalis est celebranda, est sequens, iuxta Caerem. Episc., l. 2, c. 8, n. 23 et sqq.: Finita *Tertia*, et Episcopo omnibus paramentis induto, « Diaconus et Subdiaconus tecendunt: et capiunt suos manipulos, et accedente Acolytho thuriferario cum thuribulo et navicula, ministrante Presbytero assistente naviculam, Episcopus imponit et benedicit thus, ut supra *in cap. I, lib. II* § *XII de Vesperis solemnibus, Episcopo celebraturo* dictum fuit. Deinde Episcopus cum suis Ministris, facta reverentia Cruci super Altari in dicto Sacello, seu Secretario existenti, processionali ritu procedunt ad Altare in quo Missa est celebranda, hoc ordine »:

« Thuriferarius cum thuribulo, deinde Ceroferarii cum candelis accensis, medium habentes alterum subdiaconum paratum tunicella, Crucem deferentem: deinde Clerici (*seu Seminarii alumni*) et beneficiati Ecclesiae cum suis cottis, bini et bini, incipiendo a iunioribus, seu minus dignis. Hos sequitur reliquus Clerus illius Ecclesiae suo ordine, ita ut digniores semper sint posteriores in processione. Canonici vero, qui sunt parati, antecedent Episcopum immediate » (1).

« Post Canonicos procedet Subdiaconum Epistolam cantaturus, gerens librum Evangeliorum clausum ante pectus, in quo iucluditur manipulus Episcopi, deinde Diaconus ad sinistram Presbyteri assistentis, pluviali induti, demum Episcopus cum baculo pastorali in manu sinistra, parte curva baculi ad populum versa, ac dextera benedicens, si sit in

(1) Canonici et Assistentes Episcopo parati, et illum ad Altare comitantes, ratione habita paramentorum, possunt procedere per Ecclesiam coopertis capitibus (S. R. C. 28 April. 1708 ad 3, n. 2184).

sua civitate, vel dioecesi, medius inter Diaconos assistentes paratos. Si autem Episcopus sumpsit paramenta in Presbyterio apud sedem, vel in faldistorio, non fit huiusmodi processio; sed procedit Episcopus ad Altare sine Cruce, sine candelabris, et sine thuriferario, cum solis ministris paratis, ut supra, et quibusdam aliis. Post Episcopum sequitur Cappellanus (*seu Minister*) serviens de Mitra, et alii Cappellani (*Ministri scilicet de baculo, de libro et candela*) cum cottis, bini et bini incedentes ».

Resp. ad III^m^. — Negative, uti satis patet ex responso ad 2^m^ quaestionem.

Resp. ad IV^m^. — Caeremon. Episc., lib. II, cap. III, n. 1, praescribit: « In Ecclesiis Cathedralibus, absente Episcopo et in Collegiatis Canonicus hebdomadarius paratur in sacristia pluviali coloris tempori convenientis super rochetto, si eo utatur, aut super cotta ». — In hoc loco Catalanus sequentia adnotat: « Omnibus rite dispositis ac praeparatis in sacristia, Choro et Altari pro celebrandis Vesperis, absente Episcopo in Ecclesiis Cathedralibus et Collegiatis, Canonicus hebdomadarius Vesperas celebraturus paratur in sacristia amictu, uti habetur supra cap. II, § IV, et pluviale coloris tempori convenientis super rochetto, si eo utatur, aut super cotta ».

Insuper cl. De Herdt (*Praxis Pontificalis*, tom. I, n. 27) de hac quaestione sequentia dicit: « Cappa vel mozzetta est habitus Choralis, adeoque adhibetur in Choro; processionibus aliisve omnibus in quibus habitus choralis induitur. Hoc intelligendum est de omnibus functionibus, ad quas superpelliceum iuxta Rituale Romanum aliasve Rubricas non requiritur.... Quandocumque autem superpelliceum assumendum est, ut in Sacramentorum adadministratione aliisque, ut infra dicetur, cappa vel mozetta est deponenda ». Et deinde infra n. 30 idem auctor ait: « Qui privilegio rochetti, mozettae, cappae aliorumve insignium fruuntur, his tamen in Sacramentorum administratione uti nequeunt, sed sive intra aut extra propriam Ecclesiam eadem deponere, et su-

perpelliceum ac stolam assumere tenentur. Superpelliceum tamen seu cotta, rochetto superimponi potest.... Idem dicendum est de benedictioniqus aliisque functionibus, in quibus sacerdos ex Rubricae praescripto superpellicenm et stolam assumere debet.... In concionibus autem, nec non in publicis conventibus sacris, usum cappae, mozettae vel caputii S. Rituum Congregatio permissum declarat iis tantum, qui eiusmodi insignibus gaudent, in solis tamen Ecclesiis propriis, haud vero in alienis, privilegio pariter secluso, nisi in his capitulariter conveniant; numquam autem in aliena Dioecesi ».

II. Iuxta Caeremoniale, in festis minus solemnibus, scilicet in duplicibus, semiduplicibus, etc. sufficiunt quatuor candelae in Altari, dum celebratur Missa Conventualis, in simplicibus et feriis per annum duae. In hac Cathedrali Ecclesia tam in simplicibus et feriis per annum quam in semiduplicibus et feriis Adventus et Quadragesimae accenduntur duae tantum. Quaeritur: an haec consuetudo continuari possit, vel reformanda sit iuxta Caeremoniale?

Resp. In loco Caerem. Episc. (lib. I. Cap. XII, n. 35), in quo agitur de candelis accendendis tempore Missae, Episcopo non celebrante, Catalanus haec pauca verba adnotat: « De his vide Gavantum et alios qui Rubricas Missalis enarrant ». — Porro Gavantus (in Rubr. gener. Missal., tit. XX) sequentia habet: « Ait Rubrica: saltem duo, quia in solemnioribus Missis regulariter sex in recta linea debent adhiberi; quod coniicitur ex trina hinc inde Altaris incensatione, prout (ait Rubr. Part. 2, tit. 4, n. 4) distribuuntur candelabra; quatuor etiam in minus solemnibus adhiberi solent pro dignitate Missarum; sed et plura quam sex poni possunt ex tit. 4, part. 2, n. 5 ». — De Herdt (*Praxis Pontificalis,* T. I, n. 100) de hoc loco Caerem. Epp. dicit: « Caeremoniale procul dubio hic agit de summo Altari et de Missa cantata seu conventuali. Notandum autem est, tantum dici quatuor aut duas in respectivis diebus *sufficere,* non vero, plures non esse accendendas. Laudabile certo erit, semper

sex accendere. In Missa de *Requiem* cum cantu saltem quatuor sunt accendendae (S. R. C. 12 aug. 1854 ad 7, n. 3029».

Quidquid sit de praedicto loco Caerem. Episc., ex Rubricis Missalis et Decretis S. R. C. sequentia statui possunt: *a)* In Missa *privata* duae candelae a Rubricis praescribuntur (Rub. gener. Missal. XX); *b)* in Missa *cantata* et *conventuali* quatuor saltem requiruntur (S. R. C. 12 sept. 1857 ad 9, n. 3059; 6 febr. 1858, n. 3065 et 7 decembris 1888 ad 7, n. 3697); *c)* in Missa solemni sex saltem accendendae sunt (cf. Rit. in celebr. Miss. n. 4).

III. Est in hac Cathedrali Ecclesia laudabilis consuetudo divinum Officium in choro recitandi capite discooperto, et standi dum dicitur *Gloria Patri* in fine cuiuslibet Psalmi, sed non ab omnibus servatur haec secunda pars, nam alii sedentes permanent. *Quaer.:* 1° an propter hanc antiquam consuetudinem teneantur omnes stare ad *Gloria Patri* etc.? — 2° Et si ad hunc recitandi modum nulla est obligatio, an introduci possit lex ut omnes sedeant capite cooperto, quae valde conveniens erit propter nimium frigus, praesertim tempore hiemis?

Resp. ad utramque quaest. — Videamus primo, quid Caerem. Episc. circa haec puncta praescribat: 1° Caerem. Ep., lib. II, cap. 1, loquens de Vesperis, quando Episcopus, in crastinum Missam solemnem celebraturus, pridie eas peragit, praescribit § 6, in initio Vesperarum post *Deus, in adiutorium:* «Cum Chorus cantat versiculum *Gloria Patri* etc., Episcopus et omnes caput inclinant versus Crucem super Altari usque ad Versiculum *Sicut erat* etc.» — Et deinde ibid. § 7 dicit: «Episcopus sic perstat, donec expleta per Chorum (*prima*) Antiphona, inceptus fuerit Psalmus; tunc sedet, accepta mitra leviori, si placeat, et omnes pariter sedent». Item § 8 idem Caerem. ait ad versiculum *Gloria Patri* Psalmorum, «Episcopus cum mitra, et omnes alii, detectis capitibus, sedentes, vel prout reperiuntur, se inclinant».

2° Dum in Ecclesiis Cathedralibus, absente Episcopo, vel in Collegiatis, Vesperae celebrandae sunt, idem Caerem. Episc. praescribit, lib. II, c. 3, § 7: « Expleta per Chorum (*prima*) Antiphona, duo Cantores, cottis induti, intonant Psalmos in medio Chori, et incepto primo versu Psalmi, omnes sedent; et sic remanent sedentes usque ad Capitulum, nisi quatenus pro intonatione Antiphonarom surgant » — Deinde ibid. § 8 idem Caerem. ait: « Cum dicitur *Gloria Patri* etc. in fine cuiuslibet Psalmi, omnes caput detegunt, illudque sedentes profunde inclinant, sic permanentes usque ad Versiculum *Sicut erat* etc. ». — In fine autem huius capitis § 16 idem Caerem. addit: « Eodem modo, et ordine semper, diebus Dominicis, et festivis quae a populo observantur, a Canonico Hebdomadario, tam in Collegiatis, quam in Cathedralibus Ecclesiis, absente Episcopo, Vesperarum Officia celebrantur ».

Haec est hodierna praescriptio Caerem. Episcoporum. — « Si *autem* primaevam Ecclesiae aetatem spectemus, ait Cl. Ios. Catalan. (in lib. II, cap. I, § VIII Caerem. Episc.), Clerici omnes aeque ac laici toto divinorum Officiorum tempore stabant, pie feliciterque Christo Domino obsequentes, qui in Evangelio Marci cap. II, ait: « Cum stabitis ad orandum », etc. Is ritus, quod a nonnullis negligeretur, merito in illos invectus est Tertullianus in libro *De Oratione,* cap. XII, hac usus ratione: « Si quidem irreverens est assidere sub conspectu, contraque conspectum eius, quem maxime reverearis, quanto magis sub conspectu Dei vivi, Angelo adhuc orationis adstante, factum illud irreligiosissimum est? » Aliam hanc etiam rationem auctor tradit qua persuadere nititur, nonnisi stando orandum esse ab homine Christiano: « Ne scilicet sedendo exprobremus Deo, quod nos oratio fatigaverit ». Morem sui temporis non sine speciosa ratione narrat Amalarius lib. IV *De Officio,* cap. III, sic inquiens: « Quando cantamus Psalmos, solemus stare, ut ex statu corporis demonstremus affectum nostrae mentis, hoc est, paratos nos esse ad opera bona. — Pristinae di-

sciplinae tenaces Patres Concllii Aquisgranensis Can. CXXXI vix debilibus baculos concessere, ut illis inter psallendum inniterentur, ceteris vero omnino denegarunt: « Nec cum baculis, aiunt, in Choro, exceptis debilibus, sed religiosissime illis standum et psallendum est. Sunt etenim quidam Clericorum, qui in saecularibus negotiis et disceptationibus paene totum infatigabiliter deducunt diem, et mox ut Ecclesiam ad divinum Officium peragendum intraverint, ita fatigati videntur, ut nec orationi vacare, nec ad psallendum stare queant ». Adversus sedentes tempore divini Offici Clericos et laicos zelum et stylum adeo exacuit S. Petrus Damiani saeculo XI, quo ipse floruit, ut praecipuum adversus huiusmodi abusum opusculum scripserit, quod Bisuntino Archiepiscopo, cuius in Ecclesia illum deprehenderat, nuncupavit, praefixitque ei titulum: *Contra sedentes tempore divini officii.* — In hoc opusculo, postquam ordinem et disciplinam Bisuntinae Ecclesiae Petrus commendavit, ipsumque praeterea Archiepiscopum Bisutinum, quod adhuc in vivis agens, sepulcrum sibi parari curasset, sic tandem de re nostra cum eo loquitur: « Unum praeterea « torporis ac desidiae signum in Ecclesia tua vidi, quod et « tunc, prout expeditionis dictabat hora, corripui, et nunc « apicibus tradere non superfluum duco. Plerique siquidem « ibi Clericorum resident, dum vel canonica Horarum cele« brantur Officia, vel etiam ipsa Missarum offeruntur terri« bilia Sacramenta. Cuius torporis ignaviam per Galliarum « partes nonnullis inesse etiam Monachis deprehendi: quod « profecto pravae consuetudinis vitium, et correctione di« gnum, et de studio militantis Ecclesiae in his, qui inco« lumes sunt, constat penitus eradendum ». Tum postquam variis sacrarum Scripturarum locis, et nervosis rationibus comprobavit, Clericos stare debere divinis officiis celebrandis, adversus etiam laicos divini Officii tempore sedentes invehitur ». — Deinde idem Catalan. (*loc. cit.*) dicit: « Monachos in Italia praesertim Cassinenses iuxta morem a maioribus acceptum atque constanter servatum, Officium stando,

apertoque capite recitasse, infirmis exceptis, terque caput inclinasse, cum *Gloria Patri,* ad Psalmorum finem diceretur testatur apud Paulum Diaconum Theodomarus Monasterii Cassinatis Abbas in Epistola sua ad Theodoricum, sic dicens: « Sicut et alia, quae a maioribus instituta servamus, nudato, exceptis infirmis, capite ad Officium stamus, flectimus cervicem, quoties *Gloria* canitur ». In vita quoque S. Bonaventurae legimus, eum vel aegrotantem noluisse muro vel parieti inhaerere, sed erectum semper et sine capucio extitisse ».

Etiam in praesenti Caeremoniali Romano-Seraphico Ordinis Fratrum Minorum, a S. R. C. Decreto approbato, n. 34 ita praescribitur: « Quando Horae Canonicae sine cantu in Choro persolvuntur, servetur antiqua nostri Ordinis consuetudo, exemplo iam S. P. N. Francisci sacrata, ut integrum Officium *stando* ab omnibus recitetur, exceptis Lectionibus et Responsoriis Nocturnorum atque Martyrologio, ad quae chorales sedent ».

Quod itaque Caerem. Episc. (*locis supra allatis*) dicit de sedentibus capitibus coopertis tempore cantus Psalmorum, est mera permissio seu tolerantia ob refrigescentem devotionem et fervorem in Clericis et Monachis; et consequenter ubi adhuc laudabilis consuetudo existat psallendi stando et nudo capite divinum Officium, ea omnino tenenda et conservanda est ab omnibus.

IV. Extra casum quo Archiepiscopus celebraturus sit Missam Pontificalem: 1° an teneantur Dignitates et Canonici in aulam illius accedere, eumque associare ad Ecclesiam Cathedralem, casu quo ipse cum cappa magna Missae astiturus sit? — 2° Et si affirmative, an Archiepiscopus possit ab hac obligatione dispensare? — 3° Et si nequeat in hoc dispensare, an quibus in casibus suspendi debeat in Choro recitatio divini Officii?

Resp. ad tres allatas quaestiones: Episcopo accedente cum *Cappa magna* ad Ecclesiam Cathedralem, sive ut Divinis assistat, sive ut solemniter celebret, seu quacumque alia de causa, Canonici tenentur in habitu Canonicali eum excipere

a *palatio* (si nempe Episcopi habitatio sit contigua vel vicina Ecclesiae; secus ad portam ipsius Ecclesiae, Caerem. Ep. l. I. c. 2, § 6; S. R. C. 19 Iunii 1655, n. 985), seu a Camera per ipsum ad id destinata, eumque associare ad Ecclesiam, indeque abeuntem et recedentem pari modo reassociare usque ad locum, unde discessit (S. R. C. 5 iulii 1603, n. 138, et 16 ian. 1630 ad 3, n. 525). Recens S. R. C. d. 29 maii 1900 ad 8 (n. 4057) declaravit: ad Episcopi aulam accedere debent Dignitates et Canonici, et Episcopum associare ad Ecclesiam Cathedralem, quoties Missam Pontificalem est celebraturus, iuxta Caeremoniale Episcoporum et Decreta. Episcopus non potest eximere Capitulum et Canonicos ab associatione sibi debita (S. R. C. 19 aprilis 1687, n. 1780). In accessu vero Episcopi Dioecesani ad Ecclesiam Cathedralem, neque Beneficiarii vel Alumni Seminarii, neque Crux Cleri, neque Candelabra Acolythorum requiruntur, quum haec actio non sit processio, sed accessus (S. R. C. 18 mart. 1899 ad 1, n. 4015; Martinucci, l. 5, c. 4, n. 13, nota).

V. An Dignitates et Canonici non parati, sed cum stola tantum supra habitum choralem, praecedere debeant Presbyteris, Diaconibus et Subdiaconibus paratis in Sacra Communione suscipienda Feria V in Coena Domini?

Resp. Circa hanc quaestionem Caerem. Episc. (lib. II, Cap. XXIII, § 6), loquens de Communione generali in Feria V in Coena Domini, sequentia habet: « Deinde antequam purificet (*Episcopus*), communicat primum Diaconum et Subdiaconum, deinde omnes Canonicos paratos, et alios Sacerdotes de Ecclesia, qui stolam a collo pendentem supra cottam habere debent, et denique omnes de Clero, eo modo, et forma, prout latius explicatur in *Cap. XXIX huius lib. II de Missa in die Paschae per Episcopum celebranda, et Communione generali* ». In hoc loco Caerem. Ep., n. VII, cl. Ios. Catalanus sequentia adnotat: « Ordo euntium ad Communionem accipiendam, ex praescripto nostri Caeremonialis infra Cap. XXIX, § VI, erit idem, qui servatur in distributione candelarum;

palmarum, ac incensi, ut in suo loco dicitur. Sane communicabit universus Clerus incipiendo a dignioribus, et prout a Caeremoniario vocabuntur, cum solitis reverentiis, bini scilicet, praemissa genuflexione in plano, ascendent superiorem Altaris gradum, communicabuntque cum osculo manus tantum ».

Notandum tamen est, quod si Ministri sacri in Missa pontificali communicent, id fiat, postquam Episcopus Ss. Sanguinem sumpserit, quin praemittantur *Confiteor, Misereatur* etc. Episcopus vero ipsis administrans S. Eucharistiam dicit *Corpus Domini nostri* etc. Ministri sacri, priusquam ab Episcopo S. Hostiam accipiant, osculantur manum eius, surgunt, et osculantur genam eius sinistram, dicente Episcopo *Pax tecum*, ipsis respondentibus *Et cum spiritu tuo*. Deinde, si Communio generalis sit facienda, Diaconus stans in cornu Epistolae cantet *Confiteor;* Episcopus dicat *Misereatur vestri* etc. et Clerus excepturus S. Communionem observet ordinem praecedentiae, qui constitutus est pro candelis et palmis accipiendis, manu tantum Episcopi deosculans.

Ex dictis itaque clare sequitur quod in Missa pontificali Diaconi et Subdiaconi parati, aliis Dignitatibus et Canonicis non paratis in S. Communione suscipienda praecedere debeant.

VI. Cum Archipresbyter et Archidiaconus peragant simul officium Diaconi assistentis, sive in Oleorum consecratione sive in sacris Ordinibus conferendis, quisnam ex duobus dignior considerandus sit?

Resp. Ad hanc quaestionem plura afferri possunt ex iure canonico: L. Ferraris, *Prompt. Biblioth. Canon.* etc., V. *Archipresbyter,* nn. 1-12, sequentia habet: « *Archipresbyter* idem sonat ac primus et dignior inter presbyteros officii, sicuti primus et dignior inter diaconos vocatur Archidiaconus, et primus et dignior inter Episcopos vocatur Archiepiscopus... Archipresbyter duplex communiter assignatur, unus urbanus seu civitatensis et alter ruralis seu foraneus... Archipresbyter urbanus seu civitatensis est qui in urbe Epi-

scopi constitutus ordinarie praeest ceteris presbyteris in agenda cura animarum, et vice Episcopi supplendo in divinis Officiis... et hic solet etiam dici Ecclesiae Cathedralis Decanus... Ipsius officium est de iure communi curare ut ceteri Sacerdotes divina Officia et Missas rite celebrent, absentis Episcopi vices supplere, vel praesentis munus sublevare in omnibus his quae sunt officii sacerdotalis, ut Missarum solemnia celebrare, audire Confessiones, aliaque Sacramenta Ecclesiae fidelibus ministrare, fontem benedicere, aliaque similia officia sacerdotalia peragere, vel aliis peragenda iniungere, et qualiter ista peragantur fideliter Episcopo referre... Sicut enim *Archidiaconus* Episcopo in his quae ad ministri officium pertinent ex officio adiuvat, ita Archipresbyter in his quae ad munus Sacerdotis spectant, eidem inservit; unde uterque est Vicarius Episcopi a iure datus... Cum hac tamen distinctione quod Archipresbyter est Vicarius Episcopi quoad divinorum celebrationem; Archidiaconus vero quoad iurisdictionem, uti dicit Ioannes Andreas...; vel ut inquit Card. Petra, Archidiaconus est Vicarius Episcopi quoad iurisdictionem, Archipresbyter vero quoad sacerdotalia; vel ut clarius dicit Card. de Luca, Archdiaconus est Vicarius natus in temporalibus, et Archipresbyter est Vicarius natus Episcopi in spiritualibus. Hodie tamen quae istis Vicariis natis Episcopi de iure competebant, fere ubique abierunt in desuetudinem, adeoque respectu officii ab istis praestandi in omnibus et per omnia standum est cuiusque Ecclesiae laudabili praescriptae cousuetudini, cum ista iuri communi scripto in officiis praevaleat... »

Ex dictis satis liquet vi iuris communis Archipresbyterum uti digniorem Archidiacono praecedere. Hinc S. Congr. Episc. et Regul. in *Lancianen.* 8 mart., et 31 aug. 1615 (ap. Ferrar., l. c., n. 19) decrevit: Archipresbyterum Vicario Episcopi uti Canonico in Choro, Capitulo, Processionibus, aliisque actis publicis praecedere debere, ideoque solemnes Missas canere, aliasque functiones quae Episcopo absente primae dignitati competunt, peragere posse. Item S. Congr.

Rit., in *Nullius* seu *Troiana* 12 mart. 1612 et 4 maii 1613 (ap. Ferrar. d. c. n. 20) declaravit: Archipresbytero ratione stolae in funeralibus, et non Archidiacono primae dignitati deberi praecedentiam. Et iterum eadem S. Congr. in *Tranen.* 21 febr. 1604 (ap. Ferrar., n. 21) decrevit: Archipresbyterum manutenendum esse in sua quasi possessione celebrandi Missas absente Episcopo, non obstante contradictione Vicarii. Et tandem eadem S. Congr. 20 dec. 1601 et 25 Ianuarii 1602, in *Funden.* (ap. Ferr. n. 22) praescripsit: Archipresbyterum Collegiatae paratum praecedere Canonicis Cathedralis.

Quamvis autem Archipresbyter dignior sit Archidiacono, ad hunc tamen, iuxta Pontificale Romanum, pertinet munus praesentandi Ordinandos nomine Ecclesiae Episcopo eiusque officium est tradere vestes sacras in manus Ordinandorum; necnon ad ipsum pertinet officium praesentandi Episcopo olea benedicenda vel sacranda.

VII. An Archiepiscopus (ubi haec est consuetudo, Cappa magna et stola indutus, benedictionem cum Sanctissimo Sacramento impertire possit? — Et si negative; an stola et pluviali supra rochettum, vel assumere debeat amictum, albam, stolam et pluviale in his casibus?

Resp. Quod Episcopus sit Celebrans ad Benedictionem SS. Sacramenti, non sufficit, ut ipse Cappa magna sit indutus (S. R. C. 29 mart. 1851, n. 2987), sed paratus esse debet amictu, alba, cingulo, stola et pluviali, ut in processione SS. Sacramenti. Parari solet Episcopus in Sacristia, adiuvantibus Diacono et Subdiacono.

VIII. An Archiepiscopus Cappa magna indutus retinere possit pileolum, dum cantatur Evangelium? — An eum deponere debeat ad *Sanctus,* i. e. Praefatione finita, vel ad *Per omnia* etc. ante Praefationem?

Resp. 1° Cardinales et Episcopi, sacro assistentes, sive seorsim sive collegialiter, ad cantum Evangelii, et dum thurificantur, pileolum deponere tenentur (S. C. Caerem.

d. 20 maii 1890; Cf. Nouv. Revue Théol., tom. XXIII, pag. 350).

2° Si Archiepiscopus assistat Missae solemni cum pluviali, ad verba *Per omnia* ante Praefationem, surgat sine mitra (S. R. C. 5 mart. 1695, n. 1921). — Si vero Episcopus assistat Missae solemni, sive cum Cappa vel Mozzetta, a Consecratione usque ad Consummationem inclusive, retinens pileolum, debet esse sine mitra et bireto (S. R. C. 14 iunii 1845 ad 5, n. 2895). In altero autem Decreto ad dubium: cum Episcopus assistit Missae solemni, sive pluviali sive Cappa indutus, an pileolum statim post Consecrationem possit reassumere? — S. R. C. resp.: « servetur consuetudo » (Die 5 dec. 1868, n. 3188).

IX. An Festum SS. Cordis Iesu gaudeat ut autea privilegio, per Decreta die 28 iunii 1887 et 14 augusti 1894, quoad translationem, concesso, quorum virtute, si impediatur per occurrentiam alicuius Festi primae classis primarii reponi debet die immediate sequenti veluti in sede propria, translato quocumque alio Officio I vel II classis secundario? vel abolitum sit privilegium hoc per novas Rubricas, ideoque casu translationis illius Festi attendendum est ad praescriptum n. 3 Titul. III?

Resp. Iuxta recens S. R. C. Decretum d. 28 oct. 1913, IV, 1 (A. A. S., V, 461): « Festa duplicia I et II classis, tam Ecclesiae universalis quam alicuius loci propria, impedita etiam perpetuo, *quocumque sublato privilegio hucusque certis Festis concesso,* transferantur in primam sequentem diem non impeditam a Dominica quavis vel Vigilia Epiphaniae, ab alio Festo duplici I vel II classis, vel ab Officiis eiusmodi Festa respective excludentibus ». — Ergo privilegium, quoad translationem Festo SS. Cordis Iesu concessum, in posterum sublatum censendum est.

X. An Festum Annuntiationis B. M. V., cum transferendum est extra Quadragesimam, cum Octava celebrari debeat ut Titularis huius Cathedralis Ecclesiae?

Resp. In hoc casu tantummodo, ubi Annuntiatio est

principalis Patrona vel Titularis Ecclesiae et ubi eius octava ex privilegio agitur in Quadragesima, tunc, cum eius Festum transferendum est, ibidem cum integra octava celebretur (Cf. A. a Carpo, *Comp. Biblioth. Liturg.*, P. IV, n. 56). Si autem eiusmodi Festum celebretur in Quadragesima sine Octava et transferendum sit post eam, hoc Festum celebrandum est etiam sine Octàva (Cf. S. R. C. *Urbis et Orbis* d. 23 april. 1895, n. 3830).

XI. An adhuc vigens permaneat Decretum S. R. C. 6 mart. 1896, quo declaratur Parochos teneri ad applicationem Missae *pro populo* in Festo respectivi Patroni loci? — Et quid si duo sint Patroni in eodem loco?

Resp. Iuxta Decretum S. R. C. 6 mart. 1896, Dub. I, 2 (n. 3890): In Festis de praecepto, quorum solemnitas transfertur in Dominicam sequentem, vel ea impedita, in Dominicam sequentem, vel ea impedita, in Dominicam antecedentem, obligatio Parochorum Missam applicandi *pro populo* subsistit *die qua celebratur Officium* transferendae vel translatae solemnitatis. Hoc Decretum nullimode abolitum est, sed potius confirmatum per alterum Decretum S. C. Conc. d. 8 aug. 1911 ad I (A. A. S., III, 391), in quo dicitur: « In Festis nuperrimo Motu-proprio suppressis quoad forum, nempe SS.mi Corporis Christi, Purificationis, Annuntiationis et Nativitatis B. M. V., S. Ioannis Apost. et Evang., et Patroni cuiusque loci vel dioecesis, obligatio remanet Sacrum faciendi pro populo ». – In Commentario super hoc Decreto Ephemer. Liturg. (an 1911, pag. 519) sequentia verba adnotant: « ...Quandocumque S. Sedes, data occasione, sive pro tota urbe, sive pro aliqua regione, festorum numerum imminuit. hoc semper fecit tantummodo in commodum populi, ne, ex nimio festorum numero, detrimentum caperet in negotiis, et in operibus manualibus. Quod autem attinet ad applicationem Missae pro populo ipso, numquam Parochos generatim ab huiusmodi obligatione absolvere putavit » (Cf. etiam Ephemer. Liturg. an. 1912, p. 256).

Si vero Festum, cui annexa est obligatio Missae pro

populo, *quoad Officium et Missam dumtaxat* transferatur, applicatio Missae pro populo etiam fieri debet *ipso die impedito* (S. R. C. 5 Dec. 1868 ad 1, n. 3189; S. C. Conc. 24 april. 1875, apud Nouv. Revue Théol., tom. VIII, p. 14; 28 april. 1875, N. R. E., t. XX, p. 579). — Si autem *una cum solemnitate divinum Officium transferatur,* tunc transferuntur etiam obligationes illi Festo annexae, ideoque Missae applicatio pro populo fieri debet in die ad quem illud Festum transfertur (cf. P. Gasparri, *De Eucharistia,* t. I, n. 516; Nouv. Rev. Théol., t. XIX, p. 496).

Quando Festum Patroni principalis loci (vel Dioecesis) incidat in Feriam VI in parasceve, populus non tenetur audire Sacrum, nec Parochus celebrare Missam pro grege (S. R. C. 20 mart. 1706, n. 2164; cf. Nouv. Revue Théol., tom. XIX, p. 495, not. 3).

Insuper, recens decrevit S. C. Conc. d. 12 Dec. 1913 ad 1 (A. A. S., VI, 9), unam tantum Missam pro populo sufficere, si Festum, in quo Parochus Missam pro populo tenetur celebrare, incidat in Dominicam vel in aliud Festum maioris nobilitatis, cui etiam annexa est obligatio applicandi Missam pro populo, eoque in casu animarum curam gerentes non tenentur applicare Missam pro populo, die in quam transfertur illud Festum impeditum. Per hoc itaque Decretum confirmatur id quod Theologi communiter asserunt, nempe *eodem actu pluribus praeceptis satisfieri posse,* si illo unico actu totum ponatur quod per diversas leges praescribitur, sic v. gr. non sunt duo Sacra audienda, quando Festum de praecepto in Dominica incidet. Revera Pius IX, in sua Encycl. « *Amantissimi Redemptoris* », d. 3 maii 1858, hanc doctrinam ratam iam habere videtur, aiens: « Quando una cum solemnitate divinum Officium translatum fuerit in Dominicam, una tantum Missa pro populo est a Parochis applicanda » (cf. pariter S. C. Conc. d. 24 april. 1875 ap. Nouv. Revue Théol., t. VIII, p. 14).

XII. Quando Officium agitur de Desponsatione B. M. V., debetne fieri Commemoratio S. Ioseph?

Resp. In Desponsatione B. M. V. non est facienda commemoratio S. Ioseph sine speciali concessione (S. R. C. 5 maii 1736 ad Tit. IX, n. 2318).

P. V. ab A.

BREVIORA RESPONSA

Pro dioecesi Elnen. — Iamdiu vigebat consuetudo recitandi suffragium S. Ioannis Baptistae Patroni Principalis dioecesis. Imo S. R. Congregatio hanc consuetudinem confirmans, iussit, anno 1880, rogante Episcopo, suffragium istud inscribi in Proprio dioecesano noviter elaborato et approbato.

Quaeritur 1°. An nomen S. Ioannis retineri debeat aut possit in unico suffragio novo simul cum nomine Titularis in quacumque dioecesis ecclesia.

2°. An in oratione suffragii dici debeat *Ioanne* tantum, vel *Ioanne Baptista?*

Resp. Nomen S. Ioannis retineri *potest* in unico suffragio, addita debita distinctione *Baptistae*. D.

Pro Lutetia Parisiorum. — I. Lectiones I Nocturni, die octava festi Purissimi Cordis Mariae, legendae sunt de Scriptura occurrente, non vero repetendae de die festo, iuxta novissimas dispositiones. In II et III Nocturno, diebus infra octavam, sumentur Lectiones iuxta modum distributionis in iis notatum, ita ut si ibi dicatur: *secunda die .... tertia die .... infra octavam,* sine addito, sumantur de tertia vel quinta, etc., prout dies libera ad faciendum de octava sit tertia vel quinta etc.; si vero dicatur: *prima die libera .... tertia die libera .... infra octavam,* tunc v. gr. si dies prima libera sit tertia infra octavam, hac die tertia sumantur Le-

ctiones de prima die libera, si secunda dies libera sit quinta infra octavam, hac die quinta sumantur de secunda die libera. Dies octava, si habeat Lectiones expresse proprias, hae retineantur, secus adhibeatur methodus, cui innuimus.

II. Si pro die octavo festi Ss. Cordis Iesu habeantur Lectiones stricto sensu propriae, hae retineri possunt, iuxta novissimas rubricas. Potest tamen in praxim deduci decretum seu declaratio S. R. C., diei 24 iunii, circa Officia propria, *iuxta prudens Superioris iudicium*.

III. In festo S. Boni Latronis, ritu duplici non classico recolendo, iuxta mentem S. R. C., praesertim post decretum de quo supra, posset induci praxis de legendis Lectionibus de Scriptura occurrenti quin sumantur propriae, ut in antiquis Breviariis pro aliquibus locis; verum cum difficulter reduci possit reliquum officium, ob peculiarem conditionem istius Sancti, non videtur convenienter id fieri posse pro solis Lectionibus I Nocturni. Etiam in officio Commemorationis Oo. Ss. S. R. E. Summorum Pontificum retentae sunt Lectiones propriae, pro Clero romano, cum Responsoriis de Communi Apostolorum.

IV. In festo S. Simeonis prophetae, ritu duplici non classico recolendo, conformius erit dispositionibus et menti S. Sedis, si adhibeantur lectiones I Nocturni de Scriptura occurrenti, cum responsoriis de tempore, translatis responsoriis propriis de I et II Nocturno ad II et III Nocturnum.

V. Festum patronale Archiconfraternitatis, sub titulo B. M. V. Auxilium Christianorum, etiamsi antea celebraretur ratione concessionis factae Patribus Congregationis, quae Archiconfraternitatis curam habebat, nunc autem suppressae, nequit amplius celebrari, nisi Oratorium rite et solemniter B. M. V. Auxiliatrici dicatum fuerit, et non implicet quaestionem, quam recens agitavimus in hisce Ephemeridibus, circa iura Regularium, quod attinet titulares Oratoriorum.

VI. Regularium Instituta, in Gallia et Belgio, nequeunt amplius commemorationem facere de Ss. Apostolis die 26 iunii, et de Ss. Martyribus die 26 decembris, nisi in proprio

Kalendario, a S. R. C. noviter adprobato, illa servata sit, non obstante decreto eiusdem S. Congregationis diei 31 augusti 1867, n. 3157, XII.

Pro Monasterio R. in Gallia. — Quaenam lectio recitanda est, uti tertia, die octava simplici S. Bonaventurae, Ep. C. D., utrum de veteri officio diei octavae, quod antea sub ritu duplici recitabatur, an de Communi?

Resp. Si Moniales, de quibus in casu, utantur Breviario Franciscali, et tamen non sequantur Calendarium Fr. Min., servent lectionem de Sermone qui antea lectiones II Nocturni efformabat; sin vero Breviarium universale, sumant de Communi Doctorum, ex II Nocturno, si non placeat a S. C. petere magis propriam lectionem.

Declarat auctor huius responsi, qui et auctor fuit commentarii in decretum S. R. C. 8 iulii 1914, in fasciculo mensis elapsi, uti ceterum patet ex ipso contextu, se noluisse argumentari contra resolutionem decreti, sed affirmare, ex attestatione aliquot ex R.mis Membris Commissionis S. R. C., hanc S. Congregationem in illam sententiam devenisse, non quia eiusmodi argumenta repudiaverit, sed momentis innixam uniformitatis et minoris incommodi pro Regularibus; unde, scientifice, prout nostri Periodici moris est poterant alia argumenta adduci, absque ulla S. Congregationis offensa. Ceterum, interrogatus R.mus Director Ephemeridum, cur non potius remisisset articulum minus placentem auctori, respondit, se nil rescivisse, cum ab Urbe longe abesset.

Pro Ibagué. — I. Rituale romanum, tit. IX, cap. 5, n. 2 (editio typica, 1913), circa Hostiam consecrandam et deferendam in processione SS. Corporis Christi, ait quod ostensorium seu tabernaculum *velo operiatur,* donec auferatur ab altari. Cl. vero De Amicis, *Caerem. Paroch.* II, p. 121, n. 80[3] ait: ..... Sanctissimum in altari exponitur, et ostensorium *non cooperitur velo.* Quaeritur: Quid iuris? et in praxi?

Resp. Ius, uti patet, manet quod erat; consuetudo vero iamdiu, pluribus in locis, uti Romae passim, illi derogavit.

Ratio iuris est quod in casu non praescribitur expositio, sed paratur ostensorium pro processione: ratio consuetudinis est immediata expositio, quae non videtur reprehendenda.

II. In Vesperis solemnibus coram SS. Sacramento exposito, sequitur immediate, quin discedatur ab altari, Benedictio cum eodem Sanctissimo. Quaeritur: An Diaconus cum Subdiacono retinere possit pluviale, et sic deponere e throno et reponere, peracta Benedictione, Sanctissimum in tabernaculo?

Resp. Ministri in casu non adstabunt uti Diaconus et Subdiaconus, sed uti Assistentes, qui non prohibentur, dummodo alter Sacerdos vel Diaconus exponat et reponat SS. Sacramentum, illudque, si ita fert consuetudo, Celebranti tradat et ab eo recipiat (S. R. Congr., n. 4179, VIII).

III. Ex S. R. C. Decreto n. 4257, Tunquen., VIII, ob eamdem causam, quae ibi describitur, datur et hic Benedictio cum SS. Sacramento in ianua Ecclesiae. Sed hoc parit aliam difficultatem. Pars non modica populi, ante Benedictionem, iam intraverat ecclesiam; Decreta et Rituale romanum, tit. IX, cap. 5, n. 5, iubent in altari, cantato hymno *Tantum ergo* etc., dari Benedictionem. Quidam negant posse iterum dari, eo quod iam data sit in ianua Ecclesiae, et iuxta eos, post hymnum: *Tantum ergo,* versiculum et orationem, reponi deberet SS. Sacramentum, quin detur Benedictio; alii, e contra, dari debere contendunt, vi Decretorum et Ritualis romani. Quaeritur: Quid agendum?

Resp. Non videtur deneganda altera Benedictio in ecclesia, quia ex contextu decreti n. 3225, quod invocatum fuit in Tunquen., patet plures admissas fuisse Benedictiones cum Sanctissimo, et populus, in ecclesia coadunatus, est, ut videtur, alius.

IV. Attentis S. R. C. decretis, nn. 2049 ad 27; 2188 ad 4 et 5; 2192 ad 3, delatio SS. Sacramenti in Processione SS. Corporis Christi spectat ad Celebrantem. Attamen, si processio solemnis per vias et plateas fiat, non post Missam,

sed vespere (uti mos est in his regionibus), potest ne alius Sacerdos licite deferre SS. Sacramentum?

Resp. Putamus esse reponendum affirmative, quia reipsa ex rubricis processio in casu connectitur cum Missa. nullibi autem praescribitur post Vesperas; hinc, si non praescribitur, potest, cum debita habeatur facultas, eam peragendi, uno vel altero modo, quod non prohibetur, gubernari.

V. Haud raro in parochiis celebratur festivitas alicuius Sancti perquam solemniter et cum maximo populi concursu. Pro Missa tamen paramenta Diaconi et Subdiaconi, non eiusdem, sed alterius coloris inveniuntur ac paramenta Celebrantis. Quaeritur: Attentis et solemnitate festi, et populorum concursu, licet ne Diacono et Subdiacono uti, in casu, paramentis diversi coloris?

Resp. Negative, per se; quia indecorum satis id apparet; verum si turbae excitentur ob consuetudinem, prudenter agendum, donec paramenta, quae maximas demum expensas non important, comparentur.

VI. Parochus quidam ecclesiam suam abhinc pluribus annis aedificare coepit, opus praegrande et nondum peractum, Presbyterium tamen et navem centralem, quae fidelium usui inservire iam potest, ipse sub vespere, solemnissime benedixit, diebusque sequentibus Missae celebrari coeperunt. Haec benedictio alicui visa est pugnare cum rubricis Ritualis romani, tit. VIII, cap. 27, ubi dicitur, quod haec benedictio fieri debeat mane (n. 1), quod parietes et fundamenta aspergenda sint cum aqua benedicta (n. 3), et in casu facta fuit aspersio pavimenti et columnarum tantum; demum, in n. 12, praescribitur Missa, quae, uti patet, celebrata non fuit. Probabile videtur, etsi fateor non omnino mihi constat, hunc Parochum egisse proprio marte. Quaeritur: Quid de hac agendi ratione?

Resp. Casus persaepe datur, quo oporteat interea, dum aliqua erigitur ecclesia maioris molis, ut eius pars aptetur in commodum fidelium Sacris vacare cupientium. Pars eiusmodi nil prohibet quominus benedicatur, sed quaestio est utrum

benedici debeat benedictione simplici, an benedictione solemni, de qua Rituale rom. titulo VIII, cap. 27. Nihil obstat quominus ecclesia benedicta, postea consecretur, imo nihil obstat quominus benedicatur, etiam praevisa eius futura consecratione. Neque obstare videtur quominus ecclesiae pars benedicatur, quae per se sit aedificium, ecclesiae vel oratorii nomine communi aestimatione designandum. Nihil porro habetur, in ipso benedictionis schemate, quod respiciat perpetuam loci huiusmodi ad sacra destinationem. Atvero, in nostro casu, habemus aedificium, saltem in sua maiori parte, non completum, adeo ut, quod est praecipuum, deficiant duo muri laterales. Hinc resolvimus, ex parte aedificii, illud non fuisse aptum ad recipiendam solemnem benedictionem, constat enim uno presbyterio et columnis. Si tamen inter columnas muri temporaria molitione erecti sint, hi apti profecto essent ad structuram integram efficiendam, et aptam ad benedictionem. Quod vero defuerit licentia Episcopi, quod functio peracta sit vespere, quod consequenter defecerit Missa, haec omnia contra legem Ritualis romani acta sunt.

VII. Caeremoniale Episcoporum, lib. II, cap. 3, praescribit ut fiat rotulus (in Processione Corporis Christi), in quo describantur per ordinem omnes, qui Processioni interesse consueverint. Quaeritur: An rotuli schema quod seorsum mittitur, rite disponat ordinem procedendi? Et in casu negativo, quomodo corrigendum sit?

Resp. Rotulus, de quo inquiritur, quemque non exhibemus verecundiae gratia, omnino probari nequit, cum elementaribus regulis S. Liturgiae adversetur, quae sunt de non admittendis pueris et puellis, viris et matronis in liturgica processione, scilicet post Crucem processionalem, seu Cleri, et quidem ita permixte ut mares foeminis passim alternentur. Correctio fieri deberet sic: Pueri et viri procedant ante Crucem Cleri; foeminae vero, sequantur Sanctissimum, ordine congruenti. Si tamen perturbationes excitentur ex denegato interventu foeminarum ante Clerum,

tolerari posse putamus, ut ipsae etiam viros et pueros antecedant, sed relicto spatio, ita ut separatus nucleus videatur.

* *

Pro Hispania. — I. In secundis Vesp., tam in festo quam per octavam Ascensionis Domini, versus debet esse *Dominus in coelo...* ut praescribit novissimum Breviarum Romanum (Desclée et Sociorum), vel *Ascendit Deus...* iuxta *Variationes?*

Resp. Iuxta *Variationes,* quae concordant cum Breviario domus editricis Pustet, quod a S. R. C. typicum declaratum est pro editionibus in quatuor partes.

II. Die 15 maii (anno 1915, infra Oct. Ascensionis) agitur festum S. Isidori Agricolae C. sub ritu duplici, quod Lectiones habet proprias, non vero Responsoria, in primo Nocturno. An cum dictis Lectionibus propriis legi debeant Responsoria de Communi, vel de octava Ascensionis?

Resp. Iuxta novissimas rubricas, tit. I, n. 4, deficientibus Responsoriis propriis pro lectionibus propriis, I Nocturni, dicenda sunt de Communi.

III. An per octavam communem festi, quod in primo Nocturno habet Responsoria propria, uti festum S. Iacobi Ap. in Hispania, cum Lectionibus primi Nocturni de Scriptura legi debeant Responsoria de feria, vel de festo?

Resp. Per octavas communes, Lectiones et Responsoria I Nocturni, nisi propria habeantur, sumuntur de Scriptura occurrenti, ut ait rubrica specialis ante Proprium Sanctorum in Breviario typico novissimo, scilicet, Responsoria sunt de feria.

IV. In dioecesi M. duae sunt orationes ab Ordinario imperatae, alia nempe pro Papa, alia *tempore belli.* Quo ordine praefatae collectae dicendae sunt?

Resp. Nisi aliter Ordinarius declaraverit, patet orationem *tempore belli* esse pro re gravi; hinc, si privilegio potitur, quo numquam omittenda est, etiam in duplicibus primae classis, dum omittitur oratio *pro Papa,* a fortiori

huic praecedere debet; si enim vim habet permanendi, dum alia eliminatur, vim habet praecedendi, dum concomitatur.

V. Iuxta decretum S. R. C., 24 iunii huius anni, officia Ecclesiae universalis in Breviario Romano inserta substitui valent, prudenti iudicio Ordinarii, respectivis officiis particularibus hucusque concessis (infra ritum duplicem II cl.). An idem dici possit de Missa; ita ut in Hispania, v. g., in Festis SS. Cordis Iesu, S. Teresiae V. et aliis, celebrari valeat Missa quae in corpore Missalis Romani inserta est?

Resp. Affirmative, Missa enim est pars officii, et nequit excludi a sententia decreti. Verum non teneri Ordinarios putamus ad omnimodam redactionem officiorum iuxta schema Ecclesiae universalis; commutatio enim prudenti illorum remittitur iudicio, et prudens iudicare valet Ordinarius retinere v. g. hymnos proprios, lectiones I Nocturni vel III, etc., quod insinuatur ex secunda parte decreti, quae versatur circa festa quae non extant, vel tantum ritu simplici, in Breviario romano. Non enim intelligeretur cur officium particulare, quod respondet simplici de Breviario universali, magis privilegiatum esse posset officio, quod respondet duplici de eodem Breviario. Id autem applicari valet Missae, quam vel integre propriam retinere Ordinarius posset, vel tantum v. g. quoad orationes et Evangelium.

Pro dioecesi C. — I. Rursus declaramus, nos nequire sententiam proferre circa quaestiones, quae *personaliter* R.mos Episcopos tangunt, non obtemperantes, uti asseritur, Caeremoniali Episcoporum et S. Rituum Congregationis decretis. Neque possumus, in praesenti casu, generatim loqui, quaestio enim in controversia cum R.mo Episcopo C. praeoccupata est.

II. Ex pluribus decretis S. R. Cong.nis quae versantur circa Presbyterum assistentem, pluviali indutum, Dignitati vel Canonico solemniter celebranti, satis sit revocare quod datum est sub n. 3580, I, quo admittitur, supposita immemorabili consuetudine.

M.

De Calendarii internationalis reformatione

Cum plurimi exoptent rescire, quid apud Coetum internationalem Leodiensem, habitum diebus 27, 28 et 29 maii decurrentis anni, resolutum fuerit, circa Calendarii reformationem, hanc, quae sequitur, praebemus notitiam, nulli tamen commentario ex parte nostra indulgentes, ne S. Sedis iudicia, quod s. Liturgiam spectet, praeveniamus.

Institutum v. d. « Bourse Industrielle de Liège », ut faveret optatis Comitatus permanentis Congressuum Internationalium earum quas vocant « Chambres de Commerce », et Associationum Commercialium et Industrialium, coetum indixit, in quo discuteretur quaestio reformationis Calendarii per varios propositionum auctores, per viros magis notos, qui de re iam egerunt, per Cameras Commercii, per delegatos Societatum scientiarum, et per theologos differentium cultuum.

Ex notissimis apud nos ecclesiasticis viris interfuerunt: *Dom Lambertus Beauduin,* ex Abbatia Montis Caesaris, Lovanii in Belgio; *Canonicus Callewaert,* Praeses magni Seminarii Brugensis in Belgio. Adhaeserunt autem, scriptis quoque transmissis: *Dom Adolfus Bertrand,* e regia Abbatia S. Dominici de Silos, Burgi in Hispania; *Canonicus Carolus Caeymaex,* Professor magni Seminarii Mechliniensis in Belgio; *P. Gabriel Nahapetian,* e Mechitaristis Venetiarum; *P. Art. Veermersch,* Soc. Iesu, Professor Lovanii in Belgio.

Post varias discussiones, in quatuor sessionibus habitas, in quibus res longo examini supponebantur sub aspectu religioso, scientifico et oeconomico, resolutiones sequentes adoptatae sunt:

« Congressus Internationalis pro reformatione Calendarii Leodii coadunatus diebus 27, 28 et 29 maii 1914:

« 1° Considerata multiplicitate Calendariorum nunc in usu, et necessitatibus vitae hodiernae, votum depromit, ut Calendarium novum universale adoptetur a civili qualibet potestate et a quavis religiosa auctoritate ».

Hoc votum unanimi consensione adoptatum est.

« 2° Congressus promit votum, ut novum Calendarium sit perpetuum, in tuto ponens invariabilem concordantiam inter dies et periodos (*dates*) anni ».

Hoc votum unanimes omnes invenit.

« 3° Congressus, ad examen revocatis sententiis et documentis sibi exhibitis, pro explorato habet, nihil prorsus obstare, si res sub aspectu religioso consideretur, quominus sine dato remittatur unus dies in annis communibus, duo autem in bissextilibus ».

Hoc votum omnia sibi comparavit suffragia, duobus exceptis (D. Bigourdan se abstinuit, D. Philip contrariam emisit sententiam).

« 4° Congressus votum depromit, ut annus diebus constet 364, periodica serie compositis (*jours datés*), ut habeantur hebdomadae 52 integrae, addito die complementari in annis communibus, et duobus item complementaribus in bissextilibus ».

Hoc votum omnia excepit suffragia, demptis duobus contrariis (D. Bigourdan et D. Philip).

« 5° Congressus emittit votum, ut anni divisio in menses duodecim conservetur ».

Hoc votum omnia collegit suffragia, praeter unum contrarium (D. Delaporte).

« 6° Congressus emittit votum, ut festum Paschae ad unam ex prioribus Dominicis mensis aprilis affigatur ».

Hoc votum omnia sibi vindicavit suffragia, praeter unum (abstinuit D. Meyer, israelita).

M.

Appendix.

SACRA CONGREGATIO S. OFFICII

(Sectio de Indulgentiis)

I.

DECRETUM

seu declaratio circa indulgentiam « toties quoties » Crucifixis adnexam

Supremae sacrae Congregationi S. Officii relatum est, sacerdotes quosdam consuevisse benedictione donare crucifixos, asserentes iisdem applicare plenariam indulgentiam, toties a fidelibus lucrandam, quoties osculum alicui ex praefatis crucifixis infixerint: id vero apostolica auctoritate. Quum non sit de Romanae Ecclesiae consuetudine in facultatibus indulgentias applicandi quosdam limites discrectionis excedere, ad mentem decreti S. Indulgentiarum Congregationis d. d. 10 augusti, anno 1899, in quo aliquot exhibentur regulae, « quibus prae oculis habitis, nedum locorum « Ordinariis, sed et ipsis christifidelibus facilis ape« riretur via ad dignoscendum quodnam sit ferendum « iudicium de aliquibus indulgentiis, quae passim in « vulgus eduntur, dubiamque praeseferunt authentici« tatis notam », visa est asserta facultas aut mere dictitata, aut praepostera interpretatione accepta.

Hisce considerationibus permoti E.mi ac Rev.mi Patres Cardinales generales Inquisitores, feria IV, die

10 iunii, anno 1914, censuerunt esse de hac re Sanctissimum consulendum. Sanctitas porro Sua, in audientia, feria V subsequenti, die 11 iunii, eodem anno, R. P. D. Sancti Officii Commissario impertita, mentem suam benigne aperire dignata est, et mandavit sequens expediri decretum: « Facultas benedicendi crucifixos « cum indulgentiae plenariae applicatione, toties quo« ties nuncupatae, sive personaliter a Summo Ponti« fice, sive quomodocumque ab apostolica Sede, per « tramitem cuiuslibet Officii vel personae obtenta, ita « et non aliter est intelligenda, ut quicumque chri« stifidelis in articulo mortis constitutus aliquem ex « huiusmodi crucifixis benedictis, etiamsi illi non per« tineat, osculatus fuerit, vel quomodocumque tetigerit, « dummodo confessus ac sacra Communione refectus, « vel si id facere nequiverit saltem contritus, Ss.mum « Iesu nomen, ore, si potuerit, sin minus corde, de« vote invocaverit, et mortem tamquam peccati stipen« dium de manu Domini patienter susceperit, plena« riam indulgentiam acquirere valeat. Contrariis qui« buscumque non obstantibus ».

D. Card. FERRATA, *Secretarius.*

L. ✠ S.

Fr. Dom. M. Pasqualigo, O. P., *Comm. G.lis S. O.*

SUPREMA S. CONGR. S. OFFICII

I.

DECRETUM.

Plenaria indulgentia « toties quoties » conceditur in defunctorum solamen die 2 novembris.

Die 25 iunii 1914.

SS.mus D. N. D. Pius div. prov. Pp. X, in audientia R. P. D. Adsessori S. Officii impertita, perlibenter suscipiens preces multorum, praesertim Sacrorum Antistitum, ampliori cupientium suffragio animabus in purgatorio degentibus subvenire, quo die generalis in Ecclesia universa defunctorum celebratur commemoratio, accedente eminentissimorum Patrum Cardinalium Inquisitorum generalium voto, in congregatione habita feria IV, die 24 iunii, anno 1914, favorabiliter expresso, benigne concedere dignatus est, ut die secunda novembris cuiuslibet anni, christifideles, confessi ac s. Communione refecti, quoties aliquam ecclesiam vel publicum aut semipublicum oratorium, defunctis suffragaturi visitaverint, ibique ad mentem Summi Pontificis oraverint, toties plenariam Indulgentiam, animabus piacularibus flammis addictis tantummodo profuturam, lucrari valeant. Praesenti in perpetuum valituro, absque ulla Brevis expeditione. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

D. Card. FERRATA, *Secretarius*

L. ✠ S.

† DONATUS, Archiep. Ephesin., *Adsessor.*

II.

DECRETUM SEU DECLARATIO

De partialibus indulgentiis semel vel pluries in die lucrandis.

Die 25 iunii 1914.

SS.mus D. N. Pius div. prov. Pp. X in audientia R. P. D. Adsessori S. Officii impertita, proposito dubio, an toties lucrifieri valeant indulgentiae partiales, quoties iniunctae preces vel opera iterentur, si nulla fiat in ipsarum concessionibus declaratio de iis pluries in die vel semel tantum acquirendis; praehabito voto eminentissimorum Patrum ordinaria Congregatione enunciato, benigne respondere dignatus est: « Affir« mative, seu posse, in casu, eiusmodi partiales Indul« gentiae toties acquiri, quoties, preces vel pia opera « in concessionibus indicata reiterentur ». Contrariis quibuscumque non obstantibus.

D. Card. FERRATA, *Secretarius.*

L. ✠ S.

† DONATUS, Archiep. Ephesin., *Adsessor.*

III.

DECRETUM

Indulgentia C dierum tribuitur recitantibus quandam laudem in honorem SS.mi Cordis Iesu.

SS.mus D.nus noster Pius div. prov. Pp. X in audientia R. P. D. Commissario S. Officii impertita, die 11 iulii 1914, benigne concedere dignatus est, ut qui-

cumque christifideles, corde saltem contrito ac devote, iaculatoriam precem « *Laudetur Cor sacratissimum Iesu in sanctissimo Sacramento* » recitaverint, quoties id egerint, Indulgentiam centum dierum, defunctis quoque adplicabilem, lucrari valeant. Praesenti in perpetuum valituro absque ulla Brevis expeditione. Contrariis quibuscumque non abstantibus.

D. Card. FERRATA, *Secretarius*.

L. ✠ S.

† DONATUS, Archiep. Ephesin., *Adsessor*.

BIBLIOGRAPHIA

CIRIACO UTTINI P. D. M. — **Corso di Scienza liturgica.** Libro primo. Edizione seconda. Pagg. XVIII-510.

Omnis scientia ex suo obiecto valorem et aestimationem praecipue desumit; et ideo quanti sit facienda scientia liturgica, ex sacra liturgia quae eius obiectum est definiri debet. Quanti vero momenti sit sacra liturgia manifeste eruitur ex elementis seu operibus quibus ipsa componitur. Nam quaenam sunt huiusmodi opera? Missae sacrificium, horae canonicae, sacramentalia, divini Verbi praedicatio; scilicet opera ministerii sacerdotalis ad consummationem sanctorum. in aedificationem Corporis Christi ab ipso Christo in Ecclesia instituta; opera quibus supernaturalis ordo innititur, et supernaturale commercium inter Deum et Ecclesiae membra exercetur. Quid ergo hoc operum complexu maius aut excellentius inveniri potest? Scientia ergo liturgica ratione sui obiecti scientias omnes alias antecellit. Quapropter volumen istud quod circa scientiam liturgicam versatur in magna consideratione habendum est.

Cum autem sacra liturgia pluribus operibus, veluti suis partibus constet, diversimode considerari potest, scilicet ut complexus operum liturgicorum. sive ut opus liturgicum in genere complectens omnia opera liturgica, et considerari potest in suis partibus, considerando opera liturgica particularia, videlicet Missae sacrificium, officium divinum etc.

In hoc volumine, quod librum primum cursus liturgici continet, sacra liturgia consideratur generaliter, seu ut opus liturgicum in genere. Cum autem opus liturgicum in ipsa Ecclesiae constitutione ac subsistentia partem habeat, ipsam Ecclesiam indesinenter comitatur, ac variis eiusdem statibus aptari debet; hinc considerare oportet sacram liturgiam in statu innocentiae, in lege naturae,

in lege scripta, et in Christo. Ex hoc oritur divisio libri in quatuor partes secundum quatuor status Ecclesiae ab initio generis humani, usque in praesens.

Quoad valorem subiectivum huius libri sufficit iudicium quod de ipso tulerunt tres Eminentissimi, decus sacri Collegii.

Em.mus Secretarius S. C. Consistorialis ad Auctorem:

« Ringrazio del suo volume. Ella è veramente un esimio cultore dei sacri riti, i quali, come Ella giustamente osserva, non solo sono nella pratica, ma anche sono una scienza. — Con ossequio — Card. G. De Lai ».

Em.mus Archiepiscopus Mediolanensis:

« Milano, 12-VIII-14. — *R.mo Signore*. — Proprio stamane quando stavo per ringraziarla del bel volume speditomi mi giungeva la riverita sua lettera di ieri. La ringrazio dunque del dono fattomi, e me ne rallegro perchè è uno di quei lavori che ben possono dirsi poderosi.

« L'ho letto in buona parte, e mi è piaciuto. Vi si vede copia di dottrina sacra, vastità di erudizione, esposizione bene ordinata e chiara; vi è messa in giusta e chiara vista il concetto di liturgia.

« Solo osserverei che forse un po' troppo di altre cose vengono attorno alla liturgia. specialmente non poco della metafisica, della geologia e della storia premosaica. Infatti è già un grosso volume, e non è che il primo; sicchè l'opera intiera potrà servire non per gl'incipienti, ai quali occorrono elementi o poco più, ma per i provetti nelle discipline liturgiche, ahi troppo scarsamente studiate dal lato scientifico; e sarà opera di compulsazione.

« Di nuovo però mi rallegro con V. S., ed auguro al suo lavoro un felice successo. — Con distinta stima. ✠ Andrea, *Arcivescovo* ».

Em.mus Archiepiscopus Pisanus:

« *Ill.mo Signore*. — Come a voce, così in iscritto, non esito punto a plaudire al suo pensiero di dar anima alla liturgia.

« Che cosa sarebbero i riti esterni se non fossero l'interpretazione di un pensiero, di un affetto intimo del sacerdote? Pur troppo si veggono delle Messe liturgicamente (per le cerimonie esterne) perfette, spiritualmente miserabili.

« Ma è appunto questa contraddizione che si deve far scomparire; e quanti leggeranno le sue pagine le plaudiranno, ricono-

scendole la interpretazione del pensiero, e il sospiro di tutti i buoni.

« Al volume dunque non potrà mancare la buona accoglienza che merita, e come il volume sarà secondato il pensiero e la bella iniziativa.

« Forse nel desiderio di appoggiare sempre più efficacemente la tesi, nel volume vi ha qualche esuberanza di carattere diverso, e che potrebbe avviare il lettore ad altre letture e discussioni, ma dirò col proverbio toscano « il di più non guasta », e tutto gioverà. E' il mio voto.

« Grazie, ed ossequi affettuosi, R.mo Signore, di chi le è sempre — Aff.mo — Card. MAFFI.

Venumdatur apud auctorem, Fermo, prov. d'Ascoli. L. 5.00.

Fr. BERNARDINI A PALMA ARBOREA O. M. C. **Commentarium historicum in universum Romanum Martyrologium,** in duodecim volumina, iuxta duodecim anni menses distributum.

Vix prodiit in lucem enuntiatum opus, scriptores, tum nostri, tum exteri, in suis publicationibus, unanimi consensu, clarissimo auctori plauserunt, eique sinceras ac innumeras laudes tribuere opportunum duxerunt. Quoniam autem tot laudum cumulus, et plausus in pluribus foliis periodicis tam luculenter manifestatus plerumque attingit genericam operis magnitudinem, considerato vario eiusdem respectu, sive doctrinali historico, ascetico et litterario; operae pretium est, ut nos moderatores ephemeridis prorsus liturgicae, illud consideremus sub adspectu dumtoxat liturgico.

Omnibus satis notae sunt innumerae vicissitudines, quibus obnoxium fuit Martyrologium Romanum, usque ad recentissimam typicam editionem, anni 1913. Qua in re supervacaneum est immorari. Liceat solummodo ac transitorie verbum facere de memorata typica editione vaticana. Haec id sibi proposuit, ut praecipuam curam poneret in curanda parte technica: quam rem mirifice absolvit, non vero animum intendit ad removendos errores historicos, ad delenda personarum nomina, quae nunquam extiterunt, et ex actis apocryphis

desumpta, quae etiam in lectionibus historicis Breviarii Romani adoptata fuere.

Quapropter summam meretur laudem clarissimus Pater Bernardinus a Palma Arborea ex Ordine Seraphico Minorum Cappuccinorum, qui tamquam verus asceta, et doctus historicus composuit praefatum Commentarium. Eius opus est tamquam praeparatorium, ut, tempore opportuno, deveniri possit ad perfectam Breviarii Romani reformationem. Hic autem finis cum nullimode obtineri possit nisi praevia et completa Martyrologii correctione, arduum sane opus aggressus est auctor. Verumtamen opus esset, ut iussu S. Sedis ad hoc perficiendum, specialis Commissio peritissimorum Agiographiae scriptorum eligeretur, uti sunt Bollandistae e Belgio. Intra breve annorum spatium, optatissimus tanti operis exitus haberetur. Valde commendamus rerum liturgicanum et ecclesiasticae historiae studiosis opus praefati scriptoris, qui iam in lucem edidit sex volumina, et vota facimus, ut quamprimum magnum istud opus absolvat, quod initium habuit cum speciali benedictione Pii Papae X felicis recerdationis, et quod procul dubio Benedictus decimus quintus, novus Ecclesiae Pontifex, zelo ac doctrina praeditus, ad felicem exitum adducere curabit, plaudentibus omnibus.

P. M.ª D. A.

NATALIS BAGGIO Sac. = **Archaeologiae Biblicae Elementa ad Scholarum usum accommodata.** = Vicenza, Giovanni Galla, 1913. L. 1.50.

Hac nostra aetate, qua, Deo favente, S. Scripturae studia in honorem sunt revocata, opportunum, imo et necessarium est ut viri periti viam magis magisque complanent, ad ea uti par est colenda. Est equidem maximi momenti sacrae Archaeologiae investigatio, praesertim illius specialis, quae biblica nuncupatur, quippe quae videlicet in antiquos libros divinitus inspiratos peculiariter versatur. Ut vero initiandi huiusmodi studiis rem totam cito amplecti valeant, quin tamen vel nimis fatigentur, vel re in tota sua congerie opprimantur, opus quidem est elementari tractatione materiae, quae et provectioribus postea utilissima erit, ad res compendiatim revolvendas. Id praestitit Rev. D. Natalis Baggio, Vi-

centinae dioecesis sacerdos, huius opellae editione, in suo genere absolutissimae, et in qua non desunt sobriae considerationes, et opportunae ad nostram divinam religionem comparationes. Is methodo usus est commendabilissima, utpote et rationali et rerum naturae apprime consentanea.

Si Elementa istiusmodi perutilia sunt studiosis de re biblica, non minus utilia, imo et necessaria, sacram Liturgiam colentibus dicentur, nec non omnibus Ecclesiasticis, qui rem divinam prosequi debent; compertum enim est, nullimode posse quemquam eiusmodi rebus utiliter famulari, nisi cum aliqua saltem elementari biblicae archaeologiae cognitione. Unde non dubitamus haec Elementa nostris Lectoribus humanissimis commendare.

Vestis insuper voluminis est elegantissima, quae profecto dilieentiorem requirebat aliquot mendorum, etsi parvi momenti, correctionem.

Sacrae Liturgiae Promptuarium, iuxta novam Rubricarum reformationem Bullae « *Divino afflatu* » et recentissima S. R. C. Decreta, cura et studio P. Victorii ab Appeltern, Ordinis Fratrum Minorum Capuccinorum Provinciae Belgicae Exprovincialis et Iuris Canonici ac S. Liturgiae Lectoris emerti. Brugis, sumptibus Caroli Beyaert 1914, in 8, tres partes in duo volumina.

Tomus I. — Pars I. — Introductio ad S. Liturgiam et Rubricae Missalis Romani ac Caeremonialis Episcoporum, Pag. XIX-648.

Tomus II et III. — Pars II. — Rubricae Breviarii Romani. Pag. 176 — et Pars III. — Rubricae Ritualis Romani. Pag. 248.

Cum legislatio liturgica in hisce ultimis annis tot et tantas mutationes subierit, cultores omnes S. Liturgiae certe confiteri debent opus aliquod liturgicum abhinc aliquos annos compositum et typis datum quasi inutile et in vanum in praesenti evasisse et consequenter quasi ex integro esse reformandum.

Hinc cl. noster collega, Adm. R. P. Victorius ab Appeltern, celebratissimus huius temporis Rubricista, optimum opus operatus

est, offerens S. Liturgiam amantibus novum opus liturgicum omnino completum, stylo facili et methodico exaratum, et quantum possibile hodiernis S. Liturgiae legibus revera conforme.

Cum autem praesens opus omnino differat a suo opere antiquo, Manuali Liturgico, non solum quoad res et contenta, sed etiam quoad divisionem capitum, concinnitatem, formam et qualitatem typorum, auctor praesenti operi iure merito dedit novum titulum, scilicet **S. Liturgiae Promptuarium.**

Cunctis igitur S. Liturgiae studiosis praesens opus maxime commendamus, persuasi quod hoc Promptuarium omnibus sit unum ex hodiernis Manualibus accuratissimum et utilissimum.

P. Petrus Maria De Amicis, P. C. M.

PROPRIETAS LITERARIA

IMPRIMATUR
Fr. Albertus Lepidi O. P., S. P. A. Magister.

IMPRIMATUR
Franciscus Faberj, Vicariatus Urbis *Adsessor*.

Augustus Zucconi, Director Domus editricis Desclée et Soc., Romae, *Sponsor*.

Ex Officina Polygraphica Latiali, Fratrum Tempesta, Via Boccaccio, 7 - Roma

Acta Sanctae Sedis
sacram Liturgiam spectantia.

SACRA CONGREGATIO RITUUM

DECRETUM

adprobationis lectionum pro festis universalis Ecclesiae quae alicubi commemoratione tantum gaudent.

Quum Festa Ecclesiae universalis saepe saepius ob occurrentiam sive perpetuam sive accidentalem cum Festo seu Officio nobiliori alicuius particularis ecclesiae ita maneant impedita, ut tantum Commemoratione atque unica Lectione gaudeant, sacra Rituum Congregatio, variis Ordinariorum petitionibus satisfactura, ad tramitem decreti 25 maii 1914 ad IV, de Festis seu Officiis enunciatis unicam Lectionem, ut plurimum ex tribus contractam, redigendam curavit, eamque revisam ac rite probatam, prout res postulabat, benigne concessit. Ex hisce singulis Lectionibus praesens collectio exorta est, quam, de mandato Ss.mi D.ni nostri Pii Papae X, ipsa sacra Congregatio pro rei necessitate et opportunitate in vulgus edi statuit ac decrevit; easdemque Lectiones iuxta Rubricas adhiberi posse ac debere declaravit. Praesens autem decretum approbationis et concessionis pro

utroque clero aliisque, quatenus opus sit, sacra eadem Congregatio huic collectioni praefigi voluit ac iussit. Contrariis non obstantibus quibuscunque.

Die 24 iunii 1914.

Fr. S. Card. Martinelli, *Praefectus.*

L. ✠ S.

† Petrus La Fontaine, Ep. Charystien., *Secr.*

Commentarium.

Festa de quibus loquitur praesens decretum sunt omnia quae in Kalendario universali sub ritu duplici maiori, duplici minori et semiduplici inscribuntur; sive Domini, sive B. Mariae Virginis, sive Sanctorum, quae cum aliquo Officio occurrere possunt nobiliori, sive accidentaliter sive perpetuo, in aliqua natione, dioecesi, instituto, vel ecclesia particulari; quo in casu, si Officium impediens non est ritus duplicis I classis, praeter commemorationem, admittit 9^{am} lectionem Officii universalis Ecclesiae, ad instar simplicis redacti (S. R. C. die 23 octobris 1913, IV, 2. - Rubricae ad normam Bullae *Divino afflatu*, in novissimo Breviario typico, tit. V, VI et VII).

Quum autem grave reputatum sit, nonam lectionem recitare, conflatam, ut plurimum, ex tribus, coeperunt nonnulli, ac praesertim Ordinarii ac Superiores Religiosorum a S. Sede exquirere, ut permitteret nonam lectionem contractam legi. Sacra autem Rituum Congregatio, opportunum duxit indultum ad universam extendere Ecclesiam et curavit, ut de omnibus ex singulis Officiis universalibus, in ea conditione existentibus, ut cum unica lectione recolerentur, ex officio fieret reductio. Qua peracta, revisa ac probata, benigne concessit ut, absque singulari atque individua concessione, lectiones huiusmodi ab omnibus adhiberi valeant,

qui ed Horas canonicas tenentur. Notanda est tamen, in praesenti decreto approbationis, vox *debere* ad *posse* adiecta; noluit S. Congregatio omnibus generatim talem reductionem imponere, sed potestatem fecit sive siugulis, sive communitatibus eam accipiendi, cum hac distinctione: communitates, facta acceptatione, non erunt amplius liberae modo unam modo alteram lectionem adhibendi; singuli autem, ad libitum poterunt utramque assumere. Pro communitatibus igitur, illud *posse* in *debere* convertitur, si acceptatio facta fuerit.

Nota - In decreto supra relato emendavimus mendum typographicum, quod irrepsit in Actis Apostolicae Sedis, fasciculo 8; scilicet decretum ibi citatum editum fuit die 25 maii hoc anno 1914, non vero 1904. In eo dicebatur, lectiones contractas posse inseri in Propriis particularibus, postquam a S. R. C. fuerint approbatae; in hoc autem, declarantur approbatae illae, quae in collectione, cui decretum praeponitur, inveniuntur.

Expositio Rubricarum.

COMMENTARIUM

in novissimas Rubricas iuxta Motu proprio S. Mem. Pii Pp. X " Ab hinc duos annos „ et subsequens S. R. C. Decretum 28 Octobris 1913 emendatas.

(Continuatio. Vide num. 10 curr. anni, pagg. 577-589).

FESTA

quae cum Octava celebrantur (123)

alia gaudent Octava privilegiata, de qua semper fit aut Officium, aut saltem Commemoratio; alia Octava communi, de qua etiam Commemoratio quandoque omitti potest, iuxta Rubricas; alia Octava simplici, de qua fit tantum in die Octava.

OCTAVAE PRIVILEGIATAE

de quibus semper fit aut Officium aut Commemoratio dividuntur in tres ordines:

Octavae I Ordinis

quae in occurrentia Festis quibuslibet praeferuntur:

Octava Paschatis
Octava Pentecostes

Octavae II Ordinis

quae in diebus infra Octavam Festis quibus libet praeferuntur praeterquam Duplicibus I classis, in die autem Octava etiam Duplicibus I classis quae non sint Ecclesiae universalis:

Octava Epiphaniae
Octava Corporis Christi

Octavae III Ordinis

quae in occurrentia iisdem tantum Festis praeferuntur atque Octavae communes:

Octava Nativitatis Domini
Octava Ascensionis

OCTAVAE COMMUNES

quae infra Octavam praeferuntur tantum Officiis Simplicibus, et in die Octava omnibus Duplicibus quae non sint I aut II classis:

Octava Conceptionis immaculatae B. Mariae Virg.
Octava Assumptionis eiusdem
Octava Nativitatis S. Ioannis Baptistae
Octava Solemnitatis S. Ioseph
Octava Ss. Petri et Pauli App.
Octava Omnium Sanctorum
Octava Dedicationis et Tituli propriae Ecclesiae
Octava Dedicationis et Tituli Ecclesiae Cathedralis
Octava Patroni principalis Oppidi vel Civitatis, Dioecesis, Provinciae et Nationis
Octava Tituli et Sancti Fundatoris Ordinis seu Congregationis
Octavae aliorum Festorum Duplicium I classis, quae alicubi cum Octava celebrentur.

Octavae simplices

que in die Octava Festis Simplicibus praeferuntur et Officio sanctae Mariae in Sabbato:

Octava Nativitatis B. Mariae Virg.
Octava S. Ioannis Ap. et Ev.
Octava S. Stephani Protomartyris
Octava Ss. Innocentium Mm.
Octava S. Laurentii Mart.
Octavae aliorum Festorum Duplicium II classis, quae alicubi cum Octava celebrentur.

(123) Utiliter in hoc catalogo recensentur etiam festa, quae cum octava recoluntur in universa Ecclesia: siquidem, uti supra iam vidimus (nota 72), octava praebet titulum praecedentiae super festa quae octavam non habent, ideoque opportune sub oculis hic exhibentur festa illa, quae ratione octavae aliis sint praeferenda.

Octavae in diversos quoque ordines distinguuntur, ut facilior evadat usus tabellarum sequentium, in quibus octavae ipsae, iuxta diversos ordines, inscribuntur.

Si occurrat eodem die (124)

	S. Maria in Sabbato.	» Dies Octava Simplex (126).	« Feria maior non privilegiata.	» Dies infra Octavam communem.	» Dies infra Octavam III ordinis.	» Dies infra Octavam II ordinis.	» Semiduplex.	» Duplex minus (125).	» Duplex maius.	» Dies Octava communis vel III ordinis.	» Dies Octava II ordinis.	» Duplex II Classis.	» Duplex I Classis.	» Feria priv., Vigilia I clas. vel dies infra Oct. I ord.	» Dominica ninor vel Vigilia Epiphaniae.	» Dominica II Classis.	et Dominica I Classis.
Duplex I Classis	0	1	3	1	3	3	3	3	3	3	6	5	8	6	3	3	6
Duplex II Classis	0	3	3	1	3	6	3	3	3	3	6	8	6	6	3	6	6
Dies Octava Communis	0	3	3	3	3	4	3	3	3	7	4	4	4	0	4	4	4
Duplex maius	0	3	3	3	3	4	3	3	7	4	4	4	4	4	4	4	4
Duplex minus	0	3	3	3	3	4	3	7	4	4	4	4	4	4	4	4	4
Semiduplex	0	3	3	3	3	4	7	4	4	4	4	4	4	4	4	4	4
Dies infra Octavam communem	0	3	3	7	4	4	4	4	4	4	4	2	2	0	4	4	4
Vigilia	0	3	2	4	0	4	4	4	4	4	4	4	2	2	0	0	0
Dies Octava Simplex	0	7	4	4	4	4	4	4	4	4	0	4	2	0	4	4	4
Simplex	4	4	4	4	4	4	4	4	4	4	4	4	2	4	4	4	4

1 Officium de 1, nihil de 2.
2 Officium de 2, nihil de 1.
3 Officium de 1, Commemoratio de 2.
4 Officium de 2, Commemoratio de 1.
5 Officium de 1, Translatio de 2.
6 Officium de 2, Translatio de 1.
7 Officium de nobiliori, Commemoratio de alio.
8 Officium de nobiliori, Translatio de alio.

Quando concurrit

	• Die Octava vel Festo Simplici.	• S. Maria in Sabbato.	• Die infra Oct. communem (128).	• Die infra Oct. privilegiatam.	• Semiduplici.	• Duplici minori.	• Duplici maiori.	• Die Octava duplici maiori.	• Duplici II classis.	• Duplici I Classis	cum Dominica vel Vigilia Epiphaniæ (127).
Dominica	4	0	4	4	4	4	4	4	3	3	0
Duplex I Classis	2	2	2	4	4	4	4	4	4	5	4
Duplex II Classis	2	2	2	4	4	4	4	4	5	3	4
Dies Octava privilegiata	4	4	4	4	4	4	4	4	3	3	4
Dies Octava Communis*	4	4	4	4	4	4	4	5	3	1	3
Duplex maius	4	4	4	4	4	4	5	3	3	1	3
Duplex minus	4	4	4	4	4	5	3	3	3	1	3
Semiduplex	4	4	4	4	5	3	3	3	1	1	3
Dies infra Octavam privilegiatam	4	0	0	0	3	3	3	3	3	3	3
Dies infra Octavam communem	4	0	0	0	3	3	3	3	1	1	3

1 Totum de sequenti, nihil de præcedenti.

2 Totum de præcedenti, nihil de sequenti.

3 Totum de sequenti, Commemoratio de præcedenti.

4 Totum de præcedenti, Commemoratio de sequenti.

5 Totum de nobiliori, Commemoratio de alio; in paritate, a capitulo de sequenti, Commemoratio de præcedenti (129).

(124) Ut facilius appareat ratio variationum in duabus novissimis tabellis occurrentiae et concurrentiae inductarum, opportunum putamus oculis lectorum subiicere tabellas, quae hucusque in breviario editae fuerunt. Omittentes tabellas breviarii Pii v, quae, ex Sacerdotali Romano depromptae, in aliquibus editionibus apparuerunt, dum in prima desiderabantur; item, omittentes tabellas breviarii Clementis viij, nos hic conferendas proponimus tabellas Urbani viij simul cum tabella occurrentiae a Leone xiij recognita, et cum novissimis Breviarii typici Pii x. Ex simultanea collatione, patebit ratio novae constructionis harum tabellarum.

En diversa officiorum inscriptio in Tabella Occurrentiae:

Series officiorum verticalis

Tabella Urbani VIII, quae viguit ab anno 1631 usque ad 1884	Tabella Leonis XIII, quae viguit ab anno 1884 usque ad 1913.	Tabella Pii X, anno 1914 reformata
Duplex 1 classis	Duplex 1 classis	Duplex 1 classis
Duplex 2 classis	Duplex 2 classis	Duplex 2 classis
Duplex per annum	Duplex maius	Dies Octava communis
Dies infra Octavam	Duplex Doctoris Ecclesiae	Duplex maius
Dies Octava	Duplex minus	Duplex minus
Semiduplex	Dies infra Octavam	Semiduplex
Simplex	Dies Octava	Dies infra Octavam communem
S. Maria in Sabbato	Semiduplex	Vigilia
Feria maior	Simplex	Dies Octava Simplex
Vigilia	S. Maria in Sabbato	Simplex
	Feria maior	
	Vigilia	

Series officiorum horizontalis

Dominica 1 classis	Dominica 1 classis	Dominica 1 classis
Dominica 2 classis	Dominica 2 classis	Dominica 2 classis
Dominica per annum	Dominica per annum	Dominica minor vel Vigilia Epiphaniae
Duplex 1 classis	Duplex 1 classis	Feria privilegiata, Vigilia 1 classis, vel dies infra Oct. 1 ordinis
Duplex 2 classis	Duplex 2 classis	Duplex 1 classis
Duplex per annum	Duplex maius	Duplex 2 classis
Dies infra Octavam	Duplex Doctoris Ecclesiae	Dies Octava 2 ordinis
Dies Octava	Duplex minus	Dies Octava communis vel 3 ordinis
Semiduplex	Dies infra Octavam	Duplex maius
Simplex	Dies Octava	Duplex minus
S. Maria in Sabbato	Semiduplex	Semiduplex
Feria maior	Simplex	Dies infra Octavam 2 ordinis
Vigilia	S. Maria in Sabbato	Dies infra Octavam 3 ordinis
	Feria maior	Dies infra Octavam communem
	Vigilia	Feria maior non privilegiata
		Dies Octava Simplex
		S. Maria in Sabbato

En diversa officiorum inscriptio in Tabella Concurrentiae. Cum sub Leone xiij antiqua Tabella Concurrentiae nullam passa sit emendationem, duas tantum hic exhibemus.

Series officiorum verticalis

Tabella Urbani VIII, quae viguit ab anno 1631 usque 1914.	Tabella Pii X anno 1914 reformata
Dominica 1 et 2 classis	Dominica
Dominica per annum	Duplex 1 classis
Duplex 1 classis	Duplex 2 classis
Duplex 2 classis	Dies Octava privilegiata
Patronus vel Titulus Ecclesiae	Dies Octava communis
Duplex maius	Duplux maius
Duplex minus	Duplex minus
Semiduplex	Semiduplex
Dies Octava	Dies infra Octavam privilegiatam.
Dies infra Octavam	Dies infra Octavam communem.

Series officiorum horizontalis

cum Dominica quaecumque	cum Dominica vel Vigilia Epiphaniae
» Duplici 1 classis	» Duplici 1 classis
» Duplici 2 classis	» Duplici 2 classis
» Patrono seu Titulo Ecclesiae	» Dies Octava duplici maiori
» Duplici maiore	» Duplici maiori
» Duplici minore	» Duplici minori
» Semiduplici	» Semiduplici
» Simplici	» Die infra Octavam privilegiatam
» Die Octava	» Die infra Octavam communem
» Die infra Octavam	» S. Maria in Sabbato
» S. Maria in Sabbato	» Die Octava vel Festo Simplici

Ordo quo inscribuntur officia in serie verticali utriusque tabellae reformatae, procedit ab officio nobiliori ad minus nobile; in antiquis vero ordo huiusmodi servatus non fuerat, ut inspicientibus patet.

In tabella occurrentiae, sub Leone xiij confecta, quando translatio accidentalis semiduplicium et duplicium minorum sublata fuit, necessario officia ritus duplicis per annum scissa sunt in tres subdivisiones, scilicet: *duplex maius, duplex doctoris ecclesiae* et *duplex minus;* cum enim festa sub hoc ritu minori non amplius essent transferenda, pro ipsis a correctore tabellae diversa lex indicari tunc debuerat, ideoque seiungenda. Attamen, ut innuimus in nostra Rubricarum breviarii Expositione (nota 430) non intelligitur, cur in qua-

drangulis, ad quos pertingunt duplex doctoris ecclesiae et duplex minus, nullum numerum posuerit corrector ipse, quasi occursus perpetuus dari non posset. Forsan, nesciens quomodo se gerere deberet, in casu nullam regulam indicavit; quando distinguere inter translationem accidentalem et repositionem perpetuam, et saltem inter notanda, rem explicare debuisset.

Item ordo officiorum in serie horizontali, omni diligentia servatus fuit ab auctoribus novissimae tabellae, ita ut casus occurrentiae, tam accidentalis quam perpetuae, apprime et facile inveniantur. Ad huiusmodi obtinendam perspicuitatem, opportune in eodem ordine inscribuntur diversa officia, quae iuribus paribus fruuntur, uti ex. gr. Vigilia Epiphaniae, cum dominica minori; feria privilegiata, et vigiliae I classis, nempe Nativitatis et Pentecostes, ac dies infra octavam I ordinis, quae omnia ceteris officiis praeferuntur.

Quod autem ad tabellam concurrentiae attinet, notandum est, quod in antiqua specialis habebatur inscriptio: *Patroni seu Tituli ecclesiae,* et nil de Dedicatione, nil de loci Patrono; procul dubio huiusmodi festa iam comprehenduntur in inscriptione Duplicis I classis, sed et ecclesiae Titulus comprehenditur; ergo!... In novissima posita fuit tantummodo inscriptio: *Duplex I classis;* quod si duplicia I classis universalis Ecclesiae aliis sunt nobiliora; et si festa Dedicationis et Tituli ecclesiae ac Patroni locorum ceteris duplicibus I classis, etiam primariis, praeferuntur, huiusmodi lex habetur indicata in primo ex notandis, quae tabellas sequuntur.

(125) In occurrentia duplicis I classis et duplicis minoris per annum, in tabella Urbani viij habebatur lex: *Officium de primo, translatio de secundo;* in tabella vero Leonis xiij: *Officium de primo, nihil de secundo;* in novissima legitur regula: *Officium de primo commemoratio de secundo,* quae pariter legitur pro occurrentia diei octavi, etiam communis, ac pro duplici maiori et semiduplici; quae regula pendet ex iis, quae supra vidimus.

(126) Licet difficile dari possit simultanea occurrentia duorum dierum octavorum ritus simplicis, nihilominus casus alicubi impossibilis non est, ideoque in tabella ponitur regula consueta: *Officium de nobiliori, commemoratio de alio.* Similiter, cum huiusmodi dies octava simplex, iuxta novas rubricas, praevaleat ceteris festis simplicibus, analoga ponitur lex in simultanea occurrentia cum alio simplici. Quia vero S. Maria in sabbato non habet locum, quandocumque aliud officium nobilius occurrat, nullus numerus ponitur in occurrentia cum aliis officiis, nisi cum festo Sanctorum simplici; item in occurrentia cum die octava simplici nullus numerus positus fuit, eadem ex ratione.

(127) In antiqua tabella concurrentiae duplex habebatur lex pro concursu dominicae cum duplici 1 vel 2 classis; nam, si agebatur de dominica maiori, tunc in primis vesperis officii duplicis facienda erat commemoratio praecedentis dominicae, si vero de dominica minori agebatur tunc eius commemoratio omittenda erat. Ex novissimis tamen rubricis, honor officio dominicali restitutus fuit, et de ipso fit semper saltem commemoratio, et ideo, etiam de praecedenti dominica minori in primis vesperis duplicis 1 et 2 classis, quod proinde in tabella notatum fuit. Hac de re vide notam 74.

(128) Non est abs re, quod in mentem revocemus lectoribus nostris considerationem non parvi momenti. Tam in antiqua quam in novissima ista tabella Concurrentiae, in serie verticali ponuntur officia, quae concurrere possunt in secundis vesperis, et in serie horizontali, illa quae concurrere valent in primis; nec aliter fieri potuisset, ut tabella inserviret. Hinc est propterea, quod in serie verticali officiorum, non invenitur festum *Simplex,* nec *s. Maria, in sabbato,* eo quod, ut patet, numquam secundas vesperas habere possunt, et ideo in antiqua tabella Urbani viij, in calce sex regularum, quae habentur in parte sinistra ipsius tabellae, legebatur: *Simplex et s. Maria in sabbato non concurrunt,* nempe concurrere nequeunt in ij vesperis, quibus carent; nam

in serie horizontali posita erant, sicut et alia officia quae habere possunt primas vesperas. Cetera autem officia, quae tam primas quam secundas vesperas habent, describuntur in utraque serie verticali et horizontali, tam in antiqua quam in novissima tabella.

Notandum est autem, quod inter huiusmodi officia secundas et primas vesperas habentia, legimus etiam *diem infra octavam;* ergo revera dies infra octavam primas vesperas habere potest. Id notavimus alias in nostra Expositione Rubricarum breviarii (Vol. 2, p. 216), et in Commentario in bullam « Divino afflatu » (nota 54). Etiamsi Gavantus unus fuerit ex correctoribus rubricarum breviarii sub Clemente et Urbano viij, et tabellam concurrentiae recognoverit, ad huiusmodi inscriptionem diei infra octavam in serie horizontali non animadvertit; si enim id perspexisset, tam ipse, quam asseclae eius cum Merato, Cavalerio, De Herdt, A Carpo, ut de minoribus taceamus, ius ad primas vesperas diei infra octavam recognovissent.

Guyetus ipse, licet optime sententiam contrariam Gavanti unus teneat, et optime comprobaverit, argumentum tamen, a tabella concurrentiae desumptum, non cognovit, quod nihilominus est maximi momenti. Nunc autem, ut diximus, dies infra octavam, sumit commemorationem ex primis vesperis, quando de antecedenti die fieri nequeat, ut expresse docet tabella, praescribens : Quando concurrit duplex maius vel minus, aut festum semiduplex cum sequenti die infra octavam, totum fit de duplici cum commemoratione sequentis, nempe de die infra octavam, per antiphonam et ℣. ex primis vesperis; vide supra notam 77.

(129) In concurrentiae tabella Urbani viij extabat regula 5, quae sic se habebat : *Capitulum de sequenti, commemoratio de praecedenti;* ac etiam regula 6, nempe *Totum de digniori, commemoratio de minus digno,* cui in tabella Leonis xiij additum est : *In paritate dignitatis a capitulo de sequenti.* Nunc vero in nova tabella, unica regula servata fuit 5, quae sic se habet: *Totum de nobiliori, commemoratio*

da alio; in paritate, a capitulo de sequenti, commemoratio de praecedenti.

Huiusmodi regula verbis magis propriis exprimitur, nam, vox *dignius*, aequivocationi subiacet, melior adhibetur vox *nobilius*, ut infra dicemus. Ceterum, quando datur concurrentia inter duo festa, quae omnino paria sunt, scilicet sunt eiusdem *nobilitatis*, certo certius dividendae sunt vesperae. Antiquitus in praxi numquam dividebantur vesperae, nisi in duplicibus maioribus et minoribus, ac in semiduplicibus; licet rubricae breviarii (tit. XI, n. 2) praescriberent: *Duplici ergo in secundis vesperis concurrente cum alio duplici in primis, si utraque sint eiusdem solemnitatis* (lege *nobilitatis*) *regulariter a capitulo fit de sequenti cum commemoratione praecedentis.*

Hinc est, quod in fine huius legis additum est: *In paritate, a capitulo de sequenti, commemoratio de praecedenti.*

(Continuabitur). Dr. P. Piacenza.

Errata corrige

Pag. 586, fasc. praeced.: Inter festa feriata typographus omisit: *Nativitas B. Mariae Virg.*

Archaeologia Liturgica.

De Stationibus in Ecclesia SS. Cosmae et Damiani.

(Continuatio, V. n. 10 curr. anni, pagg. 590-598)

§ IV. — *Quodnam fuerit obiectum formale stationis secundae Dominicae post Pascha.*

Huius stationis obiectum formale in hoc reponimus, quod ordinata fuerit ad specialius nostrae reparationis mysterium recolendum, quatenus per Christum, sub Boni Pastori ratione expletum fuit et animabus participatur (1).

Duobus argumentis id nobis maxime probari videtur: unum est revera demonstrativum, et alterum est congruentiae tantummodo, sed priori lucem et vim addit.

Primum argumentum ex sacra huius stationis Liturgia. — Nos scimus quaenam fuerit, etiam ante S. Gregorium M., huius Dominicae et, per consequens, sacrae huius stationis Liturgia quoad *Evangelium*, quoad *Epistolam* et quoad *orationes:* Evangelium enim huius Dominicae ex Capitularibus cognoscimus, quae per S. Gregorium nullam vel fere nullam mutationem subierunt; Epistolam cognoscimus ex Lectionariis, seu ex Libro, qui *Comes* appellabatur, cuius compilatio est procul dubio ante S. Gregorium ponenda (2). Item cogno-

---

(1) De hac eadem statione eiusque formali obiecto in his *Ephemerid. Liturgicis* egimus quoque anno superiori pagg. 642-652 et in exordio huius anni pagg. 19-22, et 85-90, sed tunc de ea agebamus quatenus *ad S. Petrum* celebrabatur, nunc autem de ea agimus quatenus ad SS. Cosmam et Damianum celebrata fuit.

(2) *Revue Bénédictine*, a. 1890, pag. 416.

scimus orationes utpote quae a *Gelasiano Sacramentario* exhibentur, ac proinde sunt S. Gregorio antiquiores (1).

Iam vero tum Evangelium, tum Epistola, tum orationes sunt de Bono Pastore, de immenso reparationis nostrae beneficio et de pastoralibus Christi operibus: ad haec igitur peculiariter et solemniter recolenda coadunabatur statio. Epistola et Evangelium ea sunt, quae postea legebantur, et nunc quoque leguntur, in solemniori statione ad S. Petrum, in quibus manifeste Boni Pastoris opera, in salutem humani generis expleta, revocantur. Tunc quoque oratio recitabatur, quam nunc habemus, in qua Filii Dei humilitas celebratur, per quam *iacentem mundum erexit,* nosque *perpetuae mortis eripuit casibus,* concedens *perpetua perfrui laetitia.*

Aliam quoque orationem *Sacramentarium Gelasianum* nobis exhibet, in qua clarius et explicitius reparationis mirabilia et pastoralia Christi opera et beneficia invocantur. Ea est, quam superius dedimus (2) et quae sic se habet: *Deus, in cuius praecipuis mirabilibus est humana reparatio, solve opera diaboli et mortifera peccati vincula disrumpe; ut destructa malignitate quae nocuit, vincat misericordia quae redemit. Per* (3).

Cum igitur tota huius stationis Liturgia de immenso reparationis beneficio loquatur, de eius formali obiecto dubitare non licet.

Argumentum ex praefatae sacrae Liturgiae connexione cum musivo Absidis. — Altera ratio, quae nobis huius stationis obiectum suadet ex opere vermiculato, quod in illius Basilicae abside splendescit, colligitur. Huiusmodi enim operis sensus mire cum huius Dominicae Liturgia connectitur.

---

(1) Videsis has orationes in Sacram. Gelas. MURATORI, *Liturgia Romana Vetus,* Venetiis 1748, T. I, pag. 583. — TOMASI-VEZZOSI, *Opera Omnia,* T. II, pag. 472, et T. IV, p. 86. — MIGNE, *P. L.,* LXXIV, c. 1120.

(2) *Ephem. Liturg.* curr. anni pag. 89.

(3) Cfr. locos ibidem citatos.

Quam connexionem, primus forsan praecitatus cl. G. Morin suspexit (1); quid nobis de ea videtur summatim dicemus.

Hoc itaque opus, per quod

AULA DEI CLARIS RADIAT SPECIOSA METALLIS
IN QUA PLUS FIDEI LUX PRETIOSA MICAT (2);

nos oportet attente considerare.

In pariete externo supra absidem conspicitur Agnus, supra altare et sub throno, in cuius conspectu sunt septem candelabra, etc., quod visionem in Apocalypsi descriptam (3) manifesto exhibet, et significat Christum, *Agnum Dei, qui tollit peccatum mundi* (4), et *qui occisus est,* dignum esse *accipere.... honorem et gloriam et benedictionem,* etc. (5).

In medio absidis Christus stat supra nubes, vel super mare vitreum tamquam cristallum, quod eiusdem Christi triumphum significat, cui e coelo Pater coronam victoriae praebet. Petrus et Paulus de Christi triumpho iam participant, qui SS. Cosmam et Damianum, suas coronas deferentes, Christo adducunt, ut et ipsi de Christi triumpho participes fiant (6).

(1) « Le Dimanche du Bon Pasteur, deuxième après Pâques, station à Saints Côme-et-Damien : n'y aurait-il point quelque connexion entre ce choix et l'admirable mosaïque de la Basilique du Forum dans laquelle le Pape Félix IV, au VI[e] siècle, installa le culte de ces Saints ? » *Revue Bénédictine,* a. 1910, pag. 45.

(2) Inscriptio extans in parte inferiori absidis.

(3) *Apoc.*, IV.

(4) Io., I, 29.

(5) *Apoc.*, V. 12.

(6) Extant quoque in extremis absidis partibus duae magnae arbores palmae, quae victoriam procul dubio significant (cfr. Bosio-Aringhi, *Roma Subterranea,* Parisiis, 1659, t. II, p. 341. — Martigny, *Dictionnaire*, v. *Palme,* et Archaeologos passim) et in ramo laterali dexterae palmae *phenix* conspicitur, cuius caput nimbo ad instar stellae circumcingitur. In antiquis monumentis satis frequenter phenix palmae superposita reperitur, et Apostolo Paulo proxima : Omnes, aut fere omnes consentiunt in phenice resurrectionem indicari. Cfr. Martigny,

Subter. Agnus stat supra montem in quo flumina ad mundum purificandum exeunt, et hinc inde extant oves Agnum respicientes et ad ipsum properantes.

Agnus autem Christum significat quatenus est victima et hostia pro ovibus suis, et flumina indicant gratiarum omnium abundantiam, quae ex tali victima et hostia ovibus obvenit.

Nunc autem: huius magnifici musivi operis expressio mirum in modum concordat cum pericope, in ritu Ambrosiano hac Dominica adhibita, quae exorditur: « Vidit Ioannes Iesum venientem ad se et ait: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi* », et terminat his verbis: *Ego vidi et testimonium perhibui, quia hic est filius Dei* (1).

Huius vero pericopes usus pro hac Dominica, antiquior videtur pericope de *Bono Pastore*, et forsan olim etiam Ecclesia Romana illa pericope utebatur; et ab Ecclesia Romana ad Ambrosianam pertransiit (2). Posita illius pericopes antiquioritate et prioritate, connexio inter opus musivum et stationis Liturgiam manifesta apparet; aptior enim locus eligi non poterat in quo illud cani et contemplari liceret: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi.... Et ego vidi, et testimonium perhibui, quia hic est Filius Dei* (3). Quo lecto vel cantato, illum quem Ioannes Baptista Agnum Dei et Fi-

---

Dictionnaire, v. *Phenix*. Sed magis proprie de hoc musivo disserunt: CIAMPINI, *Vetera Monumenta*, part. II, cap. VII, pag. 61; MEZZADRI, *Disquisitiones historicae de SS. Cosma et Damiano*, Roma, 1747, pag. 64; GRISAR, *Roma alla fine del mondo antico*, Roma, 1908, pagg. 184 et 394.

(1) Io. I, 29-34.

(2) Quae hic asserimus fundantur in sententia plurium recentiorum Auctorum, asserentium Ambrosianam Liturgiam ex antiquissima Romana Liturgia originem trahere, et mirabiliter in Mediolanensi Ecclesia magna ex parte conservatam. Cfr. CABROL, *Dictionnaire*, v. *Ambrosien* (Rit.), III. ORIGENES, vol. I, col. 1379. — Videsis etiam scriptores quamplures ibi citatos, praesertim Ceriani et Magistretti, qui de Ambrosiana Liturgia optime meriti sunt.

(3) Io., I, 29-35.

lium Dei appellavit, populus *Pastorem* profitetur, hac antiphona: *Nos populus tuus et oves gregis tui confitebimur tibi, Deus, in saecula; in generationem et generationem annunciabimus laudem tuam* (1). In Evangelio quis sit Agnus Dei indicatur, et in antiphona vox ovium propriam fidem et obsequium profitentium auditur: Haec Liturgia musivi operis sensui aptius consonare non poterat.

Cui consonantiae lux et vis additur, si animadvertitur quod in Ecclesia, et maxime primorum saeculorum, Agni symbolum, et consequenter rationem victimae et sacrificii, rationi Boni Pastoris, in Christo intime cohaerere, semper creditum est. Disertissime hac de re S. Augustinus et S. Petrus Chrysologus loquuntur. Prior aperte dicit: « Tu, Christe, bonus es Pastor, qui bonus es Agnus, idem Pastor et pascua, idem Agnus et Leo » (2). Alter sic mentem suam aperit: « Christus ergo sicut ovis, et volens et tacens, tondetur, ut tegat illam quam Adam primus intulit nuditatem; velut agnus occiditur, ut peccatum totius mundi immolatus absolvat; ponit pro ovibus animam suam, ut impleat et pietatem pastoris et curam. Tibi ergo, rex, tibi sacerdos, tibi Pastor, tibi sacrificium, tibi ovis, tibi Agnus, tibi totum factus est, qui fecerat totum » (3). S. Ioannes Chrysostomus brevius: « Se et Pastorem dicit et ovem secundum oeconomiae suae rationes » (4).

Quam inter Agni symbolum et Boni Pastoris rationem intimam habitudinem plures alii SS. Patres praedicant ac non pauca monumenta testantur (5), quorum summa his an-

(1) *Psal.* 78, 14-15. — Post hanc antiphonam sequitur oratio Romanae Liturgiae: «Deus, qui Filii tui humilitate iacentem mundum erexisti » etc. — Quae oratio considerata in ordine ad Evangelium et in ordine ad antiphonam, utrique optime congruere deprehenditur, et intelligitur quomodo sit huius diei propria.

(2) S. AUGUST., *Sermo* 138 (alias 50). MIGNE, *P. L.*, XXXVIII, 765.

(3) S. PETRUS CHRYSOL., *Sermo* XXIII. — MIGNE, *P. L.*, LII, 264.

(4) S. IO. CHRYSOST., *Hom.* LIX *in Io.* — MIGNE, *P. G.*, LIX, 324.

(5) Inter Patres videantur, si lubet: S. MELITO, Pitra *Spicilegium Solesm.* Parisiis 1855. Tomo II, pag. LVIII.

tiquissimis versiculis, olim super ianuam S. Pudentianae circa quandam Agni imaginem insculptis, comprehenditur:

† HIC AGNUS MUNDUM RESTAURAT SANGUINE LAPSUM

† MORTUUS ET VIVUS IDEM SUM PASTOR ET AGNUS (1).

En igitur quomodo « Pastorum Dominus sub Agni decore nitescens » (2) ibique conspicitur.

Ex qua mira, inter Agnum divinum et Bonum Pastorem, sensuum consonantia optime intelligitur, cur pericopes de *Agno Dei*, serius in pericopen de *Bono Pastore* mutata fuerit: utriusque enim sensus in primaeva Ecclesia idem erat (3), altera tamen est clarior et intellectu facilior. Haec mutatio, quae non multo ante S. Gregorium M. collocanda esset, occasionem praebuisset praefata mysteria solemnius celebrandi: aucta autem solemnitate, SS. Cosmae et Damiani Basilica nimis angusta et insufficiens visa fuit, ideoque S. Gregorius M. putavit tam magna mysteria in S. Petri Basilica congruentius celebrari, illucque stationem transtulit, et ipse primus ibi haec solemnia inauguravit (4).

---

(1) CIAMPINI, *Vetera Monumenta*, Romae, 1690, Pars I, cap. III, pag. 26.

(2) DE ROSSI, *Inscriptiones*, T. II, pag. 139, n. 29.

(3) Etiam nunc catholici interpretes ex utroque Evangelio eosdem referunt sensus. Cfr. KNABENBAUER *in Io.* hoc loco.

(4) Translationi non obstitit connexio, quam extare declaravimus, inter opus musivum et huius stationis Liturgiam, quia in abside quoque Basilicae Vaticanae eadem fidei obiecta expressa fulgebant. Si utraque repraesentatio ad invicem comparetur, facile reperietur alteram alteri mire consonare. Prioris musivi reproductionem, illius nempe quod in Ecclesia SS. Cosmae et Damiani extat, invenies apud CIAMPINUM, *Vetera Monumenta*, part. II, cap. VII, et apud alios Archaeologos, uti GARUCCI, GRISAR, MARUCCHI, etc. Alterius autem reproductionem invenies apud eumdem CIAMPINUM, *De sacris Aedificiis a Constantino M. constructis*, tab. XIII, cui adiecit praeclarissimi operis eruditum commentarium; et utrumque referunt quoque *Acta Sanctorum, mense iunio*, t. VII, in appendice pag. 119.

Stationi autem ad S. Petrum translatae addita est memoria de Christi ovilis traditione Petro facta, ac de Apostolorum missione ad universum mundum; quae omnia, cum ordinata sint ad immensum reparationis nostrae beneficium continuandum ac veluti in humanum genus sedulo effundendum, congruentiori die commemorari nequiverant.

Vetus igitur statio ad SS. Cosmam et Damianum incoepta, et ad Basilicam S. Petri translata, ad maxima et ineffabilia Religionis nostrae mysteria recolenda a sua origine ordinata fuit. Usque in praesens celebratur quidem, et est inscripta elencho stationum, quae in Basilica S. Petri celebrantur; sed lapsu temporum a Missali Romano eius inscriptio decidit. Utinam iterum inscribatur, ut antiquae restituatur solemnitati!

(Continuabitur).

Fr. Iosephus Ant. O. M. Cap.

CONSULTATIONES LITURGICAE

I.

De Tabellis occurrentiae et concurrentiae.

Fulcus parochus noviter electus in paroecia s. Christophori Mart., ordinare cupiens celebrationem sui Titularis, eiusque octavae, recurrit ad Tabellas, quae inveniuntur in Breviario Romano. Cum sua tamen admiratione videt in suo Breviario duas tabellas, in Breviario autem novissimo, quod nuper emit coadiutor eius, tres. Nesciens qua de causa non una, sed duae tabellae pro occurrentia editae fuerint, et quomodo ipsis uti debeat pro instituendo officio festi Titularis eiusque octavae, quaerit:

1. *Quando et quare inductus fuerit usus in Breviario Romano huiusmodi tabellarum, et an regulae quae in ipsis inveniuntur servandae sint ex praecepto?*

2. *Qua de causa antiquitus duae tabellae habebantur, et nunc tres editae sint in novissimis Breviariis?*

3. *Quomodo in casu, pro s. Christophoro Titulari, inveniendae sint regulae tam in occurrentia quam in concurrentia, pro festo et octava eius?*

I. Tabellae nil aliud sunt, nisi rubricarum generalium compendium, in formam schematicam redactum, ad maiorem utentium commoditatem. His prae oculis habitis, statim casus omnes occurrentiae et concurrentiae officiorum resol-

vuntur. Ante s. Pium V nondum huiusmodi tabellae erant in usu. Additae fuerunt ipsis notae complures, quasi tabellarum subsidiariae, multa enim schematice exhiberi nequibant. Inter has notas sunt aliquot, quasi rubricarum complementum, ideoque eandem vim obligandi habent ac ipsae rubricae.

II. Ante reformationem rubricarum a Leone Pp. XIII inductam, eaedem erant regulae pro perpetua ac pro accidentali occurrentia; sed postquam iste Pontifex mandavit ut festa ritus duplicis minoris et semiduplicis, in occurrentia accidentali, tantummodo commemorarentur, exceptis festis Sanctorum Ecclesiae doctorum, necessaria facta est alia tabella, pro occurrentiis accidentalibus; at potius satis iudicatum fuit quasdam variationes in tabellam occurrentiae antiquam inducere, et novis notulis rem illustrare.

Attamen, post Constitutionem *Divino afflatu,* maior facta est differentia inter utramque occurrentiam; tunc enim statutum est ne etiam duplicia maiora vel minora doctorum transferrentur, si accidentaliter impedita fuissent, ac insuper ut duplex I vel II classis accidentaliter impeditum in diem octavum alicuius festi transferri posset; admittebatur tamen perpetua translatio duplicium maiorum et minorum, necnon semiduplicium, excludebatur autem dies octavus ab excipiendis festis duplicibus I et II classis; ibi prima vice usus factus est vocis *repositio,* ad translationem perpetuam denotandam, ut ab accidentali distingueretur.

Datus est postea Motus proprius diei 23 octobris anni 1913, quo etiam in perpetua occurrentia abolita est translatio festorum, quae ritu classico non decorarentur, servato tamen hoc iure festis locorum propriis. Manet differentia pro festis in Dominicam occurrentibus, quia si occurrentia sit perpetua, officium festi omnino repudiatur. Hinc profluit, inutilem factam fuisse duplicem tabellam occurrentiae (1).

(1) In novissimo Breviario typico rursus, reipsa, unica tabella constituta est, cum opportunis notis. *N. R.*

III. Secundum ius liturgicum anterius Motuiproprio, de quo supra, inspiciendae sunt primo regulae perpetuae occurrentiae festorum s. Christophori suaeque octavae. Inspicientibus igitur tabellam primam, numerus respondens angulo linearum duplicis I cl. et duplicis II cl., nempe titularis et Apostoli, est ille qui dat regulam: « Officium de primo, repositio de secundo ». Die ergo 25 iulii agendum de s. Christophoro, repositio vero facienda de s. Iacobo. Sed diem 26 occupat s. Anna, ritus duplicis II cl., oportet ergo ad diem 27 reponere s. Iacobum. Quid vero de s. Pantaleone, ritus simplicis? Ad tabellam rursus recurrendum, in qua video, numerum in quem convergunt duplex II cl. et simplex, respondere regulae: « Officium de primo, commemoratio de secundo », videlicet, in casu, Officium de s. Iacobo cum commemoratione s. Pantaleonis. Attendendum est tamen ad rubricas generales, quae adhuc in hoc vigent, ut fiat de eo tantum ad Laudes et ad Missas privatas, cum nona Lectione ad Matutinum.

Porro, pro diebus infra octavam, sic docet tabella: diebus 26 et 27, duplicia II cl. respuunt omnino commemorationem octavae; diebus 28 et 29, semiduplicia admittunt octavae commemorationem; die 30, occurrit festum ritus simplicis, cui tabella tribuit solam commemorationem, in Officio de die infra octavam; postremo die infra eandem octavam occurrit duplex minus, sub quo tabella indicat faciendam commemorationem de octava. Demum, die octavo Titularis occurrit festum s. Petri ad Vincula, duplex maius; iuxta novum ius, etiam dies octavus gaudet ritu duplici maiori, tabella autem ad numerum angularem huiusmodi Officiorum clamat ad regulam: « Officium de primo », scilicet de die octavo, « repositio de secundo », hoc est de s. Petro, addita, iuxta aliam regulam tabellae, commemoratione festi simplicis. Dies vero liber ad reponendum festum s. Petri est nonus augusti, cum commemoratione vigiliae s. Laurentii et simplicis, inxta tabellam, et statim post

orationem s. Petri commemoratione s. Pauli, ipsi festo inhaerente.

Nunc tamen, quia, secundum Motum proprium de quo supra, translationes quoque duplicium maiorum et minornm necnon semiduplicium abolitae sunt, die 1 augusti agendum est de die octavo Titularis, cum commemoratione s. Petri et s. Pauli in utrisque Vesperis et Laudibus ac in Missis, posita nona lectione s. Petri ad Matutinum, omissa alia de simplici, cuius tamen commemoratio fiet in primis Vesperis, Laudibus et Missis.

Festa mobilia hoc tempore non occurrunt, sed difficultas quaedam oriri potest ex occursu Dominicae. In secunda tabella, nempe occurrentiae accidentalis, hae regulae inveniuntur: die festo Titularis: « Officium de festo, commemoratio de Dominica », similiter diebus 26 et 27; ceteris diebus, octavo incluso, Dominicae officium praeferendum est, et ideo de hoc agendum, cum commemorationibus de quibus supra, respective.

Nunc procedendum ad concurrentiae regulas. Inspecta concurrentiae tabella, concluditur: In primis Vesperis Titularis, nihil de praecedenti, cum sit simplex; si tamen occurrerit Dominica, de ea facienda est commemoratio. Die 25, fiet de Sancto Titulari cum commemoratione sequentis duplicis II cl. Die 29, concurrit semiduplex cum die infra octavam, de hac facienda commemoratio in officio semiduplici, iuxta tabellam. Die 30, Vesperae de Sancto ritus duplicis minoris cum commemoratione praecedentis diei infra octavam. Dies demum octavus Titularis, tam in primis quam in secundis Vesperis, praeferendus est duplici minori concurrenti, ideoque in Vesperis de octava fiet commemoratio duplicis concurrentis, addita in primis commemoratione ss. Petri, Pauli et Duodecim Fratrum, in secundis ss. Petri, Pauli et Stephani. Si hic dies octavus cum Dominica concurrerit, quae nempe die 31 iulii inciderit vel 2 augusti, iuxta tabellae regulam, in utroque casu, Vesperae erunt de

Dominica cum commemoratione diei octavi, praecedentis vel sequentis.

II.

De coloribus paramentorum.

Innocentius III in suo libro « *De mysteriis Missae* », docet quod Romana Ecclesia in sacris vestibus ministrorum non utitur nisi quatuor coloribus, nempe: albo, rubro, viridi et nigro, omnino tacens de violaceo. Raymundus ergo, cum pro sua Ecclesia paupercula comparare debeat sacra nova paramenta, planetam conficere sibi procurat colore subnigro, quae inservire possit tam pro defunctis, quam pro diebus poenitentialibus, putans, quod color violaceus invectus postea fuerit privata auctoritate; et quia Visitator illius Ecclesiae usum vetat praedictae casulae, antequam Visitatori obediat, quaerit:

1. *Utrum antiquus sit usus diversi coloris in ministrorum vestibus sacris, tam apud Graecos quam apud Latinos, et quanam ex ratione inductus?*

2. *Quid decernat Innocentius III in loco citato, et quando invectus fuerit usus coloris violacei, quibus pro diebus, et utrum aliquando violaceus pro nigro, et viceversa adhiberi potuit?*

3. *Quid in controversia inter Raymundum et suum Visitatorem?*

I. Iam forsan ab exordio coepit homo variis coloribus ad varios animi sensus excitari. In ipsa sacra Scriptura habent colores determinatos sensus: albus est symbolum laetitiae, innocentiae, gloriae angelicae (Marc., XVI, 5), in-

dicat tryumphum Sanctorum (Apoc., III, 5), divinitatem et gloriam finalem Redemptoris (Zach., VI, 3; Matth., XVII, 2). Convenit talis color, ut ait Tacitus, magnis viris (Tacit., II, 89). Rubeus color ad mentem revocat ignem et sanguinem (Lev., XVIII, 11). Quum coepit catholica Ecclesia divina mysteria ampliori caeremoniarum apparatu explicare, peculiares vestes variis distinctas coloribus adhibuit, nobili etiam edocta hebraeorum traditione, quae variis coloribus suam fidem in Deum expresserat, orientali fervido animo.

Quatuor fuere ab initio colores sacrorum paramentorum in Ecclesia: albus denotabat gloriam, gaudium, candorem innocentiae; rubeus excellentiam gradus, niger afflictionem et abstinentiam; viridis, tamquam medius, adhibitus est diebus communibus; revocant forte *hyacinthum et purpuram coccumque bis tinctum et byssum* (Exod., XXVIII, 5).

II. Ait Innocentius III (saec. XIII ineunte): « Quatuor autem sunt principales colores, quibus secundum proprietates dierum sacras vestes Ecclesia romana distinguit, albus, rubeus, niger et viridis. Nam et in legalibus indumentis quatuor colores fuisse leguntur: byssus, purpura, hyacinthus et coccus (De myster. Miss., lib. I, cap. LXV) ». Tradit idem Innocentius, album adhibitum fuisse in festis sanctorum Confessorum et Virginum; rubeum in solemnitatibus Apostolorum et martyrum; nigrum in precibus pro defunctis et diebus afflictionis. Notat Alcuinus, ad benedictionem candelarum et in processione festi Purificationis B. M. V. adhibitum fuisse nigrum colorem, ad denotandam Simeonis prophetiam: « Tuam ipsius animam doloris gladius pertransibit ». Sed adverte quod ait Benedictus XIV: « Quarti saeculi initio, pacatis Ecclesiae rebus, non aliae vestes quam coloris albi adhibebantur (De Sacrificio Missae) ». S. Hieronymus, s. Gregorius Turonensis, Venantius Fortunatus vestes sacras coloris albi commemorant. S. Augustinus Angliae Apostolus, et Abbas Ausegisius sacerdotalia indumenta purpurea vel rubra designant. S. Silvester Papa Pirminium Episcopum Metensem mitra et dalmatica

coloris viridis donavit. Idem Abbas Ausegisius et Hincmarus casulas coloris item viridis donarunt. Coloris nigri vel fusci est casula qua conspicitur indutus Papa Honorius I, in abside Basilicae s. Agnetis extra Urbem. Serius invectus est usus coloris violacei. In s. Aedicula s. Venantii, prope Baptisterium Lateranense, casula eius coloris induti sunt Pp. Ioannes IV et s. Venantius. Hic etiam color afflictionem et abstinentiam significavit. Ab initio adhibitus est in festo ss. Innocentium, ad commemorandam eorum caedem, postea in precibus pro peccatis et pro defunctis. Tandem factum est ut violaceus permanserit pro afflictione, pro abstinentia et pro peccatis, dum niger ad solas funebres functiones adhibitus est. Rosaceus, recentiori aevo invectus, est violaceo vividior ac potius subrubeus, quasi rosae siccae, et adhibetur Dominicis tertia Adventus et quarta Quadragesimae, quae dicuntur *Gaudete* et *Laetare*, ex initio introitus Missarum, iis diebus, quibus laetiori apparatu sacra celebrantur. Sunt qui dicunt, colorem rosaceum originem et nominis nuncupationem duxisse a benedictione Rosae aurae, quae fiebat a Summis Pontificibus Dominica IV Quadragesimae. Habetur alicubi, ex. gr. in Hispania, privilegium coloris caerulei pro Missis de immaculata Conceptione B. M. V.

Quoad graecam Ecclesiam, idem dicendum est pro albo colore, quod in Ecclesia latina. Rubeus in Ecclesia graeca luctum denotat. Nunc tamen apud Graecos color in sacris vestibus parum consideratur.

III. Erravit Raymundus casulam adquirens subnigri coloris, qui hodie in s. Liturgia non admittitur. Quidquid sit de eius assertione, circa usum privata auctoritate inductum pro colore violaceo, ei nulla erat potestas contraeundi hodierno usui, lege liturgica sancito.

Opportunum ducimus hic referre aliquas normas, praesertim a S. Rituum Congregatione traditas, ex quibus melius videbitur quomodo erraverit Raymundus in sua agendi ratione.

Colores admissi per generales rubricas sunt: albus, rubeus, viridis, violaceus et niger (Tit. XVIII, 1).

Rubrica praescribens colorem paramentorum est rigorose servanda (Dd. 2682, 2675, 2765, V, 1-2-3, 2704, IV, 2788, 21).

Vetantur paramenta coloris flavi et varii coloris (Dd. 2682, L, 2769, V, 1, 3082, 3191, IV, 3779, III), neque licet ea renovare (Dd. 2704, IV, 2788, II, 3082).

Prohibetur color caeruleus (Dd. 2704, IV, 2788, II), exceptis locis et occasionibus, quibus ex privilegio admittuntur, uti supra dictum est.

Tela aurea, ratione pretiositatis, inservire potest pro tribus coloribus festivis, nempe: albo, rubro et viridi (Dd. 3145, 3191, IV, 3646, II); tela argentea pro uno albo inservire potest (Dd. 3646, III).

Color aliquis inter varios saltem debet in sacris paramentis praevalere, ut talis coloris vere dici possint, et ut plurimum praevalet color fundi (Dd. 2682, L, 2769, V, 1-2-3, 2788, II). Et sane, colores varii nullam habere possunt significationem, ad mentem Ecclesiae.

Iuxta tamen moralistas, praeceptum coloris in sacris vestibus Missae non est grave ex natura sua; melius igitur esset Missam celebrare, deficiente proprio colore, sub colore altero, quam Missam omittere, dummodo non oriatur grave scandalum in populo (S. Alfonsus, Theol. Mor., vol. III, pag. 872 noviss. ed.).

III.

De Patrono secundario, vel de Sancto cuius habetur reliquia insignis qui in calendario cum Sanctis sociis inscriptus est.

In civitate C. patronus minus principalis est s. Sebastianus M. qui die 20 Ianuarii cum s. Fabiano recolitur. Item in Ecclesia s. Mariae civitatis R. habetur

reliquia insignis s. Cornelii Pp. et M., qui cum s. Cypriano die 16 Septembris celebratur. Cum una non sit norma celebrandi huiusmodi festa sanctorum, Eusebius scrutatur doctores liturgicos et S. R. C. decreta, sed certa lex ei non apparet, an scilicet ipsi sint separandi a sociis vel non, ideoque ut plenius res illustrari possit, quaerit:

1. *Quomodo eliguntur Patroni minus principales et quo ritu sint celebrandi?*

2. *Qua lege sint recolendi Sancti illi quorum in aliqua ecclesia habetur vel corpus vel saltem insignis reliquia; et quae reliquiae uti insignes sint reputandae?*

3. *Utrum separandi sint Sancti Patroni minus principales et quorum habentur reliquiae insignes, si in calendario inscripti sint cum aliis Sanctis; et quo ritu celebrandi?*

I. Patronus loci, sensu liturgico, dicitur ille Sanctus, qui in aliquo oppido, civitate, provincia, natione, eligitur, ut sit protector seu advocatus apud Deum. Patroni dividuntur in *principales* et *minus principales* vel *secundarios*. Circa Patronos minus principales, quanam ratione sint eligendi, habetur decretum S. Rituum Congregationis, diei 23 martii 1630 sub Urbano VIII, quod, iuxta Gavantum (Sect. III, c. XII, n. 2), Benedictum XIV (De Canon., l. IV, p. III, c. 14, n. 5) et Cavalieri (Decr. XXX, n. 2), tam pro Patronis principalibus, quam pro secundariis valet, et est tenoris sequentis: « S. Rituum Congregatio, annuente Sanctissimo, quoad Patronos locorum in posterum eligendos, hunc ordinem servari mandavit: 1° Quod eligi possint in Patronos ii solum qui ab Ecclesia universali titulo Sanctorum coluntur, non autem beatificati dumtaxat. 2° Quod de Patrono civitatis electio fieri debeat per secreta suffragia, a populo, mediante Consilio generali illius civitatis vel loci,

non autem ab officialibus solum, et quod accedere debeat consensus Episcopi et cleri illius loci. Idemque servari debeat in Patrono regni, qui pariter eligi debeat per secreta suffragia a populo singularum civitatum provinciae, et quod repraesentantibus regnum, civitatem, provinciam, nulla competat facultas eligendi Patronos, nisi ad hoc habeant speciale mandatum, et ulterius interveniat consensns Episcopi et cleri dictarum civitatum. 3° Quod causae electionis novorum Patronorum debeant in S. Congregatione (Rituum) deduci et ab ea examinari, ac demum, causa cognita, ab eadem Congregatione approbari et confirmari ». Unde cum Cavalieri (Decr. XXXI, n. 5) et Guyeto (l. I, c. XIII, n. 4) deducitur, non posse continuari festum de Sancto tamquam Patrono, etiam minus principali, introductum vi solius consuetudinis, post citatum decretum. Attamen, cavendum est, ne eo ipso dicatur illegitima celebratio Patroni, quae est in usu, nisi constet, aliter ac iuxta relatum decretum constitutum fuisse; quum autem constet de illigitimitate, praestat ut apostolicum requiratur indultum, ad vitandum scandalum in populo. In dubio, praesumitur legitime constitutus ille Patronus, qui ab immemorabili uti talis habitus est (De Herdt, Praxis lit., pars V, n. 34, ad 3). De beatificatis dumtaxat habetur aliquod apostolicum indultum. Sunt insuper aliquot Beati, qui, uti notat Cavalieri (l. c., n. 23), « etsi per formalem canonizationem canonizati non sint, bene tamen sunt per aequipollentem, quae etiam nunc eosdem praestat effectus ac formalis ipsa ». Et prosequitur dicens (n. 27) exclusos haberi Beatos illos, « qui tamquam Beati solummodo honorantur » et « adhuc in universali Ecclesia cultum non obtinent ». Quod personas attinet eligentium, notat Gavantus (l. c.), « primo populus debet eligere ob beneficia a Sancto accepta (vel, addendum, desiderata): deinde clerus debet consentire, ut postea recolatur cum Officio et Missa ». Quod sanctionem attinet S. R. C., necessaria est, prosequitur Gavantus, « quia saepenumero sine causa, arbitrio principum, vel arte aliorum, minus legitima

extorquentur vota consiliariorum et Episcoporum. Romae vero censura est liberior, et ob auctoritatem Sedis apostolicae, securior et sanctior ». Quo ritu recolendi sint Patroni secundarii, respondent novissimae dispositiones, eos recensentes inter Duplicia maiora primaria.

II. Oportet prius novisse, quaenam sint reliquiae insignes. Supposita nota distinctione reliquiarum in *proprias, minus proprias, proxime sanctificatas* et *remote sanctificatas,* ad nos quod pertinet, consideremus proprias, quae sunt de corpore vel parte ipsius corporis. Insignes sunt: corpus integrum vel eius pars maior, ac partes corporis nobiliores, ut caput, brachia et crura (S. R. C., n. 555); ex brachiis et cruribus hodie sufficiens habetur etiam sola una pars ex ex duabus (S. R. C., n. 4041); est etiam insignis: cor, lingua, manus, si intacta conserventur (ibid.). Iuxta Benedictum XIV (*De serv. Dei Canon.,* l. IV, p. II, c. 6, n. 3), reliquiae insignes putantur totum corpus vel maior eius pars in pulverem redacta. Si insuper agitur de Martyre, retinenda est ut insignis illa pars, in qua Sanctus passus est, dummodo sit integra et non parva (S. R. C., n. 460).

Dato igitur quod reliquia sit vere insignis et authentica, quae custodiatur in propria ecclesia, et sit de Sancto in Martyrologio, etiam solum in appendice, inserto, tunc fieri potest festum et Officium de ea, et quidem die natalitio vel quasinatalitio, sub ritu duplici minori (S. R. C., passim). Notandum tandem, quod non obstat quominus Officium peculiare fiat de insigni reliquia, etiamsi in ecclesia festum recolatur de omnibus Sanctorum reliquiis, quae ibi vel in dioecesi asservantur.

III. Quod respicit separationem Sanctorum Patronorum minus principalium et quorum habentur reliquiae insignes, et ritum quo sunt celebrandi, satis sit prae oculis habere ea quae in novissimis rubricis inveniuntur (1): « Si Patro-

(1) Vulgamus solutoris responsum, tantummodo circa ea quae in Breviario mutata sunt in relativis rubricis, eo quod antiquae regulae iam nunc inutiles evadunt. *N. R.*

nus secundarius, vel alius Sanctus proprius, ut supra (ergo et de quo habetur insignis reliquia, ut in iisdem rubricis, tit. II, n. 2, litt. *e*), qui sub ritu duplici maiori, vel minori aut semiduplici, celebrari debeat, pariter cum sociis descriptus sit in calendario sub ritu simplici, de eo fit festum sub ritu competenti, et de sociis fit tantum commemoratio, iuxta rubricas. Si tamen inter eos necessaria consanguinitatis aut affinitatis ratio intercedat, vel etiam si eodem loco, eodem tempore, eadem de causa mortem obierint, Patronus aut alius Sanctus proprius a sociis non separatur, sed de omnibus simul celebratur festum, sub ritu qui patrono aut Sancto proprio competat. Quod item fit si omnes qualibet de causa simul in calendario descripti sint sub ritu duplici maiori, vel minori aut semiduplici. In his tamen casibus Patroni vel Sancti proprii nomen et gesta, quae seiuncta sint, in oratione et lectionibus II Nocturni nomini et gestis sociorum praeferuntur » (Tit. IX, n. 5).

Hisce igitur dispositionibus oportet ut, ab anno proximo 1915, adhaereat Eusebius noster, celebrans die 20 ianuarii unicum festum ss. Sebastiani et Fabiani, sub ritu duplici maiore, praeferendo in oratione nomen s. Sebastiani, et in lectionibus II Nocturni primum locum tribuendo gestis eiusdem Sancti. Die vero 16 septembris sanctos Cornelium et Cyprianum una simul recolet, sub ritu duplici minore, quin ullam faciat inversionem, sive quod nomen, in oratione, sive quod lectiones attinet II Nocturni.

IV.

De celebratione Missae in oratorio privato et in altari portatili.

Raymundus, praelatus domesticus, personaliter benignitate S. Sedis obtinuit privilegium altaris portatilis. Quo obtento, oratorium, quod in sua domo ha-

bebat ex alio praecedenti indulto, profanat, ut ad usum cubiculi dormitionis illud adhiberi valeat; et pro Missa celebranda in sua domo utitur aliis aulis, quae vel ad recipiendos visitantes, vel ad studium, vel aliquando etiam ad dormiendum, sunt destinatae. Quia vero irregulare hoc cuidam amico suo apparuit, respondit: Ob privilegium altaris portatilis, Missam celebrare possum ubique, altare erigendo in loco mihi beneviso, dum sum in itinere; ergo multo magis in domo mea. Quaeritur:

1. *Quid tradit lex canonica de loco pro celebrando sanctae Missae Sacrificio?*

2. *Quae sint conditiones pro erigendo oratorio domestico, et quae pro celebranda in eo Missa, quae vero condidiones pro celebratione in altari portatili?*

3. *Utrum mos Raymundi, in sua domo inductus, sustineri possit?*

I. Locus orationis proprius vocatur Templum, quamvis specialia assequatur nomina, iuxta maiorem vel minorem celebritatem, aut maiorem vel minorem amplitudinem. Iure naturali, nullus locus reipsa ad orationem et sacrificium determinatur, Deus enim ubique est, ac ad omnem locum eius extenditur dominatio. Attamen, quia sancta sancte tractanda sunt, et quia etiam externa magnificentia est fidei ostensio, et honoris Deo debiti exhibitio, ita, ex iure positivo divino ac humano, quaedam determinari debuere loca, uti aptiora ad publicam orationem et ad sacrificia. Si sub veteri lege, pro sacrificiis et pro arcae sanctae custodia voluit divinus legislator distinctum locum, a fortiori potest hoc a christianis requiri, qui vèra et substantiali praesentia gaudent Dei-Hominis, cuius tabernaculum, religionis centrum, oportet ut convenienter et decore asservetur.

Vita religiosa inter primaevos christianos ostendebatur maxime in communibus conventibus ad cultum divinum. Iudaeo-christiani primitivae ecclesiae Hierosolymitanae pergebant reipsa templum frequentare, et caeremonias prosequi iudaicae religionis, sed et proprios frequentabant conventus in privatis domibus. Hi conventus ad cultum divinum exercendum binis constabant partibus; in prima, a Synagoga originem ducente, interesse poterant etiam infideles, qui, lectioni ac praedicationi attendentes, Christum et regnum eius addiscere valebant; sed in altera, quae convivio una cum panis et vini eucharistici participatione constabat, adstare nequibant nisi baptizati. Disparuit tamen, non multo post, usus agapis cum convivio eucharistico coniungendi, iam Apostolo abusus, qui irrepere solebant, reprobante, ita ut, medio vix secundo saeculo, nullum de hoc inveniatur vestigium. Sed per totum apostolicum aevum continuatum est haberi liturgicos coetus in amplis domibus privatorum, quae proculdubio iam saepe stabiliter relinquebantur ad usum communitatis ad hunc effectum. Hisce in domibus, libentius celebrabatur in tertia contignatione, ne scilicet eo rumores viarum seu platearum facile pervenirent. De his testantur Cyrillus Hierosolymitanus, Lucianus, et Valerius in actis S. Pontii martyris. Iam ex hac aetate distingui datur Missa solemnis a privata. Prima ab Episcopo celebrabatur, praesente clero et populo, qui, responsis, oblationibus et communione, ipsius erat particeps; altera a simplicibus sacerdotibus celebrabatur. S. Paulinus Nolanus, morti proximus, iussit in suo cubiculo offerri divina mysteria; Gelasius Papa permisit ut Missa pro defunctis offerretur in privato oratorio cuiusdam insignis matronae, nomine Megetiae. Factum est tandem, ut privatorum domibus verae ecclesiae substituerentur. Certo constat, ait cl. Kirsch, romanam communitatem circa saeculi tertii finem, aliquot aedificia religiosa possedisse, ad conventus divini cultus exclusive destinata, veras proinde ecclesias, seu loca ecclesiastica. Persecutionum tempore, uti pronum est, ubique, locis scilicet tutioribus, cele-

brabatur, etiam in campis desertis, foenilibus et carceribus. Romae, praeferebantur catacumbae, quae reipsa primae ecclesiae Urbis fuerunt. Declinante, auspice Constantino, persecutionis aevo, prima Ecclesiae cura fuit, ut aedificia ad cultum iure constituerentur, resuscitatis iis, quae, inter timores persecutorum aedificata, diruta erant. Ex tunc Pontifices coeperunt statuere ut divina mysteria in ecclesiis exclusive celebrarentur, hae autem ab Episcopo consecrarentur, vel saltem a sacerdote, ex illius auctoritate benedicerentur. De hoc docemur per varia oecumenica cuncilia, usque ad Tridentinum, in quo solemnior data est sanctio.

Si ut plurimum SS. Sacrificium in terra celebratur, potest tamen et in mari celebrari. In terra, locus esse potest vel clausus vel apertus; clausus aut est sacer permanenter et ex natura sua, aut extraordinarie, ex privilegio, vel non sacer. Locus sacer eminenter est ecclesia, latiori sensu oratoria publica et semipublica: locus praeter ordinem sacer est oratorium privatum, et ille in quo ara portatilis collocatur; dum enim altaria portatilia alicubi ponuntur, et ut dicitur in eorum concessione: « quocumque loco, et loco loci, honesto tamen », sacrum reddunt quemlibet locum. Oratoria privata, quamvis stabiliter sint ad Missae sacrificium destinata, dicimus extraordinario sacra, quia id provenit ex privilegio seu favore. Irregularia per se loca dicemus: locum profanum, locum apertum et mare.

Concilia plurima, generalia et particularia, de celebratione Missarum in ecclesiis leges dederunt, ac praesertim Laodicense, Carthaginense II, et Tridentinum in decreto *De observandis et evitandis in celebratione Missae*. Inter celebriora Summorum Pontificum constituta, hac de re, sunt Epistola Anacleti, et constitutiones Benedicti XIV. Quod oratoria privata et altaria portatilia respicit, videbimus in responsione ad secundam quaestionem. Quoad loca per se irregularia, haec animadvertenda putamus: 1° In mari celebrari nequit, nisi ex speciali privilegio S. Sedis. Conditiones quae apponi solent in concessionibus huiusmodi sunt: *a*) quod

assistat alter sacerdos, *b*) quod mare sit tranquillum, *c*) quod nullum adsit periculum irreverentiae erga divinissimum Sacramentum. Datur interdum dispensatio a praesentia alterius sacerdotis, dummodo maxima adhibeatur cura, ne pretiosissimi Sanguinis fiat possibilis eversio. Datur in mari etiam facultas celebrandi in parvis itinerantium cubiculis, dummodo tamen id decenter fieri possit. 2°. Tam ad locum clausum profanum, quam ad apertum, sermonem referimus in hac responsione, quia utrique eaedem normae applicandae sunt. In his numquam Sacrum offerri valet, nisi ex speciali S. Sedis facultate. Potest id permittere quandoque Episcopus in privatis domibus, sed « ex iustis et rationabilibus causis, per modum actus, non tamen in cubiculo, sed in loco decenti, servatisque aliis de iure servandis », uti se exprimit decretum S. C. de disciplina Sacramentorum (die 20 decembris 1912); potest etiam in aprico, uti concedunt moralistae, item per modum actus transeuntis, et ob magnas urgentesque causas, inter quas: *a*) si ecclesia inepta facta est ad celebrationem, v. gr. ob ingens incendium vel terrae motum; *b*) quando maximus haberetur populi concursus, ex. gr. ob piam celebremque peregrinationem, secus fideles Missa carere deberent; *c*) in favorem militum in castris degentium, diebus praesertim dominicis et festivis.

Ex dictis patet, quam sollicita fuerit Ecclesia, ut Missa celebretur in sacratis locis; notae sunt autem sublimes preces ac caeremoniae, quibus ipsa voluit esse consecrandas aedes divino cultui dicandas: sacrata fundamenta, sacrati parietes, sacrata ianua, cuius limina pertransirent fideles, ad benedicendum, laudandum et exorandum Dominum, sacrato ipsius tecto, apposita in sublimi trymphanti Cruce.

II. Ut ordinatim ad secundum procedatur, dicemus 1° de conditionibus ad oratorium erigendum requisitis; 2° de conditionibus ad ibi celebrandum appositis; 3° de conditionibus ad utendum altari portatili necessariis.

1° Ad erigendum privatum oratorium, ex decreto Clementis XI, dato sub die 14 decembris anno 1704, quod con-

firmavit Benedictus XIV, decreto diei 7 ianuarii anno 1741, necnon ex instructionibus S. Rituum Congregationis, prouti in Brevibus concessionis praescribitur, requiritur: *a*) quod facultas expetatur a S. Sede, per S. Congregationem de disciplina Sacramentorum, non vero Rituum, quia agitur de loco, et non de ritu Missae; *b*) quod locus extructus sit ex muro, et satis sit decorus; *c*) quod sit liber a quolibet domestico usu; *d*) quod visitetur et approbetur ab Ordinario loci.

Et sane, *a*) necessarius est recursus ad S. Sedem, ita enim se exprimit praefatus Pontifex Clemens XI, et eruitur ex decretis SS. Congregationum (S. R. C., die 27 maii 1617; 23 ianuarii 1847; S. C. Conc., die 27 augusti 1836; 7 iulii 1850; 20 decembris 1855). *b*) Bene notat Ferraris, hanc clausulam indicare, « quod locus, in quo vult erigi oratorium, debet esse decens, muro clausus, *saltem a tribus lateribus* ». Unde dicendum est, non posse admitti altaria in armadio clausa, vel tentoriis circumdata. Esto igitur locus ad id exclusive destinatus, etiam, uti docet Benedictus XIV, a Cardinalibus et Episcopis. Quoad ornatum vero, exigitur, ut sanctitatem mysteriorum, quae inibi celebrantur, omnino redoleat, remoto quolibet effigierum, aliarumve rerum profanarum ornamento. *c*) Locus ad oratorium destinatus, ut sit a domesticis usibus separatus, oportet ut nullimode adhibeatur, v. gr. pro bibliotheca, pro visitatoribus excipiendis, et multo minus ad prandendum vel cubandum; nequeunt desuper haberi cubicula ad dormiendum vel stricto sensu profana, prouti decrevit S. C. Immunitatis, sub die 30 septembris, anno 1636, et prout notant S. Carolus et Gavantus. Quod si necessitas urgeat, fiat recursus ad S. Sedem, quae indultum concedere poterit cum opportunis cautelis, vel provideatur de altero laqueari, ut pars vacua sit quasi separans camera. *d*) Conditio de visitatione per Ordinarium « indicat, ait Ferraris, non posse valide oratorium constitui, nisi praecedat visitatio et approbatio Ordinarii, et eius licentia; quia haec omnia requiruntur ut valeat Papae indultum ». Pronum

est, quod si indultarius mutet civitatem vel utcumque locum residentiae, oportet ut oratorium denuo visitetur; nescimus quomodo sustineatur opinio Diana et aliorum, qui tenent, non oportere ut noviter visitetur oratorium, si indultarius mutet domum in eadem civitate, dum oratorium reipsa est aliud.

2° Quod conditiones attinet ad rite in oratorio privato celebrandum, omittimus quae respiciunt sacra indumenta, aliamque supellectilem, et animadvertimus, altare constare posse ex marmore, muro, vel etiam ligno, « dummodo, uti declaravit S. R. C. die 3 decembris, anno 1661, parieti colligatum (forte simpliciter adhaerens), amovibile non sit, et altaris portatilis imaginem non praeseferat », et ara sacrata (Romae cm. 33 × 26) sit fixa. Oratoria eiusmodi « tantum simplici benedictione loci benedicuntur (S. R. C., 5 iun. 1899, n. 4025). Ceterae conditiones ex dispositionibus Clementis XI desumuntur: *a*) requiritur sacerdos approbatus; *b*) praesentia indultarii, quod si concessum sit familiae, satis est ut pars tantum eius sit praesens; nomine familiae, ait Ferraris, « comprehenduntur: pater, mater, uxor privilegiati, filii, filiae, nurus, gener, nepotes, aliique agnati et affines, dummodo habitent cum ipso indultario, et ipsius sint commensales »; hanc ultimam conditionem alii non requirunt; S. Alfonsus comprehendi censet inter affines coniunctos usque ad quartum gradum. Pro hospitibus, commensalibus, famulis, oportet ut in indulto nominentur, quo in casu, nequirent hi, absente indultario vel alio de familia, Missam in oratorio celebrandam requirere. In casu necessitatis potest parochus, etiam absente indultario, celebrare ad S. Viaticum morituro praebendum. Indultario defuncto, superstes familia nullo amplius potitur privilegio, si accessorie tantum nominetur. Indultum vero nonnisi pro unica Missa pro quolibet die datum censetur (Decr. Clementis XI); *c*) prohibetur Missae celebratio solemnioribus diebus, qui describuntur in Caeremoniali Episcoporum, lib. II, cap. XXXIV, n. 2, et de praecepto servantur (S. R. C., die 10 aprilis 1896, n. 3896).

Non prohibetur die festo Commemorationis S. Ioseph, Annuntiationis B. M. V., festo SS. Corporis Christi et Patroni loci; neque in festo SS. Trinitatis, ac Dominica infra octavam SS. Corporis Christi, iuxta decretum S. C. de disciplina Sacramentorum, de die 11 aprilis 1913. Quum datur indultum pro diebus solemnioribus, non intelliguntur comprehensi dies solemnissimi Paschatis et Pentecostes, pro quibus requiritur nova dispensatio.

3° Nunc de conditionibus, quae requiruntur ad celebrandum in ara portatili. Arae portatilis vel viatoriae nomine, ut per se patet, venit vel tota structura mobilis altaris, vel simpliciter lapis sacer, qui quolibet honesto loco adhiberi potest ad Missam celebrandam, ab iis qui specialissimo hoc privilegio gaudent, uti sunt iure S. R. E. Cardinales et Episcopi etiam titulares, qui insuper, Missam ab alio sacerdote ibi celebrandam audire queunt, etiam post propriam Missam ibidem celebratam. Nil dicimus, uti exigitur pro altari in genere, de integritate lapidis, de tobaleis aliave supellectili, quae communia sunt omnibus. Immoramur potius circa modum hac ara utendi. Si potest altare huiusmodi ubique collocari, sive domi, sive ruri, sive ubilibet quis moratur, etiam ad diem, decet tamen, nisi forte necessarium dicas, quod, in quantum possibile sit, omnia serventur, quae dicta sunt pro oratorio privato, quando praesertim agitur de propria domo. Quid esset revera asportatio quotidiana altaris de uno in alium locum, nisi ostensio parvae curae de re divina? quasi Dominus emendicare cogatur locum suae receptionis? Eo vel magis, quod, si non adhibeatur determinatus locus ad altare collocandum, interdum fieri posset, ut et minus decenti loco erigatur. Etiam in hoc casu valet principium: Sancta sancte tractanda sunt.

III. Circa modum agendi Raymundi haec notamus: 1° Nullimode redargui potest de profanatione oratorii privati, ut ad usum cubiculi dormitionis illud adhiberi valeat, cum enim oratorium privatum non in perpetuum cultui dicetur, potest profecto aliquando in alium usum converti.

2° Quod uteretur aulis ad visitantes recipiendos destinatis, vel ad studium, vel ad dormiendum, hoc nequaquam probari petest, nisi forte data aliqua peculiari necessitate, nullimode stabili ratione; ornatus ipse talium locorum id suadet. Quinam esse potest sensus adstantium Sacro, si altare circumdatur profana et adhuc minus decenti supellectili? 3° tandem, quod respicit argumentum a Raymundo allatum: « Ob privilegium altaris portatilis Missam celebrare possum ubique, altare erigendo in loco mihi beneviso in itinere; ergo multo magis in domo mea », animadvertimus, nullimode valere comparationem, quia statim responderi potest: Etiam in itinere teneris ad requirendum locum decentem et quantum fieri potest a profanis usibus alienum; a fortiori igitur teneris in domo tua, in qua providere vales, ut omnia rite fiant, omni insuper adhibita cura, ut stabili ratione aula quaedam, vel pars eius eligatur (recole quod dictum est superius, de sufficientia muri ex tribus partibus), ad altare ad instar oratorii collocandum.

BREVIORA RESPONSA

Pro Isernia. — I. Diebus impeditis, quibus scilicet non permittitur Missa de requie, solet in suffragium defuncti designati recitari Officium defunctorum, quo expleto celebratur Missa de die, cum applicatione pro defuncto; Missa autem finita, sacerdos cum Ministris dimittunt paramenta coloris diei, et induunt respective pluviale, dalmaticam et tunicellam nigri coloris, ut exequias compleant circa tumulum in media ecclesia paratum, vel pannum funebre in pavimento extensum. Licetne exequias tali ratione celebrari?

Resp. Habemus ad rem sequentia S. Rituum Congregationis decreta: Absolutiones ad tumulum non sunt faciendae immediate post Matutinum defunctorum, si Missa de requie, ritu permittente, sit lecta, sed fiant post Missam de requie, sive lectam sive cantatam (n. 4081, II). Absolutio cum Responsorio *Libera me*, etc. numquam fiat post Missam de die, cantatam vel lectam, nisi omnino independenter ab eadem; et si dicatur Officium defunctorum, fiat absolutio immediate post ipsum et ante Missam de die (nn. 4183, 4215 et 3780, VIII). Lodex funerea seu pannus niger emortuale extendi potest ante Altaris gradus pro absolutione, id non vetantibus decretis n. 3535, V, et n. 4183. Quoad paramenta Ministrorum, animadvertendum est, ea non posse in absolutione adhiberi, nisi in Missa solemni, quae ipsam praecedit, adhibita fuerint. Tumulus autem, vel pannus non adsint tempore Missae de die, aut saltem, si necesse fuerit tumulum parari in antecessum, non accendantur circa illud cerei.

II. Potestne in fine Missae de requie, absque Ministris paratis decantata, quam non praecessit Officium defunctorum, neque in cantu, neque lectum, fieri absolutio in cantu circa tumulum?

Resp. Affirmative, iuxta decreta S. R. C. 4081, II, et 4215, quae cum data sint pro Missis tantum lectis, a fortiori valent pro Missis cum cantu. Non est autem necesse quod Missam praecedat Officium, quod patet tum ex decretis in hac et in praecedenti resolutione citatis, tum ex praxi universali.

Pro Neapoli. — I. In novo Rituali Romano typico, ante Officium Defunctorum, Rubrica dicit : « In die vero depositionis, in die post acceptum mortis nuntium, et tertio, septimo, trigesimo, et anniversario, etiam late sumpto, et quoties solemniter celebratur Officium, duplicantur Antiphonae ». Quaeritur: *a*) Quid intelligendum per illud : *quoties solemniter celebratur Officium;* sunt ne alii casus vel circumstantiae, diversi ab illis, distincte iam in ipsa Rubrica determinati, et quinam? — *b*) In casu affirmativo, sunt ne, in huiusmodi diversis circumstantiis, duplicandae Antiphonae, praeceptive, an solum permittitur? et utrum generatim, an ratione consuetudinis tantum?

Resp. a) et *b*) Affirmative, ut insinuatur per illam particulam *et*; sunt vero illi casus in quibus sive ex fundatione, sive ex consuetudine, sive ob peculiarem solemnem commemorationem, tam pro defuncto quodam determinato, quam pro pluribus, et adhuc pro omnibus, cum solemnitate, seu sub ritu duplici, etiam absque alia solemnitate exteriori, Officium celebrandum sit. Praeceptiva porro dicetur duplicatio antiphonarum, si reipsa ritus duplex requiritur vel ab intrinseca aut extrinseca solemnitate, vel a voluntate testatorum, eleemosynam praebentium etc.

II. In eodem Rituali, ante Matutinum Defunctorum, rubrica praecipit : « Sequens Invitatorium dicitur semper in Officio Defunctorum, quando persolvitur cum tribus Nocturnis, etiam sub ritu semiduplici, aut cum unico quidem Nocturno, sed sub ritu duplici. In reliquis vero casibus omittitur ». Quaeritur ergo: *a*) Estne recitandum Invitatorium in casibus, si qui sint, praeter dies privilegiatos, in quibus forte duplicantur Antiphonae, an vero sub locutione: *sed sub ritu duplici,* intelligi debeant tantum dies privilegiati, qui

proprie ritui duplici respondent? — Et, si affirmative ad primam partem, obligatorie, an facultative, seu permissive?

Resp. *a*) Invitatorium dicendum est primo: quocumque in casu dicuntur tres Nocturni, scilicet, sive sub ritu duplici, sive sub semiduplici; secundo: tunc tantum, quum dicitur unum Nocturnum sub ritu duplici. Non est ergo quaestio de privilegio diei, neque de ritu. *b*) Nullum dubium; regula haec est praeceptiva.

III. In fine exequiarum, absente corpore, estne dicenda Antiphona *Si iniquitates,* post ℣. *Anima eius,* etc. cum Ps. *De profundis,* etc., prout habetur in fine Missalis parvi editi anno 1900 a Pustet, iuxta decretum S. R. C.? Cur in novo Rituali typico nihil de hoc dicitur, sed manet conclusio ut prius, dum e contra alia inserta sunt, quae ex variis decretis S. R. C. declarata vel disposita fuerant? Num servandum est iterum Rituale, uti iacet, nihil addendo?

Resp. Ex silentio Ritualis romani typici, nullimode arguendum est, esse praecedens ius immutatum, circa antiphonam et preces dicendas in reditu in sacristiam post absolutionem ad tumulum, absente corpore. Ibi exponitur ritus adhibendus in illa absolutione, cetera autem nota sunt aliunde. Similiter ceterum dubitari posset de precibus dicendis post Ps. *De profundis,* peractis exequiis praesente corpore, cum et in hoc casu Rituale sileat; sed neque ista occasione dubium moveri potest, de observantia rubricae Missalis et Decretorum, quod melius manifestum fiet in novis Missalis editionibus.

Pro Moravia. — I. Festum SS. Cordis Iesu concurrit cum festo Pretiosissimi Sanguinis; fitne in 2 Vesperis SS. Cordis commemoratio sequentis, Pretiosissimi Sanguinis D. N. I. C.?

Resp. Vide Ephemerides Liturgicas, huius anni, n. 8, pag. 499, IV, 2.

II. In octava S. Ioannis Ap. Ev. (ritu simpl.) dicitur adhuc *Credo?*

Resp. Negative, cum agatur de ritu simplici, et prout fit in Missa de S. Maria de Sabbato.

III. Infra Octavam Ascensionis D. N. I. C. et in Dominica anticipata permittitur in Nuptiis Missa votiva pro Sponsis? De hac Octava Ascensionis Domini nihil in rubricis, et Dominica anticipata gaudet privilegiis verae Dominicae.

Resp. Negative, quia octava Ascensionis est privilegiata III ordinis, prout octava Nativitatis; et Dominica anticipata gaudet *omnibus* privilegiis Dominicae. Ita salva diversa novarum, quae expectantur, rubricarum Missalis dispositione.

IV. In Missa de die infra Octavam Nativitatis Domini estne or. *Deus, qui salutis,* 3. *Ecclesiae* vel pro Papa?

Resp. Affirmative, tales enim requirit tempus natalitium.

V. Festum S. Ioachim, Patris B. M. V., numeratur iuxta novas dispositiones inter festa feriata, sunt parochi in hoc festo, quod prius semper die dominica celebrabatur, obligati ad applicationem Missae pro populo?

Resp. Negative: vide rationes in Commentario in novissimas rubricas, in fasciculo mensis elapsi, ad pagg. 587-589.

VI. Iuxta rubricas novissimi breviarii, post Dominicam III septembris lectiones de Scriptura transferri possunt in feriam Quatuor Temporum; hoc in casu, si ex. gr. dicendae sunt lectiones e feria 3, dicuntur ℟℟. ex feria 4 Quatuor Temporum, quae sunt pro Homilia?

Resp. Affirmative, nihil enim responsoria commune habent cum homilia, sed sunt de tempore; et responsoria feriae 3 non sunt hic propria, et nihil rubricae habent de huiusmodi responsoriorum translatione.

Pro dioecesi Carpen. — Agitur die 14 aprilis de Ss. Mm. Valeriano, Tiburtio et Maximo, sub ritu duplici maiore. Proinde in primis Vesperis, Laudibus et secundis Vesperis eiusdem festi facienda est commemoratio S. Iustini M., eodem die occurrentis. Quaenam antiphonae et ℣. sumenda sunt pro dictis commemorationibus? Ego in calendario dioecesano eas ita statui:

13 aprilis, S. Hermenegildi M. *sem.* Vesp. seq. (ac proinde ant. *Lux perpetua,* ℣. *Sancti*), com. praec. (ant. *Sancti,* ℣.

Pretiosa) et S. Iustini dupl. simpl. (ant. *Filiae*, ℣. *Lux perpetua*, ut in noviss. brev. in com. Ss. Tiburtii, etc.).

14 aprilis, Ss. Valeriani etc. Mm. *dupl. mai.* com. S. Faustini M. in Laud. (ant. *Sancti*, de 2 Vesp., ℣. *Lux perpetua*); et in Vesp. (ant. *Lux perpetua*, de 1 Vesp., ℣. *Sancti*). Rectene?

Resp. Recte ordinantur antiphonae et ℣. in primis Vesperis, iuxta decretum S. R. C., n. 4042, V, et Breviarium, ad primas Vesperas Ss. Mm. In Laudibus tamen, iuxta citatum decretum et ipsum Breviarium, eodem loco, commemoratio fieri debet per antiphonam et ℣. de primis Vesperis, videlicet, ant. *Lux perpetua*, ℣. *Sancti*. In secundis Vesperis, iuxta Rubricas generales Breviarii tit. IX, n. 8. et decretum S. R. C., n. 1890, I, pro S. Iustino antiphona erit de Laudibus, *Filiae*, et ℣. de primis Vesperis, *Sancti*. Iuxta schema a Rev. Inquirente propositum habetur maior variatio pro eodem Sancto, et forte praestat illud sequi, ad mentem decreti n. 4262, IV.

Pro Congregatione M. — Quando recitatur Officium defunctorum pro uno quidem defuncto, sed extra diem anniversarium vel alios privilegiatos, quot et quaenam dicendae sunt Orationes? Num eaedem quae dicendae essent in Missa: nempe 1ª pro ipso defuncto, 2ª ad libitum, 3ª pro omnibus defunctis? — Et si Officium solemniter celebretur, cum sequente Missa solemni et Absolutione, quasi pro die obitus vel Anniversario, quod tamen ad libitum translatum est, potest ne recitari una tantum Oratio, si talis praesertim adsit consuetudo?

Resp. Si Officium recitatur sub ritu duplici, unica oratio dicenda est, si ritu semiduplici, eadem tenenda norma quae in Missa; dum in novissimis Breviario et Rituali typico, pro Officio defunctorum *per annum* praescribuntur generatim tres orationes; sed, profecto, si notus sit defunctus vel noti defuncti, non est cur non adhibeatur norma Missae, videlicet, ut pro defuncto vel defunctis determinatis dicatur prima oratio, secunda ad libitum, tertia pro omnibus fidelibus de-

functis. Patet igitur responsio ad ultimam quaestionem, quia, in casu, Officium recitabitur sub ritu duplici, qui unicam requirit orationem.

Pro dioecesi Parmen. — Num absolute probibentur simplices Sacerdotes usu stolae super cottam in processionibus vel solemnibus conventibus totius cleri, v. gr. occasione Synodi; et quatenus affirmative, nonne opportunum erit a S. Sede exposcere huiusmodi privilegium?

Resp. Stolae usus, prouti signum distinctionis alicubi concessus est Parochis, uti constat ex decretis S. R. C., ex quibus nonnulla notant hunc usum, alia permittunt, quod reipsa interpretandum est de iure particulari; ergo generatim loquendo id prohibetur. Si porro id prohibetur Parochis, a fortiori vetatur ceteris sacerdotibus. Quod autem attinet opportunitatem petitionis privilegii apud S. Sedem, nos putamus deesse prorsus fundamentum sperandae concessioni, nihili prorsus valentibus rationibus, quas prolixe Rev. Inquirens ad nos cum dubio transmisit, quasque brevitatis causa omittimus.

Pro dioecesi Perusina. — I. Festum B. M. V. de suffragio, ubi est titulare, et celebrabatur Dominica post festum omnium Sanctorum, in posterum erit celebrandum die 3 novembris, utpote die prima libera in qua potest dicta Dominica occurrere (S. R. C. 23 oct. 1913, I, 1). Quo vero anno, die 3 novembris, agenda esset commemoratio omnium fidelium defunctorum, haec, cum impediatur festo ritus duplicis I classis, agenda erit die 4 (Rubrica novissima, Breviar. typ. 1914, die 2 novembris).

II. Ubi B. M. V. de Pace est titularis, si eius festum celebrabatur in aliqua Dominica post Pascha vel post Pentecosten, iam nunc debet ab Ordinario assignari congruentiori feriae infra hebdomadam immediate praecedentem; si alia Dominica celebrabatur, iam nunc assignari debet diei primae qua occurrere potest ipsa Dominica (S. R. C., decr. supra cit.).

III. Festum commemorationis omnium Sanctorum Sum-

morum Pontificum solet nunc, si concedatur, a S. R. C. assignari diei 3 iulii.

IV. Moniales exemptae, quae una cum dioecesi celebrabant festum B. M. V. sub ritu duplici II cl., iam nunc, abolitis festis non propriis, omittere illud tenentur. Salvo privilegio, si eius solemnitas externa servetur in Dominica, cui affixum erat festum, celebrandi unicam Missam de eo, iuxta decretum 23 oct. 1913, I, 2.

Pro dioecesi Lucionen. — I. In Gallia, solemnitas Patroni debet transferri in Dominicam proxime sequentem, nisi impediatur. In ecclesia S. Michaelis, vel S. Remigii, solemnitas Patroni transferri deberet, anno proximo, ad diem 3^am^ octobris (Dominicam sequentem festum), sed in hac die incidit, in nostra dioecesi, anniversarium Dedicationis ecclesiae cathedralis. Debet ne solemnitas Patroni fieri in hac die 3^a^ octobris, vel transferri in Dominicam sequentem (die 10 oct.)? — Legi quod dicitur in *Ephem. Liturg.* (1914, p. 147), sed in nostro casu non agitur de occurrentia Dedicationis et festi Patroni, sed de translatione solemnitatis Patroni in diem propriam Dedicationis ecclesiae cathedralis.

Resp. I. Servandum decretum S. R. C. n. 3754, V, quo edicitur, non esse impedimento pro solemnitate translata Dominicam in qua occurrit duplex I classis, si festum cuius solemnitas transfertur est dignius festo quod occurrit in Dominica; atqui festum Patroni est dignius anniversario Dedicationis ecclesiae, quia illud gaudet feriatione, non vero istud; ergo, in casu, die 3^a^ octobris de solemnitate Patroni agi potest et debet.

II. Solemnitas SS.mi Rosarii B. M. V., in ecclesia cuius est titulare, debet ne fieri in Dominica I octobris, vel in Dominica quae sequitur festum? — Si, ut mihi videtur, haec Solemnitas Dominica I octobris ponitur, quid est faciendum, quando in hac Dominica incidit anniversarium Dedicationis ecclesiae cathedralis?

Resp. Servandum est decretum S. R. C. diei 23 octobris 1913, 2, in quo dicitur, Dominica I octobris celebrari

posse solemnitatem externam SS. Rosarii; sed quia, in casu, eo quod Dominica est dies 1 octobris, peragitur festum anniversarii Dedicationis ecclesiae cathedralis, quod est nobilius festo SS. Rosarii, etiamsi, quoad externam solemnitatem hoc comparetur duplicibus I classis, de solemnitate Rosarii nequit fieri nisi commemoratio, sub unica conclusione cum prima festi occurrentis oratione.

III. In ecclesia S. Georgii, anno 1915, die 25 aprilis, quae est Dominica, occurrent: festum S. Marci (Processio et Missa Rogationum): Solemnitas externa S. Ioseph (ad libitum celebranda): Solemnitas S. Patroni (de praecepto celebranda). Quid est faciendum: 1° si plures sunt Sacerdotes, 2° si unica dicitur Missa?

Resp. 1. Si plures sunt Sacerdotes, si fiat processio (nam, si non fiat, ex decretis n. 2740, IX, et 2682, XXXV, Missa de Rogationibus non obligat), canenda est Missa de Rogationibus et alia de S. Patrono. Duae enim solemnitates externae, ex decretis, numquam simul peraguntur: cedit igitur solemnitas S. Ioseph, quae est ad libitum.

2. Si unus est Sacerdos, ex decreto 2942, I, quod idem declarat etiam in casu duorum Sacerdotum, occurrente festo Patroni principalis, dicenda est Missa de festo cum commemoratione Missae Rogationum, sub unica conclusione cum oratione festi (ibid., III).

Huiusmodi damus solutionem, quia solemnitas externa Sancti Patroni, in Gallia, celebrari potest etiam si habeatur unica Missa, ex litteris S. R. C. ad Ordinarium Chamberien., diei 5 iulii 1912, quod significat hanc solemnitatem comparari festo occurrenti.

IV. Si festum Patroni occurrit cum festo Ascensionis D. N. I. C., transfertur Officium S. Patroni, sed debet ne transferri solemnitas?

Resp. Decretum declaratorium Indulti Card. Caprara, ad III, disponit, quod si festum cuius esset transferenda solemnitas incidat in festum aliquod ex solemnioribus Ecclesiae

universalis, nulla de eo commemoratio fiat, *neque transferatur solemnitas,* sed Officium tantum iuxta rubricas (n. 3754).

V. Si in Dominica, quae sequitur festum Patroni, occurrat festum duplex I cl. *eiusdem* dignitatis, non concordant auctores quid sit faciendum. Alii affirmant, solemnitatem Patroni ulterius transferendam, alii vero dicunt, solemnitatem Patroni *ad libitum* ulterius transferri, vel in hac ipsa Dominica celebrari posse, addendo orationi festi occurrentis orationem Patroni sub unica conclusione. Quid sentiendum?

Resp. Succurrit decretum n. 3754, V, declarans: « Si tam festum (occurrens) quam solemnitas (translata) aequalis fuerint dignitatis, illud celebretur iuxta rubricas; ad solemnitatem autem quod spectat, transferatur in proximiorem Dominicam non impeditam.

VI. In Gallia, ex decreto Card. Caprara, solemnitas Dedicationis ecclesiae in Dominica ponebatur; et nunc solemnitas Dedicationis ecclesiae propriae, ex Indulto, fieri potest in Dominica quae sequitur Octavam Omnium Sanctorum (excepta cathedrali). — Solemnitas vero Dedicationis ecclesiae cathedralis *potest-ne* celebrari Dominica quae sequitur diem propriam huius Dedicationis? *Convenit-ne* haec solemnitas *in Dominica* celebrari in omnibus ecclesis dioeceseos?

Resp. Non potest, nullibi invenitur eiusmodi Indultum, neque vi decreti Cardinalis Caprara, neque vi novarum rubricarum, seu decretorum. Quoad convenientiam, intellige petendi indultum, recurratur ad R.mos Ordinarios.

Pro C. B. — In quibusdam conventibus religiosorum mendicantium, quoad Missam lectam conventualem hic invaluit mos: Acolythus relinquit chorum ad sumendum superpelliceum, post cantum responsorii brevis horae tertiae, sed interim Celebrans, ut Missam incipere queat immediate post *Fidelium animae etc.*, eodem tempore ad altare procedit, alio praeeunte clerico sine cotta; et ita fit quod acolythus superveniat postquam Sacerdos inceperit, vel etiam expleverit confessionem. Id videretur inconsonum tali Missae,

quae licet sine cantu, est quodammodo solemnis. Quid dicendum?

Resp. Mos iste abusus est vocandus, et a Superioribus reprehendendus atque eliminandus. Id omne quod Sacrosanctum Missae Sacrificium respicit, praesertim cum solemniter ac officialiter, uti aiunt, celebratur, id est in choro, etiam sine cantu, rite recteque agendum est. Et sane usus de quo supra neque esset tolerandus in privata Missae celebratione, quia minister Missae debet esse unicus, et iure offendit oculos adstantium illa mutatio iniustificata personae. Crescit argumentum ex quo agitur de religiosis, qui, in sacris obeundis, deberent ceteris esse exemplo. Maturius ergo exeat acolythus, et celebrantem, praecipit ut rubrica, praecedat. M.

Pro Bononia. — Rubricae Generales Missalis (tit. V. n. 1) praescribunt: « Prima die cuiusque mensis (extra.....) non impedita..... dicitur Missa principalis pro defunctis. Si vero in ea fuerit festum simplex, vel feria quae propriam habet Missam...... dicatur Missa de die cum commemoratione generaliter pro defunctis ». — Item (n. 2): « Feria secunda cuiusque hebdomadae, in qua officium fit de feria, Missa principalis dici potest pro defunctis;.... (ut supra) in Missa de die fiat commemoratio pro defunctis ».

Constitutio *Divino afflatu* (tit. X, n. 2) haec habet: « In feriis Quadrag., in II Rogat., et in *Vigiliis* prohibentur Missae votivae aut privatae defunctorum ».

Si occurrat in prima die mensis vel in feria secunda hebdomadae vigilia cuiusdam festi, in Missa vigiliae estne facienda commemoratio pro defunctis?

Distinguo: — In prima die mensis est facienda, quia rubrica generalis generaliter imponit commemorationem; rubrica vero novae, prohibet tantum Missas privatas defunctorum. — In feria secunda hebdomadae non videtur esse facienda, quia antiqua rubrica admittit tantum Missas defunctorum, quibus impeditis commemoratio fiat. Sed nova rubrica prohibet absolute Missas defunctorum, ergo nec commemoratio fieri debet.

Ergo in vigilia occurrente in prima die mensis commemoratio defunctorum in Missis est facienda; in feria secunda hebdomadae non.

Sed contra: Ordines sequentis anni, a Desclée publicati, hanc commemorationem semper admittunt.

Resp. Videtur quod commemoratio pro defunctis locum tenere debeat, in casu, tam in primo mensis die quam in feria secunda cuiusques hebdomadae. Verum tamen est quod in hac feria secunda, in qua aliqua vigilia occurrerit, Missae votivae lectae pro defunctis prohibitae sunt, quod autem nostrum respicit casum, dicta commemoratio, etiamsi agatur de Missis privatis non contradicit rubricae quae prohibet totam Missam de requie.

Pro N. in Hispania. — An in Sabbatis, quibus occurrit Officium S. Mariae in Sabbato, dici possit Missa votiva de Immaculata Cunceptione eiusdem Virginis Mariae, ex indulto nobis concessa etiam in duplicibus, exceptis duplicibus I et II classis et diebus privilegiatis iuxta Rubricas?

Resp. Mihi videtur negative. Prohibetur enim Missa votiva de Mysterio aut Sancto ea die qua de eadem fit Officium ratione festi aut Octavae. Si occurrat in Sabbato, ait S. Rit. Congregatio, aliquod Festum B. M. V. vel dies infra Octavam eiusdem, celebranda est Missa festivitatis vel de die infra Octavam tanquam non votiva, si de eadem Octava fiat Officium; si vero recitetur Officium alterius Festi, Missa pariter erit de die infra Octavam, sed more votivo (die 26 ian. 1793 ad 2, n. 2542, et 12 nov. 1831 ad 1 et 2, n, 2683). Item in Decreto generali d. 30 iunii 1896, V, 1, S. R. C. decrevit: « In festivitatibus et infra Octavas eiusdem Beatae Virginis celebretur Missa festivitatis aut de die infra Octavam, tamquam non votiva, sed festiva. Pariter die quo Officium votivum de Beatae Virgine ex indulto recitatur, Missa votiva sumatur quae respondeat Officio ». Demum recens S. R. C. d. 7 augusti 1914 ad 2 (A. A. S., VI, 407) declaravit: Infra Octavam simplicem Nativitatis B. M. V., si dicenda sit Missa eiusdem B. Mariae, legatur Missa ut in festo Nativitatis B. Mariae cum *Gloria*, sed sine *Credo*.

Si itaque in quibuslibet festivitatibus et diebus infra Octavas etiam simplices B. M. V., necnon in diebus quibus fit Officium votivum de B. M. V. pro Missa votiva de eadem B. Maria sumenda sit illa quae respondet occurrenti festivitati, vel Octavae, vel Officio recitato Beatae Mariae Virginis, eadem ratione dicendum est quod in Sabbatis, quando recitatur Officium S. Mariae in Sabbato, pro Missa de eadem Virgine Maria sumenda est illa quae respondet Officio recitato, et non de Immaculata Conceptione eiusdem Mariae ex indulto concessa.

P. V. ab A.

Appendix.

SACRA CONGREGATIO S. OFFICII

(Sectio de Indulgentiis)

I.

DECRETUM

seu Declarationes circa aliquos spirituales favores pio operi Propagationis Fidei concessos.

Ad supremam hanc sacram Congregationem S. Officii, sequentia exhibita sunt dubia, pro opportuna solutione, nimirum:

I. Quando parochus delegavit unum ex suis vicariis, committens ei munus colligendi in sua parochia eleemosynas in favorem pii Operis Propagationis Fidei, uter facultatibus et privilegiis eidem Operi a Sancta Sede concessis fruitur? An solus vicarius? num parochus solus? an vero uterque?

E.mi ac R.mi PP. Cardinales Inquisitores generales, feria IV, die 25 martii 1914, respondendum esse dixerunt:

Ad I. Tam parochus, cui munus demandatum fuerit in aliqua paroecia colligendi elemosynas, quam vicarius, cui parochus hoc munus committit, fruuntur facultatibus et privilegiis a Sancta Sedis concessis.

Ad II. Non solum sacerdos director, sed et R.mus Episcopus gaudent in casu facultatibus et privilegiis a S. Sede concessis.

Et Ss.mus D. N. D. Pius div. prov. Pp. X, in solita audientia R. P. D. Adsessori S. Officii, feria V sequenti, die 26 martii, impertita, benigne sententiam E.morum PP. approbare dignatus est. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

D. Card. FERRATA, *Secretarius.*

L. ✠ S.

Fr. Dom. M. Pasqualigo, O. P., *Comm. G.lis S. O.*

II.

DECRETUM.

Peculiares tribuuntur indulgentiae sodalitatibus lectioni S. Evangelii provehendae institutis.

Quam proficua sit inter fideles eorum consociatio ad assiduam provehendam lectionem Evangelii, conspicui probavere fructus indidem procreati. Quae enim, ecclesiastica favente auctoritate, hucusque surrexerunt, caelestibus visae sunt benedictionibus foecundari.

Quo igitur res ista plurimum incrementi capiat, censuit SS.mus D. N. D. Pius div. prov. Pp. X, fidelibus sub Christi nomine in profectum Evangelii confoederatis, Ecclesiae thesaurum esse opportune aperiendum.

Quapropter, in audientia R. P. D. Adsessori S. Officii impertita, die 23 aprilis, anno 1914, Idem Ss.mus

Dominus omnibus et singulis piis Sodalitatibus, a locorum Ordinariis sive iam canonice erectis sive in posterum similiter erigendis, ea mente ut eius membra in id conspirent, ut magis propagetur ac magis Evangelium, sibique ad hunc finem assequendum proponant: 1° Saepe incumbere, et si possibile sit quotidie, aliquali S. Evangelii lectioni, utendo editionibus ab Ecclesia probatis, et crebris lucidisque adnotationibus ditatis; 2° Eiusmodi lectionem aliis passim opportuneque commendare; 3° Frequenter invocationem recitare: *Da, quaesumus, Iesu, ut tuo sancto obsequamur Evangelio,* sequentes indulgentias benigne concedere dignatus est: I. Plenarias, defunctis quoque applicabiles, pro Sodalibus confessis ac S. Communione refectis, qui ecclesiam seu sacellum visitaverint, in quo Sodalitas canonice erecta est, ibique ad mentem Summi Pontificis oraverint: 1° Die inscriptionis in Sodalitatem; 2° Diebus festis: Nativitatis D. N. I. C. - Circumcisionis - Epiphaniae - Paschatis - Ascensionis - Pentecostes - Assumptionis B. M. V. - Cathedrae S. Petri Romae - Conversionis S. Pauli Ap. - S. Ioseph (19 martii) - S. Marci Ev. - S. Iacobi Ap. (1 maii) - Ss. App. Petri et Pauli - S. Matthaei Ap. et Ev. - S. Hieronymi - S. Lucae Ev. - S. Iudae Thaddaei Ap. - S. Ioannis Ap. et Ev. - et Omnium Sanctorum. — II. Plenariam in articulo mortis, a quibuslibet ex Sodalibus lucrandam, si confessi ac S. Synaxi refecti, vel saltem contriti, Ss.mum Iesu Nomen ore, si potuerint, sin minus corde, devote invocaverint, et mortem tanquam peccati stipendium de manu Domini patienter susceperint. — III. Partialem centum dierum, etiam

defunctorum animabus profuturam, pro quolibet pietatis vel caritatis opere, quod Sodales iuxta Sodalitii statuta peregerint.

Praesenti in perpetuum valituro, absque ulla Brevis expeditione. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

D. Card. FERRATA, *Secretarius*.

L. ✠ S.

† DONATUS, Archiep. Ephesin., *Adsessor*.

III.

DECRETUM

seu Declaratio circa inscriptionem et transmissionem nominum fidelium adlectorum in pias Confraternitates.

Cum S. Congregatio Indulgentiis sacrisque Reliquiis praeposita, die 16 iulii, anno 1887, declaraverit, inscriptionem nominum christifidelium, qui in Confraternitates proprie dictas cooptantur, esse omnino ad lucrandas indulgentias necessariam; et ex decreto eiusdem S. Congregationis, d. d. 18 augusti 1868, sacerdotes alicuius ex relativis Confraternitatibus rectoris munere carentes, quamprimum commode possunt, transmittere teneantur ad Superiores respectivae Sodalitatis vicinioris canonicae erectae nomina receptorum, ut in album ipsius Sodalitatis referantur; dubitari coeptum est, an fideles ex ipso die inscriptionis, ad indulgentias lucrandas ius haberent, etsi eorum nomina nondum ad Sodalitatem pervenerint. Et S. eadem Congregatio, diebus 12 decembris 1892 et 15 novembris 1893, affir-

mativam responsionem protulit. Si tamen, sive ex negligentia, sive ex alia causa, fidelium nomina numquam ad Sodalitatem transmittantur, novum exoritur dubium, an aliquando, et quonam tandem tempore, fideles indulgentiarum beneficio censendi sint decidisse. Qua de re supplicatum est apud Ss.mum D. N. Pium div. prov. Pp. X, ut mentem suam vellet aperire, et defectus ex hoc capite hucusque per quoscumque sacerdotes forte admissos benigne sanare. Et Sanctitas Sua, in solita audientia, die 23 aprilis 1914, R. P. D. Adsessori S. Officii impertita, praevia sanatione omnium defectuum hucusque admissorum in inscriptione et transmissione nominum christifidelium, qui ad quamcumque piam Sodalitatem cooptati fuerint, declaravit, firma remanente in conscientia obligatione inscribendi et transmittendi nomina, iuxta decreta aliasque S. Sedis praescriptiones, fideles, eo ipso quo a legitime deputato admittuntur, rite adscriptos censeri, ad effectum tantummodo ut indulgentias lucrari aliarumque gratiarum spiritualium participes fieri valeant, etiamsi eorum nomina, quacumque ex causa, in album Sodalitatis relata non fuerint. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

D. Card. FERRATA, *Secretarius*

L. ✠ S.

† DONATUS, Archiep. Ephesin., *Adsessor.*

IV.

DECRETUM

seu Indultum circa peragendam sacramentalem Confessionem ante diem lucrandae Indulgentiae constitutum.

Die 23 aprilis 1914.

Ss.mus D. N. D, Pius div. prov. Pp. X, in audientia R. P. D. Adsessori S. Officii impertita, crebriorem cupiens faciliorem que usum reddere Eucharisticae Communionis, et nihilominus aliquando obstare noscens praescriptam eodem die, vel aliquo ex antecedentibus, iuxta peculiaria vel generalia S. Sedis indulta, praesertim vero data die 9 decembris 1763 et 11 martii 1908 per S. Congregationem Indulgentiarum, sacramentalem confessionem; firmis remanentibus amplioribus iam factis concessionibus, ac nominatim sub die 14 februarii 1906, per supra dictam sacram Indulgentiarum Congregationem, relate ad eos qui quotidie vel fere Angelorum Pane reficiuntur; benigne concedere dignatus est, ut ad quaslibet lucrandas indulgentias sufficiens habeatur confessio sacramentalis ultimo octiduo ante diem pro lucranda indulgentia designatum peracta; dummodo tamen non oporteat, ut, secundum prudens confestarii iudicium, aliquis ex christifidelibus aliter se gerat.

Praesenti in perpetuum valituro, absque ulla Brevis expeditione. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

D. Card. FERRATA, *Secretarius.*

L. ✠ S.

† Donatus, Archiep. Ephesin., *Adsessor.*

V.

DECRETUM.

Peculiares gratiae spirituales in favorem fidelium societatibus a temperantia vel abstinentia ab inebriante potu adscriptorum decernuntur.

Ss.mus D. N. D. Pius div. prov. Pp. X, in audientia R. P. D. Adsessori S. Officii, feria V, die 21 maii 1914, impertita, cupiens propensiorem Suam voluntatem erga Societates, a Temperantia vel Abstinentia ab inebriante potu nuncupatas, ostendere, earumque Sodales in provehendo tam salubri proposito alacriores experiri; apostolica auctoritate, benignam de thesauro Ecclesiae largitionem adaperire constituit, et sequentes indulgentias istiusmodi Sodalitatibus, dummodo a R.mis Ordinariis canonice sint erectae vel in posterum erigantur, concedere dignatus est:

I. Indulgentias Plenarias. Sodalibus confessis ac S. Communione refectis aliquam ecclesiam vel publicum oratorium devote visitantibus ibique ad mentem Summi Pontificis orantibus: 1° Die quo Sodalitati nomen dederint. 2° In festo cuiusque Sodalitii Titulari. 3° In festo S. Ioannis Baptistae vel Dominica immediate sequenti. 4° Quatuor in anno diebus festis, a R.mis Ordinariis semel tantum designandis. 5° Semel in mense, die cuiusque Sodalis arbitrio eligenda, si per integrum mensem orationem aliquam a R.mo Ordinario pro respectiva Sodalitate adprobatam devote recitaverint.

II. Indulgentias Partiales. 1° Septem annorum totidemque quadragenarum, quatuor in anno diebus ab

Ordinariis semel tantum designandis, quibus Sodales aliquam ecclesiam vel publicum oratorium devote visitaverint, ibique ad mentem Summi Pontificis oraverint, simulque promissionem circa temperantiam vel abstinentiam a potu inebriante ex corde renovaverint. 2° Trecentorum dierum, ab iis Sodalibus lucrandam, qui ebrietati deditos ab huiusmodi vitio avertere conati fuerint, vel aliquem ex iis ut Societati adscribatur adduxerint; aut coetibus Sodalitatis interfuerint.

Quae omnes singulae indulgentiae etiam defunctis applicari queunt.

Indulsit tandem eadem Sanctitas Sua ut Missae omnes, quae pro anima alicuius Sodalis defuncti a quocumque sacerdote adplicantur, ita illi animae suffragari possint ac si ad altare privilegiatum celebratae fuissent.

Praesenti in perpetuum valituro, absque ulla Brevis expeditione. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

D. Card. FERRATA, *Secretarius*.

L. ✠ S.

† DONATUS, **Archiep. Ephesin.**, ***Adsessor***.

BIBLIOGRAPHIA

Prof· Mons. GIACOMO SCHIROLLO. **Manuale delle dimostrazioni preambole alla Fede.** — Tipografia sociale editrice, Rovigo.

Novum hoc opus philosophicum commendatione non indiget, ipsumque praeclaris scriptori nomen, notissimum ob alia opera philosophica, historica, sociologica et litteraria ab eodem in lucem edita, est optima commendatio. Pius enim auctor quum, per spatium quinquaginta annorum, lectiones tradidisset in Seminario episcopali Civitatis Rodigiensis, ob singularem suam doctrinam, et perspicuitatem in difficilioribus quaestionibus elucidandis, tot discipulorum sibi benevolentiam conciliavit, et summam aestimationem apud omnes fuit consecutus. Enuntiatum egregii sacerdotis opus, principem locum habet inter alia, quamvis ad exitum adduci nequiverit, quia auctor, vix primo volumine expleto, fuit a Deo ad praemium vocatus. Ut scribit R.mus Canonicus Professor Viani, annus est, quum dulcissimus magister Schirollo, operi manum admovit, eo fine, ut redigeret Manuale completum religionis, tamquam studium praeparatorium theologiae. Volumen autem sic inscripsit: « *Manuale delle dimostrazioni preambole alla Fede* ». Illud auctor conceperat, in quatuor partes distribuendum, quae erant sequentes: Deus et Homo — Iesus Christus et Ecclesia. Absolvit tantummodo primum volumen, plenam complectens tractationem circa Deum et Hominem.

Polemicum hoc opus, aptissimum est ad modernistarum errores pervincendos. Volumen constat paginis circiter 650, et prostat venale apud Typographiam Socialem Editricem Rodevigii, pretio libellarum italicarum, 2.50.

Sac. Prof. VINCENZO TIROZZI. **Il Sinodo Diocesano** - Aversa, Vol. pag. 110 L. 1.25.

Prodiit in lucem quartum opus liturgicum, exaratum a clarissimo et reverendissimo Professore Vincentio Tirozzi, Caeremoniarum Magistro Ecclesiae Episcopalis Aversanensis, sub titulo: « Il Sinodo Diocesano ». Peculiarem laudem meretur praesens monographia, utpote quae, sicut de antecedentibus eiusdem operibus dignam mentionem fecimus, mirum in modum redacta fuit, sive quia stylo claro et simplici, peritissimus scriptor sanam doctrinam explicat circa hanc episcopalem functionem, tam magni momenti, sive quia praxim moderatur, quae, ut experientia compertum est, magnam partem exigit in huiusmodi tractationibus.

Hanc opellam valde utilem indicamus cuilibet episcopo, qui in sua dioecesi velit Synodum indicere. In eadem, absque nimio temporis dispendio, et, quod magis interest, remotis fastidiis, eas omnes dispositiones ac praescriptiones reperiret, quae felicem ac promptum Synodi Diocesanae exitum coronarent. Quapropter optimo huic amico summopere gratulamur, eique omne bonum a Domino adprecantes, votum ex animo exprimimus, ut aliud novum opus, non dissimilis generis, aggrediatur, quod sapientissimas Ecclesiae institutiones facili methodo ac brevi, clare explicet, easque sine difficultatibus, in praxim deducendas curet.

C. BRAUN S. I. **I Paramenti Sacri: loro uso e simbolismo.** Versione autorizzata dal tedesco del P. Giuseppe Alliod. S. I. Vol. pagg. 236. L. 6.

Maxima cum delectatione plaudimus italicae editioni operis liturgici, quod conscripsit R.mus P. Braun e S. I. Eam valde utilem indicamus non modo Parochis et Rectoribus Ecclesiarum, qui inter multiplices sui ministeri labores, nequeunt recurrere ad amplissimas tractactiones, verum etiam sacrorum Seminariorum alumnis, quibus, ob temporis defectum, valde incommodum et difficile esset percurrere tractatus magnae molis, ubi saepe res antiquatae et minus exactae inveniuntur. Opus praelaudati auctoris, haud nimis prolixum, utpote constans paginis fere 221, et redactum iuxta recentiores Sanctae Sedis dispositiones, aptissimum est ad addiscendum disciplinae ramum,

quamvis non ab omnibus sufficienter aestimatum, qui provisionem, curam, conservationem et reparationem sacrorum paramentorum respicit. Diligentia in hac re indicat gradum fidei ac pietatis, quibus pollere debet quilibet ecclesiasticus, sacris ministeriis addictus. Enuntiatum opus complectitur omne id, quod agnoscendum est in praxi, et peculiariter explicat praescriptiones Ecclesiae circa qualitatem et usum paramentorum: breviter etiam exponit, tum in genere, tum in specie, historicam ipsorum originem, ac eorundem symbolismum. Quapropter praeclarissimo auctori gratulamur, et eiusdem opus praesertim lectoribus nostris, qui vacant studiis liturgicis, valde commendamus.

P. Mª. D. A.

PROPRIETAS LITERARIA

IMPRIMATUR
Fr. ALBERTUS LEPIDI O. P., S. P. A. Magister.

IMPRIMATUR
FRANCISCUS FABERJ, Vicariatus Urbis *Adsessor*.

AUGUSTUS ZUCCONI, Director Domus editricis Desclée et Soc., Romae, *Sponsor*.

Ex Officina Polygraphica Latiali, Fratrum Tempesta, Via Boccaccio, 7 - Roma

Acta Sanctae Sedis
sacram Liturgiam spectantia.

S. CONGREGATIO RITUUM

I
DECRETUM
Adprobationis breviarii typici vaticani.

Cum pontificia Commissio per chirographum Sanctissimi D. N. Pii PP. X, die 2 iulii 1911 instituta ad novum Psalterii ordinem in Breviario Romano disponendum et retractandas congruenter eidem ordini Rubricas, ipsi Ss.mo Domino nostro retulerit, in Vaticana editione Breviarii Romani, quae uno volumine continetur, esse omnia disposita et impressa ad normam Bullae *Divino afflatu* et Motuproprio *Abhinc duos annos* ac consequentium Decretorum, sacra Rituum Congregatio, de mandato sanctissimi Domini nostri, ipsam editionem uti typicam habendam esse decernit, cui reliquae omnes editiones conformandae erunt quaeque in posterum prorsus immutata manebit, donec praesidio optimorum codicum et veterum monumentorum absolutis omnibus, quibus perficiendis longius tempus requiritur, nempe, textu sacro recognito, lectionibus historicis emendatis hymnisque revi-

sis, Patrum et Doctorum homiliis et sermonibus ad veram lectionem revocatis, extremam manum operi adponendam Sedes apostolica iusserit.

Ex Secretaria S. R. C., die 25 martii 1914.

Fr. S. Card. MARTINELLI, *Praefectus.*

L. ✠ S.

† PETRUS LA FONTAINE, Ep. Charystien., *Secret.*

II.

DECRETUM

De vi adprobationis Officiorum quae in propriis particularibus inscribuntur.

Quum R.mi Ordinarii locorum et Moderatores Ordinum Regularium aliorumque Institutorum, obtenta adprobatione respectivi Kalendarii proprii vel Variationum seu Additionum particularium, ad normam decreti generalis S. R. C. diei 28 octobris 1913, etiam Propria Officiorum reformata ipsimet sacrae Congregationi examinanda et adprobanda subiecerint, sacra eadem Congregatio, pro Officiorum Propriis iam adprobatis vel in posterum adprobandis, necessarium et opportunum declarare censuit, prouti expresse declarat: Per huiusmodi adprobationem, praesertim Lectionum secundi nocturni, nullo modo intelligi ac dici posse diremptas quaestiones historicas circa res gestas, in eisdem Propriis et Lectionibus commemoratas, ac potissimum circa Sanctorum vel Beatorum, maxime antiquioris aevi, monachatum eorumque pertinentiam

ad unum vel alium Ordinem. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 28 novembris 1914.

SCIPIO Card. TECCHI, *Propraefectus.*

L. ✠ S.

† PETRUS LA FONTAINE, Ep. Charystien., *Secret.*

III.

DUBIA

Sacrae Rituum Congregationi sequentia dubia pro opportuna solutione proposita sunt:

I. Occurente aut concurrente Festo Conversionis S. Pauli Apostoli cum Dominica Sexagesimae, fieri ne debet de ipso Festo commemoratio, quamvis in Oratione Dominicae fiat mentio de eodem Apostolo?

II. Si infra Octavam simplicem Nativitatis B. Mariae Virg. dicenda sit Missa votiva eiusdem B. Mariae Virg., legenda est Missa votiva de Tempore, an Missa ut in Festo Nativitatis? et quatenus affirmative ad secundum, adiungi ne debent *Gloria* et *Credo?*

III. Officia de Communi plurimorum Confessorum Pontificum vel non Pontificum et plurium Virginum vel non Virginum per decretum S. R. C. diei 22 maii 1914 adprobata valentne inseri et adiici tantum Propriis Officiorum rite adprobatis; an etiam ipsi Breviario Romano?

Et sacra eadem Rituum Congregatio, audito specialis Commissionis suffragio, singulis quaestionibus propositis ita respondendum censuit:

Ad I. Affirmative.

Ad II. Legatur Missa ut in Festo Nativitatis B. Mariae Virg. cum *Gloria*, sed sine *Credo*.

Ad III. Affirmative ad primam partem, iuxta citatum decretum; negative ad secundam partem; quia per enunciata Officia ob plurium petitionem et instantem necessitatem provisum est ad tempus, iuxta Motu Proprio *Abhinc duos annos* et ad mentem decreti approbationis editionis typicae Breviarii Romani, diei 25 martii 1914.

Atque ita rescripsit ac servari mandavit.

Die 7 augusti 1914.

Fr. S. Card. Martinelli, *Praefectus*.

L. ✠ S.

† Petrus La Fontaine, Ep. Charystien., *Secr*.

Commentarium.

Ad I. — Valde diuque discussa est quaestio, an memoria S. Pauli, quae fit in oratione Dominicae in Sexagesima, excludere deberet commemorationem occurrentis vel concurrentis Conversionis S. Pauli. Rationes utrinque validae haberi potuerunt, nam etsi dicatur illam esse ratione stationis, istam festi, poterat tamen semper opponi regula de *non bis in idem;* et sane non agitur ibi de nomine S. Apostoli utcumque inserto, uti v. gr. in oratione S. Antonii Mariae Zaccaria: « Fac nos, Domine Deus, supereminentem Iesu Christi scientiam spiritu Pauli Apostoli ediscere », sed da vera invocatione ipsius Sancti, de quo etiam est perlonga epistola Missae. Nihil, ex alia parte, habent de s. Apostolo secreta et postcommunio dictae Dominicae. Ratio stationis est eadem feria V post Dominicam III quadragesimae, in qua nominantur Sancti Cosmas et Damianus his verbis: « Magnificet te, Domine, Sanctorum tuorum Cosmae et Da-

miani beata solemnitas », et in secreta nec non postcommunione iidem Sancti, non utcumque, sed sub vera, directa, explicita, omnimoda, indivisibili invocatione nominantur.

« Gavantus (tom. 8, part. 4, tit. 5, num. 15), quod in collecta Sexagesimae S. Paulus, non expresso, sed occultiori nomine, nempe *Doctoris gentium* nominetur, aut dumtaxat causa Stationis, quae ea die est ad eiusdem ecclesiam, non ratione officii, aut commemorationis, vel alicuius votivi, non relegat ab Officio Suffragium eiusdem; et idipsum praestat in feria V post Dominicam III Quadragesimae de Ss. Cosma et Damiano, relate ad propriam ecclesiam, licet expresso nomine, sed tamen ratione solius stationis, in collecta habeantur, adde quod indicandum in priore casu nomen Apostoli, in posteriori illud Martyrum rubricam consulto tacuisse arbitratur. Guyetus (q. 13) Stationis titulum aperte reprobat, et ideo in proposito casu Suffragium Sanctorum Cosmae et Damiani non reluctatur fieri, secus vero in Sexagesima Suffragium S. Pauli, quod huius latenter tantum mentio fiat in oratione. Verum, si non probetur Stationis titulus, utique et ruit, quod additur de latenti mentione; in oratione enim Inventionis S. Stephani simpliciter habetur: *quia eius Inventionem celebramus, qui novit etiam pro persecutoribus exorare* etc., et in ea S. Callisti; *ad amorem tuum nos misericorditer per Sanctorum tuorum exempla restaura;* quibus in verbis nec expresso nomine habentur Sancti, nec eorundem exprimitur qualitas, Martyris et Pontificis; et tamen quis adeo desiperet, ut in hisce Officiis admitteret eorundem Suffragia, puta in ecclesia S. Stephano dicata? Sane autem in adductis collectis occultiori nomine veniunt Ss. Stephanus et Callistus, quam in illis Ss. Cosmas et Damianus, qui expresso nomine, licet sine additione Martyrum, indicantur, ac S. Paulus, qui per vocabulum Doctoris gentium in communi acceptione satis intelligitur expressus. Regula igitur illa de bis non agendo de eodem, inconcusse stat in Officio, commemoratione, vel aliquo votivo, etsi dumtaxat latenter nominetur, secus vero si ratione Stationis in collecta invectus existat, quantumvis in hac expresso nomine, et qualitate

haberetur ». Ita Cavalieri, Tom. II, cap. XXXIII, dec. 7, n. III.

A Carpo in suo *Kalendario Perpetuo*, annotationibus post Septuagesimam, n. 4, admittit, in casu, S. Pauli commemorationem, « quia regula prohibens Officium simul et commemorationem, vel duplicem eiusdem Sancti commemorationem fieri, non valet quando Sancti nomen in orationem invectum est ratione Stationis tantum ».

Nemo tamen reipsa *rationem* adducit, cur nimirum *ratione Stationis* duplex fieri potest de eodem Sancto commemoratio.

Decretum n. 2205, 21 iunii 1710, edixerat fieri debere Suffragium de omnibus Sanctis, in Vigilia Omnium Sanctorum, et dici orationem *A cunctis* in Missa de eadem; dum Rubrica novissima in hac Vigilia omittendum praecepit idem Suffragium.

Ex his plane deducitur, ratiocinia non multum valere, quia aeque haec stant pro utraque sententia, sed dispositionem Auctoritatis, quam adamussim sequi debemus. In casu igitur, cum legitima Auctoritas quaestionem in sensu quo loquitur decretum resolverit, non est amplius interloquendum.

Ad II. — Circa Missam de S. Maria in Sabbato infra octavam Nativitatis B. M. V., iam diximus, innixi novissimae rubricae post diem 8 septembris in Breviario typico, et Decreto S. R. C., n. 4192, IV, illam de ipso festo Nativitatis esse sumendam, et symbolum esse omittendum ; Officium enim, etsi simplex, in suis partibus, quae alias de Officio S. Mariae in Sabbato sunt sumendae, est de octava ; et ritus simplex Missae symbolum non admittit. Nunc, per praesens decretum, id confirmatur, et extenditur iure, merito, ad Missas votivas. Hae sane, prout Missa de S. Maria in Sabbato, iisdem militantibus rationibus, non debent a mysterio recedere, cuius memoria, quamvis suspensa, ad suum terminum, hoc est ad diem octavum, qui reipsa liturgie

colitur, nondum pervenit. Cum autem ritus Missae votivae, et ipse sit simplex, symbolum reiicit.

Ad III. — Adverte, mentem fuisse S. Congregationis, non modo prohibendi typographicam impressionem Officiorum de Communibus plurimorum Pontificum, non Pontificum, Virginum et non Virginum, sed usum ipsorum, ita scilicet, ut nonnisi adhiberi valeant pro Sanctis propriis locorum, quibus legitime ad petitionem conceduntur, denegato usu eorundem pro sanctis Ecclesiae universalis, etiam ubi concessa sunt pro Sanctis particularibus. Ratio autem in ipso responso ad III hoc dubium exhibetur. Si quis in contrarium adducere vellet exemplum aliquod concessionis factae per ipsam S. Congregationem, nihil probaret, cum, si quae facta est facultas, haec haberi debet tamquam exceptio, non amplius renovata, etiamsi, uti nobis constat, plus semel petita.

I. B. M.

Expositio Rubricarum.

COMMENTARIUM

in novissimas Rubricas iuxta Motu proprio S. Mem. Pii Pp. X " Ab hinc duos annos „ et subsequens S. R. C. Decretum 28 Octobris 1913 emendatas.

(Continuatio. Vide num. 11 curr. anni, pagg. 644-654).

NOTANDA IN PRAECEDENTIBUS TABELLIS (130).

1. Quando in regulis alterutrius Tabellae invenitur *Officium de nobiliori*, vel *Totum de nobiliori*, intelligi debet de illo ex duobus occurrentibus aut concurrentibus Festis vel Officiis, quod, ad normam tituli II praecedentium Rubricarum *De Festorum praestantia*, alteri praeferri debeat (131).

2. Dominicae quaevis assignationem perpetuam excludunt cuiusvis Festi, excepta Dominica inter Circumcisionem et Epiphaniam, in qua fit Officium sanctissimi Nominis Iesu, et Dominica I post Pentecostem, in qua celebratur Festum sanctissimae Trinitatis (132).

3. Vigiliae communes, si in aliquam Dominicam inciderint, anticipantur Sabbato, iuxta Rubricas, etiam sicubi a Duplici I classis occurrenti sua die perpetuo impeditae fuerint: Vigiliae vero privilegiatae ipsa die Dominica celebrantur, ut propriis locis habetur (133).

4. De Octavis, quae non sunt in Breviario Romano, nihil fit a die 17 ad 24 Decembris, a Feria IV

Cinerum ad Dominicam in Albis, et a Vigilia Pentecostes ad Festum sanctissimae Trinitatis, semper inclusive (134).

5. De quolibet Duplici maiori vel minori aut Semiduplici, quod a Festo duplici I classis primario Domini Ecclesiae universalis impediatur, nihil fit; de Festo huiusmodi, a ceteris Duplicibus I classis impedito, fit tantum Commemoratio ad Laudes (135).

6. Item de die Octava simplici vel Festo item simplici ab occurrenti Duplici II classis impeditis, fit tantum ad Laudes, et insuper, de Festo, etiam ad Matutinum, si legi possit IX Lectio historica (136).

7. Festa tamen alicuius Nationis, Dioecesis, Ordinis, Instituti vel particularis Ecclesiae propriae, quae in tota Natione, Dioecesi, Ordine vel Instituto aut in sua particulari Ecclesia perpetuo impediantur, si celebrentur sub ritu duplici maiori vel minori aut semiduplici, reponuntur in proxima sequenti die, quae libera sit a quolibet Officio duplici, a Festo semiduplici, a Vigiliis privilegiatis et ab Octavis II ordinis; si vero decorentur Octava, eam integram servent, ac si die sua celebrarentur (137).

8. Si duo Officia eiusdem Personae eodem die occurrant, fit de nobiliori, iuxta Rubricas, et omittitur, nisi agatur de mysteriis Domini diversis, Commemoratio alterius. Idem servatur in concurrentia, et in paritate nobilitatis Vesperae non dimidiantur, nisi pariter de diversis Domini mysteriis agatur, sed integrae dicuntur de praecedenti sine Commemoratione sequentis. Si tamen aliquod Festum duplex maius aut minus, vel semiduplex, vel simplex, occurrat infra aliquam

Octavam communem eiusdem Personae, vel in ipsa die Octava, etiam simplici, Officium fit de Festo sub ritu et cum privilegiis ipsi Octavae convenientibus, nisi illud sub altiori ritu sit celebrandum, et additur vel omittitur Commemoratio Octavae, ut supra (138).

9. Feria VI post Octavam Ascensionis in occurrentia et concurrentia, et Vigilia Pentecostes in concurrentia tantum, iisdem gaudent privilegiis ac dies infra Octavam communem; sed haec illis praefertur (139).

10. Festa Domini, et dies Octavae item Domini privilegiatae, in occurrentia accidentali et in concurrentia, Dominicae minori praeferuntur (140).

11. De VII die infra aliquam Octavam nihil fit in II Vesperis, si die sequenti persolvendum sit Officium de die Octava: dicuntur autem integrae Vesperae vel fit Commemoratio iuxta Rubricas, si die sequenti nihil faciendum sit de die Octava, vel etiam si concurrens dies VII infra Octavam, iuxta ordinem in tit. VII n. 4 *De Commemorationibus* praescriptum, praeferri debeat diei Octavae, in Officio nobiliori commemorandae (141).

12. Item nihil fit ad II Vesperas de Dominica post Octavam Epiphaniae vel Pentecostes, quae Sabbato anticipari debuerit iuxta Rubricas, quamvis Dominica sequens commemoranda tantum sit: ei tamen integra manent privilegia Dominicae tam in occursu, quam in concursu ad I Vesperas (142).

13. In Nativitate Domini et tribus sequentibus diebus, in Circumcisione, in Officio sanctissimi Nominis Iesu, et in Epiphania eiusque die Octava, nulla

fit Commemoratio de Dominica occurrenti, nec etiam, praeterquam in II Vesperis Ss. Innocentium et Epiphaniae, et utrisque Vesperis diei Octavae eiusdem, de Dominica concurrenti (145). Officium tamen sanctissimi Nominis Iesu tam in occursu quam in concursu admittit Commemoratione de Vigilia Epiphaniae (145). Circumcisio autem Domini praefertur in occurrentia cuilibet Festo, etiam Duplici I, classis, et in concurrentia non admittit Commemorationem Officii praecedentis, quod non fuerit Duplex II classis. Dies vero Octava Corporis Christi cedit in occurrentia Festis duplicibus I classis primariis Ecclesiae universalis, et tunc in II Vesperis admittit etiam Commemorationem, ob concursum sequentis Festi sacratissimi Cordis Iesu, quod ei praefertur in casu; alias enim II Vesperae dicuntur de die Octava sine ulla Commemoratione (146).

14. Infra Octavam Nativitatis Domini, praeterquam in Officio Circumcisionis, Vesperae usque ad Capitulum dicuntur semper de Octava, sub ritu Officii nobilioris in occurrentia, a Capitulo autem in paritate nobilitatis non fit de sequenti, sed de praecedenti cum Commemoratione (147).

15. De Feriis Adventus et Quadragesimae, quando a nobiliori Officio impeditae fuerint, semper fit Commemoratio ad Laudes et in Vesperis: de Feriis vero Quatuor Temporum et II Rogationum fit ad Laudes tantum. Itemque ad Laudes tantum fit Commemoratio de Vigiliis communibus, quando agenda est, iuxta superiorem tabellam (148). Et tam de Feria quam de Vigilia commemoratis, dummodo in eis idem atque in Officio currenti non habeatur Evangelium, dicitur IX Lectio

de Homilia, praeterquam de Feriis Adventus extra Quatuor Tempora (149).

16. Commemoratio Omnium Fidelium Defunctorum, si dies 2 Novembris venerit in Dominica, vel impediatur, etiam perpetuo, ab aliquo Duplici I classis, in sequentem diem transfertur, quae ab Officiis huiusmodi occurrentibus sit libera. In eius autem Officio nulla fit Commemoratio (150).

(130) Cum habeantur nonnullae leges occurrentiae et concurrentiae omnino speciales, quae in tabellis inscribi non poterant, vel casus aliquando sit prorsus singularis et unius, post tabellas ipsas sequentia notanda ponuntur, quae, vel sunt novae rubricae, vel declarationes rubricarum generalium breviarii Pii v, vel novissimarum post constitutionem « Divino afflatu » et Motu Proprio « Ab hinc duos annos ».

Ex. gr. Si tu tabellam occurrentiae inspicias, et quaeras quid sit agendum *si occurrat eodem die Duplex I classis, et Dominica minor,* invenies regulam sub N. 3 nempe *Officium de primo, commemoratio de secundo;* scilicet, fit in casu officium de Duplici 1 classis, cum commemoratione dominicae; quod sane certum est si agatur de occurrentia accidentali: quod si agatur de occurrentia perpetua, quae dari poterat ante reformationem breviarii, non autem iuxta novissimas rubricas, praedicta regula non amplius valet. Hinc est propterea quod secundum ex Notandis, declarat: *Dominicae quaevis assignationem perpetuam excludunt cuiusvis Festi;* nempe, non amplius dari potest occurrentia perpetua duplicis cuiuscumque in dominica.

Item si quaeras quid sit agendum: *si occurrat eodem die Duplex maius vel minus, vel semiduplex et duplex 1 classis;* aut: *si occurrat eodem die Simplex et duplex 2 classis,* invenies regulam 4 quae iubet fieri officium de primo, nempe de duplici 1 vel 2 classis respective, cum commemoratione de alio, nempe de duplici maiore, vel minore, vel semiduplici, aut

de simplici. Quia vero aliquis, hanc regulam rigorose accipiens, commemorationem in casu agere posset etiam in vesperis quod nefas est, habentur notanda sub Nn. 5 et 6, in quibus aperte dicitur fieri in casu commemorationem tantummodo ad Laudes. Notanda ergo huiusmodi non sunt nisi regulae particulares, quae in Tabellis locum habere non potuerunt.

(131) In antiquis rubricis, et maxime in illis, quae reformatae fuerunt semel et bis, sub Leone xiij. *festum* vel *officium*, quod iure praeferentiae potitur, *dignius* dicebatur; attamen huiusmodi vox improprie adhibita erat, eo quod illud festum *dignius* vocatur, quod ratione *dignitatis* Personae alii praefertur. Similiter aliquando adhita quoque fuit vox *celebrius*, vel *solemnius*, sed huiusmodi voces aequivoce sumi possunt, quia *celebritas* vel *solemnitas* indicare possunt ritum.

Necessitatem itaque, aliud verbum inveniendi hisce in adiunctuis, nos ipsi praevidimus in rubricarum nostra Expositione (Vol. II, p. 95), ubi proposuimus in casu usum vocis *Nobilius*. Et S, R. C. nostram propositiouem admisit, in rubrica quam apposuerat ad festum B. Mariae Perdolentis, mense Seplembris, quando ad ritum duplicis 2 classis evectum fuit, ubi legebatur: *Hac Dominica si occurrat festum nobilius celebretur festum B. M. V. Perdolentis primo sequenti die etc.*

Itaque vox *Nobilius* indicat praeferentiam quam habet aliquot *officium* vel *festum*, super aliud, quacumque de causa, sive ratione *ritus*, si agatur de duobus officiis diversi ritus, sive ratione *solemnitatis*, vel *qualitatis primarii*, vel *dignitatis* personalis, aut etiam ratione *proprietatis*, quando cetera sint paria.

Quocumque ergo titulo aliquod *festum* vel *officium* sit praeferendum ex rubricis, apte vocatur *nobilius* quam aliud, quod ei cedere debet; et haec regula valet tam in occurrentia, quam in concurrentia, ad normam tituli ij de Festorum praestantia.

(132) De prohibita occurrentia perpetua cuiuslibet festi in dominica, vide quae diximus supra (nota 57).

(133) Huiusmodi notandum positum fuit eo quod in tabella occurrentiae dicitur de vigilia communi (nam de privilegiatis specialiter disponitur), quod de ea agenda sit commemoratio, si occurrat cum alio officio, non tamen duplici I classis, et ponitur signum *O* si occurrat in quavis dominica. Aliter fieri nequibat, quia vigilia in dominica numquam occurrit, quod si inciderit in ea, tunc, iuxta rubricas generales (tit. vj, n. 2) de ea fit officium in sabbato praecedenti. Cum enim in die dominica, ob gaudium Resurrectionis, ieiunare vetitum sit (Dist. 76, c. Utinam), ideo si in dominica occurrit fortuito aliqua vigilia, ieiunatur in sabbato, docente S. Thoma (2. 2. q. 147, a. 5 ad 3): « Ieiunia quae praecepto Ecclesiae iustituta sunt, esse ieiunia afflictionis, quae non conveniunt diebus laetitiae ». Vide quae ad rem egimus in Expositione Rubricarum Breviarii notis 150-153. Superfluum est notare quod, licet in commodum fidelium non amplius ieiunetur in pluribus vigiliis, nihilominus lex ista liturgica nunquam mutata fuit.

Hoc loco tamen dicitur, tantummodo *vigiliae communes* anticipari in sabbato, nam aliae tres vigiliae privilegiatae Pentecostes, Nativitatis et Ephiphaniae, non anticipantur, sed celebrantur in dominica si in ea incidant.

Non anticipari potest vigilia Pentecostes, quia numquam occurrit in dominica ut patet; non vigilia Epiphaniae, quia est officium dominicale absque ieiunio, et ideo si in dominica occurrit, est in sua sede primitiva ut pluries notavimus; non vigilia Nativitatis Domini, quia licet sit poenitentialis, iam participat gaudio magno Nativitatis, ac ritu colitur duplici a laudibus et deinceps, ieiunium vero fit in sabbato praecedenti quod in casu confunditur cum ieiunio quatuor temporum.

(134) De cessatione octavarum quae non sint in breviario romano, vide supra notam 44.

(135) De commemoratione duplicis maioris et minoris nec non semipuplicis in festo solemni Duplici I classis, quod non sit primarium universalis ecclesiae confer quae scripsimus supra, in notis 55 et 72.

(136) Quoad commemorationem simplicis vel octavae simplicis in duplici 2 classis, nil novi praecipit rubrica, sed tantummodo hoc adnotatur, quod fieri debeat tantummodo in laudibus, ut supra notavimus, iuxta rubricam generalem (tit. ix, n. 6). Hoc loco addita est tantummodo commemorationem octavae simplicis, quae in casu eadem lege regitur ac festum simplex impeditum.

Quoad commemorationem, tali iure potiuntur festum simplex et octava simplex, non vero quoad lectionem nonam, quae, ut aperte tradit huiusmodi rubrica, legitur de festo commemorato, non vero de octava simplici. Addit autem rubrica, in casu legendam esse nonam lectionem *si legi possit*; quibus verbis innuitur aliquando legi non posse; ex. gr. cum occurrat nona lectio dominicae cuiusvis, vel feriae, vel vigiliae, aut etiam de duplici seu semiduplici simplificato.

(137) Vide notas 54, 55, 61 et 62, in quibus egimus de festis localibus, quando perpetuo impediuntur, ac etiam de octava eorum transferenda in casu.

(138) De duobus officiis eiusdem Personae eadem die occurrentibus, vide notam 51.

(139) Feria vj post octavam Ascensionis est prorsus sui generis, nam licet ad instar dierum infra octavas communes celebretur, nihilominus, si occurrat simul cum alio die infra aliquam octavam particularem, puta sancti Titularis ecclesiae, ei locum cedere debet. Insuper, etsi non omnibus iuribus dierum infra octavam Ascensionis fruatur, non tamen agitur de ea uti de ceteris officiis ritus semiduplicis, non dicuntur enim in ea preces dominicales, prout antiquae et novissimae rubricae disponunt. Officium dicitur de dominica praecedenti, quoniam vera octava expleta est, ideoque videretur quod preces non essent omittendae.

Iis tamen non obstantibus, tam feria vj huiusmodi quam sabbatum sequens, privilegium habent, et accipiuntur tamquam feriae speciales, non vero sicut reliquae feriae Temporis Paschalis. Breviarium ambrosianum, quod non celebrat

octavam Ascensionis, post festum istud sequentem ponit rubricam: « Singulis sequentibus feriis usque ad Pentecosten, praeterquam triduo Litaniarum et diebus festis Sanctorum, fit officium ut in feriis Paschalibus hebdomadae post Albas ».

Ritus autem Romanus iam a saeculo xiij, non tantum celebrat festum Ascensionis, cum octava, sed et sequens biduum eodem fere ritu observat, teste Durando, qui (*Rational.* VI, 105, 3) ait: « Illud etiam est notandum, quod octavam Ascensionis, quae deberet in quinta feria terminari, ulterius oportet prosequi » (1); et inter alias rationes mysticas hanc honestantes prosecutionem, dicit etiam, quia Apostoli iis decem diebus simul erant laudantes Dominum.

Guyet (Heortol. IV, iv, q. 3) hanc ipsam prosecutionem declarat, dicens: « Mysterio non vacat quod festum Ascensionis praeter morem aliorum festorum octavam suam ultra octavum diem quodammodo prorogat », et post datas mysticas rationes, addit: « Cum ambae sint cognatae festivitates Ascensionis et Pentecostes, nullumque aliud post terminatam octavam Ascensionis tempus subintret, necesse fuit ipsum Ascensionis officium continuari usque ad Pentecosten; continuatio autem ista id exigere visa est, ut pari ritu fieret atque infra ipsas octavas, nempe semiduplicis, quamquam et simplicem retineant nonnulli usus proprii ».

Procul dubio Apostoli, statim ac Redemptor noster in caelum ascendit, regressi sunt in Ierusalem, quia *praeceperat eis ab Iesrusolymis ne discederent, sed expectarent promissionem Patris, et cum introissent in coenaculum,.... erant perseverantes unanimiter in oratione* (Act. I, 4, 13, 14); itaque in memoriam huiusmodi recessus Apostolorum, qui cum Maria expectabant descensum Spiritus sancti, ecclesia voluit ut per illos decem continuos dies officia liturgica ab Ascensione ad Pen-

(1) Nescimus quomodo diligentissimus Kellner (An. eccles., p. 2, 11) asserere possit, quod octava Ascensionis invecta fuit saeculo xiv. Durandus floruit saeculo xiij, et agit de octava huiusmodi tamquam non recentis institutionis, ergo !

tecosten speciali ritu et orationibus celebrarentur. Et sane, Ascensio est unum ex festis antiquioribus in ecclesia tum latina tum orientali (Kellner, II, 11), imo s. Augustinus (Ep. ad Ianuarium 54, i; et Serm., 261, 265) docet, Ascensionis festum apostolicae esse institutionis, facile ergo intelligitur, quomodo tempus intercalare usque ad Pentecosten, et ipsum speciali veneratione dignum reputatum fuerit, ideoque feriae illius temporis nobiliori ritu recolerentur, non vero humili consueto aliarum feriarum per annum.

Diversimode rubrica specialis breviarii circa biduum de quo agimus, se habuit.

In breviario romano edito Venetiis anno 1564, in bibliotheca Fr. Minorum in via Merulana de Urbe adservato, legitur: *Feria vj et sabbato, post octavam Ascensionis novem lectiones leguntur, et omnia fiunt de Ascensione, nisi festum occurrat, praeter antiphonas ad* Benedictus *et* Magnificat, *orationem et capitula quae accipiuntur de dominica, et praeter lectiones ad Matutinum...., Sabbato sex lectiones Dominicae, et tres de homilia vigiliae. Si festum aliquod in isto sabbato venerit, officium fit de festo, praeter ultimam lectionem, quae legitur de homilia vigiliae.*

Quod concordat cum rubrica breviarii antiquioris placentini (1530), in quo legimus: *Et est notandum quod si in hoc sabbato* (vigilia Pentecostes) *festum aliquod evenerit, officium fit de festo.*

In breviario autem Pii V, legitur: *Si his diebus* (feria vj et sabbatum post octavam Ascensionis) *occurrat festum duplex vel semiduplex, fit de festo cum commemoratione illorum dierum.*

Videtur ergo quod tunc temporis, Vigilia Pentecostes privilegiata non erat, nisi in Missa, ita ut officium illius diei nullam relationem haberet cum Missa, sicut revera non habet hodie, nisi homiliam seu tres ultimas lectiones ad matutinum.

Est autem notandum, quod in eodem Pii v breviario, ante vigiliam Pentecostes sequens rubrica legebatur: *Ab*

hac die (nec dicitur an exclusive vel inclusive) *usque ad festum Trinitatis inclusive, si occurrat festum ix lectionum transfertur post praedictum festum Trinitatis.....* Itaque, vel est dicendum quod inter duas istas rubricas breviarii Pii v non habetur cohaerentia, vel quod ante Urbanum viij in sabbato isto agebatur revera de quolibet officio ix lectionum cum commemoratione vigiliae.

In Breviario tandem Urbani viij, in ista rubrica legebatur: *Si vero feria vj occurrat festum ix lectionum, fit de festo cum commemoratione officii eiusdem.*

De sabbato autem sequenti aperte dicitur, quod fit de eo, et quodvis festum, etiam i classis, transfertur.

Dicendum porro est, quod sic mutata fuerit huiusmodi rubrica, ne festum in sabbato illo occurrens, privaretur sua Missa; et ideo, fit officium de dominica infra octavam Ascensionis, quod terminat ad nonam, quia Missa ipsius dominicae iam celebrata fuit, et homilia respondet evangelio Missae vigiliae Pentecostes.

Quoniam vero agitata fuit quaestio inter scriptores, an fieri deberet de semiduplici etiam translato, an non, quasi ageretur de die infra octavam, in qua de semiduplici translato fieri nequibat, sacra R. C. suo decreto 11 aug. 1691, n. 3244, ant. coll. declaravit posse fieri etiam de semiduplici translato, quae dispositio seu declaratio addita fuit in revisione sub Leone xiij.

Conferre iuvat locutionem huius rubricae antiquae cum nova:

ANTIQUA.

Si vero feria vj occurrat festum ix lectionum etiam translatum, fit de festo cum comm. officii eiusdem diei, nisi fuerit ex solemnioribus 1. cl. tunc enim comm. feriae semper omittitur. Si autem fuerit duplex 2. cl., fit tantum comm. in ij Vesperis.

NOVISSIMA.

Feria tamen vj fit de quolibet officio ix lectionum occurrenti vel translato, cum comm. feriae, quae omittitur tantum in dupl. 1. et 2. cl. Ad vesperas autem, quae non sint dupl. 1. vel 2. cl. fit comm. Sabbati sequentis.

Et ponitur ant. e j Vesp. Dom. praecedentis.

Ex qua collatione clare patet ratio variationis; licet

enim in antiqua et in nova admitti videatur officium ix lectionum etiam translatum, iuxta tamen diversitatem temporum hoc est intelligendum ; nam prius transferri poterant omnia festa ix lectionum ; postea sub Leone xiij, exclusa fuere semiduplicia et duplicia minora non doctorum ; nunc vero tantummodo duplicia 1 et 2 classis, admittuntur.

Tam antiqua quam novissima excludit commemorationem feriae vj in duplicibus 1 et 2 classis, eo quod, si in iis festis de octava non priviiegiata (et tunc privilegiata non erat octava Ascensionis), commemoratio fieri nequibat eo magis de huiusmodi feria, quae minoris est nobilitatis.

Antiqua vero in ij vesperis duplicis 2 classis admittebat commemorationem eiusdem feriae vj, ad instar commemorationis diei infra octavam, quae tamen tunc fiebat per antiphonam et ℣ de ij vesperis eiusdem feriae. At in novissima huiusmodi commemoratio excluditur, eodem modo, ut vidimus supra (tit. VII, 2, cf. not. 75), quo nunc non amplius permittitur commemoratio de sequenti die infra octavam in ij vesperis duplicis tam 1 quam 2 classis.

Additur quidem commemoratio sequentis sabbati pro ij vesperis festorum occurrentium, quae classica non sint, sed ponitur antiphona et ℣ e j vesperis dominicae praecedentis, non vero e ij, nam iuxta novam antiqui principii applicationem, quo prima commemoratio semper agenda est de officio concurrenti, fieri oportet commemoratio sequentis diei infra octavam per antiphonam et ℣ e j vesperis. Vide supra notam 128.

Per hanc novissimae rubricae dispositionem obtruncata est quaestio acriter agitata inter liturgicos scriptores Guyet, Meratum, Pittonium, Bauldry, de qua confer Cavalerium (T. 2, decr. 162, n. x et seq.).

Igitur de huiusmodi feria vj, dicitur quod *in occurrentia, et concurrentia iisdem privilegiis gaudet ac dies infra octavam communem, sed haec illis praefertur ;* nempe, dies infra quamlibet octavam, etiam sanctorum, praefertur feriae vj post octavam Ascensionis ; et ideo a fortiori simili praeferentia gaudet festum semiduplex occurrens.

De sabbato sequenti vero, seu de vigilia Pentecostes, dicitur quod dies infra octavam, et ideo etiam festum semiduplex, praeferuntur tantummodo in concurrentia, scilicet in ij vesperis diei infra octavam, vel festi semiduplicis, fit tantum commemoratio sequentis sabbati, per antiphonam et ℣ noviter positis in breviario typico, ut supra dictum est. De occurrentia vero tacet rubrica, eo quod agitur de Vigilia I classis, quae excludit quodvis festum etiam I classis.

(140) Haec regula concordat cum rubrica novissima (tit. IV, 2), nam excluditur quidem occurrentia perpetua in dominica cuiusvis festi etiam Domini, admittitur autem occurrentia accidentalis. Itaque ex. gr. si Dedicatio Basilicarum Ss. Petri et Pauli venerit in dominica, fit totum officium proprium de ipsa Dedicatione cum commemoratione dominicae. Ut supra (not. 45) vidimus, a dominica excluditur tamen octava festorum Domini, ita ut, si ex. gr. dies octavus Dedicationis ecclesiae occurrat in dominica, fit de ea cum commemoratione diei octavi. Hoc loco autem fit exceptio pro diebus octavis festorum Domini privilegiatis, nempe pro die octavo Epiphaniae, quae sola inter octavas privilegiatas occurrere potest in dominica.

Igitur vigore huiusmodi rubricae, quodvis festum Domini, licet ritus duplicis maioris, nec non dies octavus Epiphaniae, si venerit in dominica, praefertur; declarat vero rubrica: agi de dominicis tantummodo minoribus, nam si festum Domini occurreret in dominicis maioribus, hae procul dubio cedere non debent.

(141) Circa quaestionem, an dies infra octavam ius habeant ad utrasque vesperas, vide quae scripsimus in nostra Expositione Rubricarum Breviarii Romani (Vol. 2, p. 216) et in Commentario in bullam « Divino afflato » (nota 54) nec non supra (nota 128).

Cavalerium iis in locis recensuimus inter auctores asseclas Gavanti negantis ius ad primas vesperas diebus infra octavam; attamen, rem melius explicare debemus, nam auctor iste, satis diligens et doctus, loco citato (n. 15) recognoscit

quidem ius huiusmodi, sed non concedit in casu antiphonam et ℣. e primis vesperis festi. Agens autem postea (n. 18) de die vij, illi negat ius ad secundas vesperas, quando impeditae sint primae vesperae diei octavi.

Guyet vero (IV, vj, 7) explicite docet: «Nonnisi proprie dictum est officium diei vij infra octavam terminatum fuisse ad Nonam, nisi quatenus fiunt de die octavae; quod si contingat ut vesperae non sint eiusmodi, quid ni continuanda erit in eis octava modo quo fieri potest, nempe sumendo psalmos et antiphonas de ipsa ex secundis vesperis festi, capitulum vero de dominica cum commemoratione octavae».

Quo in loco eximius iste rubricista, principium statuit quo postea res omnino a S. R. C. declarata fuit, per decretum in Atrebaten. 5 iulii 1908, et in novissimis rubricis applicatum.

Hinc est quod e rubricis specialibus breviarii abrogata fuit illa, quae legebatur ante diem 15 decembris, quae sic se habebat:

Si dies octava Immaculatae Conceptionis b. Mariae V. inciderit in dominicam iij Adventus, fit officium de dominica hoc modo: Vesperae in sabbato praecedenti dicuntur de feria ut in psalterio, et a capitulo fit de dominica cum commemoratione diei Octavae ut in j vesperis festi. Haec non erat nisi doctrina Gavanti (III, viij, 13).

Nunc vero huiusmodi rubrica ablata est, nihilque subrogatum inter rubricas speciales; ideoque in casu tantummodo standum est huic rubricae, quam hic exponimus; scilicet: Dies vij infra octavam non habet secundas vesperas, neque commemorationem, quia sequenti die persolvitur officium de die octava. Quod si in crastino, de die octava fit tantummodo commemoratio, quod antiquitus accidere poterat quando dies octava in dominicam vel feriam privilegiatam aut in festum duplex 2 classis occurrebat, nunc vero quoties occurrat in quamlibet dominicam, tunc dies vij habet integras secundas vesperas, aut saltem commemorationem per antiphonam et ℣. e secundis vesperis festi.

(142) Quando sive una ex dominicis post Epiphaniam,

sive dominica xxiij post Pentecosten impediatur, ita ut de ea neque commemoratio fieri possit in sua die, tunc anticipatur, sicut iam antiquae rubricae disponebant. In novissimis vero rubricis non amplius fit distinctio inter dominicas anticipandas; nam dominica ij post Epiphaniam, quando a Septuagesima impediebatur, celebrabatur in hebdomada praecedenti, etiam in festo semiduplici, dum aliae dominicae, si nulla dies omnino libera habebatur in antecedenti hebdamada, de ipsa fiebat tantummodo commemoratio in sabbato. Nunc vero quaelibet dominica anticipanda, celebratur in praecedenti sabbato, cum omnibus iuribus dominicae, quasi esset in sua die, ac proinde de duplicibus maioribus et minoribus ac semiduplicibus occurrentibus fit tantum commemoratio. Quod si occurrat aliquod duplex 1 vel 2 classis, fit de festo cum commemoratione dominicae in primis vesperis et laudibus, cum ix lectione.

Porro eius officium agitur sub ritu semiduplici, cum tribus nocturnis, et novem lectionibus; sumuntur tamen psalmi antiphonae et hymni de sabbato ut in psalterio, et in primis vesperis de feria vj. Sumuntur ergo propria de anticipata dominica oratio, novem lectiones et responsoria cum antiphona ad *Benedictus*, nec non capitulum ad Primam ut in psalterio notatur pro dominicis; sed dominica xxiij post Pentecosten, quando anticipatur, sumit lectiones i nocturni ex sabbato, retinens tamen responsoria propria.

Haec omnia declarantur in rubricis specialibus ante dominicam ij post Epiphaniam et dictam xxiij post Pentecosten.

Rubrica autem, seu notandum 12, quod hic exponimus, iubet nihil fieri *ad ij vesperas de dominica anticipata in sabbato*, nam subintrant primae vesperae dominicae sequentis, quae est in sua sede; nempe vel dominicae Septuagesimae, vel xxiv post Pentecosten, ac proinde, cum de duobus officiis de Tempore atque in casu de duabus dominicis eodem die agi nefas sit, primae vesperae dominicae, quae est in sua proprie sede, pravalent dominicae anticipatae in sabbato, cuius porro officium cessat ad nonam.

Hoc autem valet, non tantum quando de sequenti dominica dicuntur integrae vesperae, sed etiam quando de ea fieri debeat tantum commemoratio. Hinc, si in dominica Septuagesimae occurrat duplex I classis, de ea fit commemoratio etiam in primis vesperis; quod si in sabbato praecedenti actum fuerit de aliqua dominica anticipata, in primis vesperis duplicis I classis fit commemoratio, non de dominica anticipata, licet integrum officium habuerit, sed de sequenti dominica licet habeat tantum commemorationem. Ratio est, ut diximus, quia in casu officium dominicae anticipatae cessat revera post nonam.

Addit tandem rubrica ista: *ei tamen integra manent privilegia dominicae tam in occursu, quam in concursu, ad primas vesperas,* scilicet, etsi nihil fiat de anticipata dominica in ij vesperis, quibus in casu caret, in primis omnia iura possidet tamquam si in sua die occurreret; itaque de praecedenti duplici maiori, quod non sit Domini, vel minori, non fit nisi commemoratio, in primis vesperis, nempe in vesperis feriae vj; quod si in eadem feria vj antecedenti actum fuerit de aliquo duplici I vel 2 classis, aut etiam de aliquo festo Domini, dupl. mai. tunc in ij vesperis eorum fit commemooratio anticipatae dominicae.

Aliquibus placuisset, nec forsan sine bonis rationibus, quod in casu, cum de dominica anticipata dici nequeat antiphona propria ad *Magnificat* de ij vesperis, anticiparetur in primis, eodem modo quo novissimae rubricae concedunt anticipationem antiphonarum de Laudibus in primis vesperis dominicarum Adventus; quod facile erat pro dominicis post Epiphaniam, quae non habent antiphonam propriam in primis vesperis, sed sumunt eam ex psalterio. Quia vero dominica xxiij post Pentecosten in primis vesperis habet ad *Magnificat* antiphonam de sabbato ante dominicam ii novembris nempe: *Qui caelorum contines,* ne diversae haberentur regulae pro anticipandis dominicis, retenta est in casu antiphona de psalterio.

(143) De dominicis quae occurrere possunt diebus 25,

26, 27 et 28 decembris, 1, 6 et 13 ianuarii, nec non de commemoratione vigiliae Epiphaniae in festo Ss. Nominis Iesu, vide quae diximus supra nota 3, iuxta enim speciales rubricas, officium dominicae in casu reponitur alia die persolvendum. Attamen, ut bene hic notat rubrica, licet in festo ss. Innocentium, et in solemnitate Epiphaniae non fiat commemoratio dominicae occurrentis, nihilominus de sequenti dominica, si revera concurrat, fit commemoratio; idem dicatur de dominica quae concurrere potest tam in primis quam in secundis vesperis diei octavae Epiphaniae.

(144) De festo Ss.mi Nominis Iesu, et de eius commemoratione in vesperis, vide quae disseruimus supra, pariter in nota 3.

(145) Iuxta rubricas generales (tit. x, n. 1), Circumcisio Domini, licet gaudeat ritu duplici 2 classis, non tamen cedit in occurrentia cuicumque festo etiam 1 classis; cupit enim sancta mater Ecclesia ut ea die omnes per Orbem Christifideles unanimiter venerentur idem mysterium nati Salvatoris nostri. In concurrentia tamen cedit duplicibus 1 classis, ut bene explicatur in rubricis specialibus noviter reformatis.

Notandum est tamen quod si die 31 decembris celebretur festum duplex 1 classis, dicuntur de eo ij vesperae, quod concedebat iam suo tempore Gavantus; novissima vero rubrica specialis, quae legitur ante Circumcisionem, explicite dicit, quae sint in casu sumendae antiphonae ad vesperas. Gavantus enim (VI, v, 9) docebat suo tempore, et in praxi omnes ei parebant, quod in ecclesiis s. Silvestri, secundae vesperae de eo dicendae erant, sumendo tamen antiphonas de communi, non vero ex ij vesperis Nativitatis *Tecum principium*, eo quod, ut ipse autumabat, officium octavae cesset ad nonam diei 31 decembris.

Attamen octava Nativitatis non terminat ad nonam diei vij, sed etiam in die sequenti perdurat; festum enim diei 1 ianuarii inscriptum semper fuit, et adhuc inscribitur, *Circumcisio Domini et Octava Nativitatis*, igitur, si octava non terminatur, non videtur cur sumi non debeant antiphonae

e ij vesperis Nativitatis, prout fit in quibuscuque solemnitatibus, etiam I classis, infra dictam octavam occurrentibus.

Porro in rubrica speciali quae nunc habetur ante festum Circumcisionis legitur: *Ubi tamen hoc* (s. Silvestri) *vel aliud festum sub ritu duplici I classis recolatur, in ij vesperis antiphonae et psalmi dicuntur de Nativitate Domini, et a capitulo fit de festo occurrenti cum commemoratione tantum sequentis festi Circumcisionis*. Ceterum confer quae scripsimus in Commentario in bullam « Divino afflatu » (nota 53).

Ergo, si die 31 decembris aliquod festum occurrat quod sit ritus duplicis 2 classis, celebrantur primae vesperae de Circumcisione, cum commemoratione praecedentis duplicis 2 classis; nil vero fit de praecedentibus festis duplicibus maioribus vel minoribus, ut hic tradit rubrica.

(146) Supra (tit. iij, 2) vidimus octavam Corporis Christi iisdem hodie gaudere privilegiis, quibus fruebatur octava Epiphaniae, ideoque infra octavam non admittuntur festa duplicia I classis. Cum autem dies octava Epiphaniae excludat etiam huiusmodi duplicia, et cum in die octava Corporis Christi occurrere possint festa Nativitatis s. Ioannis Baptistae et ss. Apostolorum Petri et Pauli, visum est exceptionem ponere pro huiusmodi festivitatibus, quae antiquae ac solemnissimae sunt in Ecclesia. Ad rem vide quae scripsimus in nota 57 nostri commentarii in Tabellas, et supra notas 30 et 31. Quapropter in hac rubrica dicitur, quod dies octava Corporis Christi *cedit in occurrentia festis duplicibus I classis primariis ecclesiae universalis,* et rubrica specialis, explicite declarat: huiusmodi festa non esse nisi festa Nativitatis s. Ioannis Baptistae, vel ss. Apostolorum Petri et Pauli.

Igitur in praedicta occurrentia fit quidem commemoratio diei octavi Corporis Christi, sed in ij vesperis, quia in crastino celebratur festum sacratissimi Cordis Iesu, ob huius festi concurrentiam in casus de eo fieri debet commemoratio, ideoque omittitur commemoratio diei octavi, quia non agitur de diversis Domini mysteriis; confer tamen quae fusiori calamo scripsimus supra (nota 66).

(147) Circa vesperas cuiuslibet festi infra octavam Nativitatis Domini occurrentis, vide notam 53 nostri Commentarii in bullam « Divino afflatu », et supra notam 63.

(148) Tempus Adventus et Quadragesimae, sacratissime venerati sunt patres nostri, ideoque nisi agatur officium de tempore, saltem commemorationem fieri de eo statuerunt. Ideo enim habentur pro singulis feriis antiphonae propriae ad laudes et ad vesperas; dicuntur autem feriae maiores, ut vidimus, quia numquam penitus omittuntur.

Procul dubio feriae Quadragesimae nobiliores sunt, habent enim missam propriam, item feriae Quatuor Temporum et ij Rogationum, cum feriae Adventus missam mutuent ex praecedenti dominica.

Rubrica ista docet quod ad vesperas commemorantur tantummodo feriae Quadragesimae et Adventus, non vero Quatuor Temporum et ij Rogationum, quae commemorantur tantum in laudibus; ratio est, quia non habent antiphonam propriam in vesperis, ac proinde, si de eis fiat officium, hoc incipit ad matutinum et cessat ad nonam.

Idem pariter dicendum venit de vigiliis communibus, quarum commemoratio penitus omittitur in duplicibus I classis. Vide quae docuimus in nota 70 Commentarii in Tabellas.

(149) De feriis omnibus, missam propriam habentibus, sicut de vigiliis, legitur quoque ix lectio ad matutinum; oportet enim ut de evangelio missae habeatur consuetum commentarium in homilia, quae proinde complet, ut ita dicamus, commemorationem. Hic vero notatur quod homilia in casu legenda est, ***dummodo in eis idem atque in officio currenti non habeatur evangelium;*** quod evenit ex. gr. quando dies octavus Immaculatae Conceptionis incidit in feriam iv Quatuor Temporum Adventus.

(150) De Commemoratione Omnium Fidelium Defunctorum, vide quae egimus in notis 44 et 45 nostri Commentarii in bullam « Divino afflatu » et supra (nota 58).

(Continuabitur). Dr. P. Piacenza.

Archaeologia Liturgica.

De Stationibus in Ecclesia SS. Cosmae et Damiani.

(Continuatio, V. n. 11 curr. anni, pagg. 655-661)

§ V. — *De Statione Vespertina in Dominica in Albis et de Vesperis Paschalibus.*

Sub nomine *Stationis*, in veteri Romana Liturgia, venit quoque solemnis Summi Pontificis cum romano Clero conventus, ad divinas laudes horis vespertinis in una ex praecipuis Urbis Ecclesiis, celebrandas. Quae divinae laudes, ab hora qua celebrabantur, simpliciter *Vesperae* appellatae fuerunt, et nunc quoque appellantur.

De hac vespertina statione verba repetimus, quae habet *Ordo Romanus, XI:* « Mane statio ad Sanctum Pancratium. Ad Vesperum debet esse Dominus Pontifex ad Sanctos Cosmam et Damianum cum omnibus scholis, ibique cantare Vesperas sicut in die sancti Paschatis, et habere coenam de Ecclesia ipse et omnes Ordines palatii, videlicet panem, vinum, lacteas et lactucas » (1).

In primis, huius stationis determinanda est solemnitas. Haec optime colligitur ex verbis *Ordinis Romani* mox citatis. Talibus notis praedita describitur, ut inter praecipuas collocanda sit.

Solemnitatis notae, quae in ea statione relucent, sunt: *a)* Interventus Summi Pontificis, et quidem « cum omnibus scholis » nempe cum omnibus collegiis Romano Pontifici ministrantium vel inservientium (2); *b)* Ratio servanda in

(1) Mabillonius, *Musaeum Italicum*. Parisiis 1724; T. II, pag. 145.

(2) In *Ordine Rom. XII*, cap. XIX et seqq. quae et quot praefatae scholae seu collegia fuerint recensetur. Mabillonius, *Musaeum Italicum*, Parisiis 1724, T. II, pag. 195 et ss.

vesperis canendis, quae indicatur per adverbium *honorifice;* hac eadem quippe ratione missa canenda praescribitur ad S. Petrum in statione Nativitatis Domini (1); *c*) Terminus comparationis adhibitus, nempe « sicut in die sancti Paschatis », quo certo solemnitatis ratio optime declaratur.

Praesens vespertina statio ad illud profecto *officium gloriosum* pertinet, quod, iuxta Amalarium Metensem, fiebat « circa vespertinales terminos in Paschali hebdomada in Romana Ecclesia » (2), imo est huiusmodi officii solemnis et gloriosa conclusio. Paschalis enim solemnitas, iuxta eundem Amalarium, « per septem dies, quasi una dies celebratur..... et ordine officii sui praedicat nobis illud tempus de quo Christus Iesus dixit in Evangelio Ioannis: *Iterum videbo vos et gaudebit cor vestrum et gaudium vestrum nemo tollet a vobis* » (3).

Admodum interest exponere, quo ordine, hoc *officium gloriosum,* quod Vesperis Paschalibus comprehenditur, peractum fuerit (4). Diversarum Ecclesiarum usus sibi ipsis

(1) Mabillonius, l. c., pag. 125.

(2) Amalarius Meten. *Liber de Ordine Antiphonarii*, cap. LII, Migne P. L., CV, 1295. — Cfr. *Revue Bénédictine*, T. II. pag. 151.

(3) Amalarius, l. c. Migne P. L. CV. 1295. — De singulari harum Vesperarum iucunditate et laetitia, quidam sacri Scriptores, copiose loquuntur. Videri possunt sequentes: Rupertus Abb. Tuitiens. Migne P. L. CLXX, 209. — Sicardus Cremonens. Episcop. Migne CCXIII, 350, et alii infra citandi.

(4) De ratione olim servata in Vesperis Paschalibus peragendis, videri possunt: Durandus *Rationale divinorum officiorum*, L. VI, cap. 89, n. 9 et ss. in edit. Neapol. 1859, pagg. 583 et ss. — Tomasi-Vezzosi, *Opera omnia*, Tom. IV, pag. 95 et ss; Tom. II, pag. 461 et ss. — Mabillonius, *Musaeum Italicum*, Parisiis 1724, T. II, pag. 36 et ss. — Martene, *De Antiquis Ecclesiae ritibus*, L. IV, cap. XXV, nn. XXXIII, et ss. in edit. Antuerp. 1764 T. III, pag. 177 et ss. — *Antiquissimi Vesperarum Paschalium ritus expositio*, etc. Romae 1789, Opella eruditione et luciditate insignis (cuius Auctor est: Philippus Laurentius Dionisi Romanus) quam indicabimus sub titulo: *Expositio*. — Revue Bénédictine: *Les Vespres Paschales dans l'ancienne Liturgie Romaine*, T. VI, pagg. 150-157. Auctor huius praeclarae expositionis indicatur per litteras: D. G. M. eruditis optime notus.

in substantialibus consentiunt, variant tantum in quibusdam minimis adiunctis. Quod ex Romanis Ordinibus et Antiphonariis colligitur, beviter referimus.

In Antiphonario Sanctae Romane Ecclesiae Ordo Vesperarum Paschalium ita statuitur: « Omnes induti sericis indumentis ordinate ingrediuntur Ecclesiam, Crux et thuribulo cum incensa et facula Baptismi (1) praecedente, et stantes in medio Chori Canonicorum, submissa voce, dicunt Nonam, et servato ordine, vadunt ante *Cruces,* cantando novies *Kyrie eleison* usque ad altare B. Petri. Tunc Prior incipit Antiphonam : Alleluia », etc.

Ordo Romanus I de his vesperis habet: « Ad Vesperas diei Paschae sancti, conveniente schola temporius (citius ceteris) cum Episcopis et Diaconibus in Ecclesia maiore ad locum *Crucifixi* (3) incipiunt *Kyrie eleison* et veniunt usque ad altare. Ascendentibus Diaconibus in pogium (4), Episcopi et Presbyteri statuuntur in locis suis et schola ante altare. Finito *Kyrie eleison* annuit Archidiaconus primo scholae, et ille, inclinatus se illi, incipit *Alleluia* cum Psalmo *Dixit Dominus Domino meo* (5). *Ordo Romanus XI* de Summi Pontificis interventu, dicit: « Descendit in basilicam Salvatoris ad secretarium, ubi parum pausat, qui surgens, dicta prius Nona, intrat ad Vesperas, eo ordine sicut in Antiphonario scriptum est » (6).

(1) Videsis apud Durandum quarumdam Ecclesiarum usum in hac processione deferendi quendam serpentem imaginarium cum candela super caput eius. *Rationale Divini Officii,* L. VI, cap. 89, n. 12.

(2) TOMASI-VEZZOSI, *Opera omnia,* Romae 1749, T. VI, pag. 95. — Cfr. DIONISI, *Expositio* etc., pag. (XXXVIII).

(3) « Id est ad locum ubi crucifixi statua seu imago trabi in basilica transversae imposita erat, qui ritus hodie quoque apud nos (in Gallia) servatur, vix apud Romanos ». Ita MABILLONIUS, *Musaeum Ital.,* l. c. pag. 57.

(4) Nempe in eum locum, quem nunc presbyterium vocamus, et ad quem per gradus ascenditur. Cfr. MABILLONIUS, l. c., pag. 17, in notis *b.* et *c.*

(5) Id., ibidem, pagg. 16-17.

(6) MABILLONIUS, l. c., pag. 142.

Non tantum in Ecclesia Romana, sed in aliis quoque locis vesperae paschales a cantu versus *Kyrie eleison* exordiebantur. Martene plurium Ecclesiarum usum ita resumit: « Vesperae plerisque in locis, non a solito versu: *Deus in adiutorium*, incipiebantur, sed eius loco chorus Episcoporum cum solemni pompa in Ecclesiam deducendo cantabat: *Kyrie eleison* » (1).

Quid postea peragendum sequatur, ita breviter perstringit Amalarius: « Notum solemniter est canere matrem nostram Ecclesiam Romanam tres Psalmos ante hymnum Evangelii (Magnificat) et post hymnos duos per diversa altaria diversorum locorum. Saepissime tamen *ad Crucem* et *ad fontes* », etc. (2).

Ex Antiphonario S. Romanae Ecclesiae sequentia de his Paschalibus Vesperis colliguntur: Tres canebantur Psalmi, uti iam innuimus, *Dixit Dominus: Confitebor* et *Beatus vir.* Antiphona pro primo Psalmo erant quatuor *Alleluia;* pro secundo quinque et pro tertio, sex. Inter secundum et tertium Psalmum aliquot versiculi a Primicerio, et a schola Cantorum prima, et secunda, canebantur.

Finito tertio psalmo, sequebatur antiphona in *Evangelium* idest ad *Magnificat*, quae in praefato Antiphonario sic se habet: « *Quia vidisti me Thoma credidisti: Beati qui non viderunt et crediderunt. Alleluia* ». Post Canticum B. Mariae Virginis, sequens indicatur oratio: « *Concede, quaesumus,*

(1) MARTENE *De Antiquis Ecclesiae Ritibus*, L. IV, cap. XXV, n. XXXIII. — TROMBELLI, *Ordo Officiorum Ecclesiae Senensis*, Bononiae 1766, pag. 185; ubi describatur ritus in Senensi Ecclesia adhibitus. — Cfr. DIONISI, *Expositio*, etc., pag. (XLI).

(2) AMALARIUS l. c. Migne CV. 1295. 1295. — Ut ex infra exponendis elucet, duo Psalmi qui per diversa altaria dicendi indicantur, sunt: *Laudate pueri Dominum* et *Magnificat*, pro priori altari; *In exitu* et iterum *Maguificat*, pro secundo altari. Canticum B. V.. ter vel quater dicebatur. — Cfr. TOMASI-VEZZOSI, T. IV, pag. 95; MARTENE, *De antiquis Ecclesiae Ritibus*. Lib. IV, cap. XXV in excerptis ex antiquis plurium Ecclesiarum ordinibus passim; TOMASI-VEZZOSI, *Opcra omnia*. T. II, pag. 466. — TROMBELLI l. c.

Omnipotens Deus, ut qui resurrectionis Dominicae solemnia colimus, innovatione tui spiritus, a morte animae resurgamus. Per eundem » (1).

His expletis, universus Clerus descendebat (2) ad quasdam Capellas seu Altaria, quae ordinarie erant: altare S. Crucis, et altare seu capella Fontis baptisterii (3); vel Sanctae Mariae Virginis.

Per viam ad Sanctam Crucem, sequens in mox citato Antiphonario exhibetur antiphona: « *In die resurrectionis meae, dicit Dominus: Alleluia; Congregabo Gentes et colligam Regna et effundam super vos aquam mundam. Alleluia* » (4). Dictis a Primicerio quinque *Alleluia*, pro Psal. *Laudate pueri*, sequitur antiph. « *Crucifixum in carne laudemus. All. All. All. Et sepultum propter nos glorificemus. All. All. Resurgentem de morte venite adoremus. All. All.* » (5). ℣. *Dicite in nationibus. All.* ℟. *Dominus regnavit a ligno. All.* et iterum canitur: *Magnificat* ac deinde oratio: « *Praesta, quaesumus, Omnipotens Deus, et, qui gratiam Dominicae*

---

(1) Orationes in *Antiphonario* pluries citato, tantummodo indicantur per prima verba et inveniuntur per extensum in *Orationali* inter *Opera omnia* TOMASI-VEZZOSI, Tom. II a pag. 466.

(2) Hunc descensum simpliciter *processionem* vel *processionem solemnem* appellant rerum liturgicarum Scriptores. Cf. DURANDUS, *Rationale divini officii*, lib. VI, cap. 89, n. 10 et ss.; MARTENE, *De antiquis Ecclesiae Ritibus*, l. IV, cap. XXV, n. XXXV et ss. DIONISI, *Expositio*, etc. passim.; *Revue Bénédictine*, T. VI, pag. 151.

(3) Animadvertit Sicardus: « Haec apud canonicos nam apud quosdam monachos, aliter in precibus observatur. Nam, cum Fontes non habeant, fontium non vacant solemnitatibus, nec in vespertinis delectantur stationibus: hae namque sunt Pontificales traditiones et ad pastores plebium pertinentes ». MIGNE P. L. CCXVIII, 351. Non tamen omittebant Monachi processionem ad *Crucem*, seu ad *Crucifixum*. Cf. MARTENE, *De Antiquis Monachorum ritibus*. L. III, cap. XVII, n. 16.

(4) TOMASI-VEZZOSI, *Opera omnia*, T. IV, pag. 95.

(5) Id. Ib., pag. 100, extant prima verba; et pag. 96 invenitur per totum.

resurrectionis agnovimus, ipsi per amorem Spiritus, a morte animae resurgamus. Per eundem etc. (1).

Post haec, processio pergebat ad *Fontes* ibique fiebat statio: In discessu dicebatur antiphona: *Vidi aquam* etc., dicto quinques *Alleluia;* canebatur Psalmus *In exitu,* cum Ant. « *Scio quia Iesum quaeritis crucifixum, surrexit. Alleluia* (2); et iterum *Magnificat* et oratio « *Concede, quaesumus, Omnipotens Deus ut qui peccatorum nostrorum pondere premimur, a cunctis malis imminentibus, per haec Paschalia Festa, liberemur. Per.* » (3).

Cum tamen in Ecclesia SS. Cosmae et Damiani *Fontes* forsan non extarent, loco stationis *ad Fontes* probabiliter, statio fiebat *ad S. Mariam* uti sub hac ipsa die innuere videtur iam citatum Antiphonarium S. Romanae Ecclesiae, in quo de *Sancta Cruce* et de *Sancta Maria* tantum extat indicatio (4).

Pro statione *ad Sanctam Mariam* assignantur: Antiphona: *Regina caeli.* ℣. *Ave Maria.* Alia antiphona: *Venit Maria nuntians discipulis: quia surrexit Dominus. All. All.* (5). Tertio *Magnificat* et oratio: « *Deus, qui per Unigenitum tuum aeternitatis nobis aditum, devicta morte, reserasti, da nobis quaesumus, ut qui resurrectionis dominicae solemnia colimus per innovationem tui Spiritus a morte animae resurgamus. Per eundem* etc. (6).

His finitis, Pontifex et omnes ordines palatii debebant « habere coenam de ecclesia, videlicet panem, vinum et lacteas et lactucas » (7). Quibus *officium gloriosum* seu *Vesperae Paschales* claudebantur.

(1) Id. T. II, pag. 466.

(2) Id., T. IV, pagg. 96 et 95.

(3) Id., T. II, pag. 462.

(4) Id., T. IV, pag. 100.

(5) Id., T. IV, pag. 96, sub indicatione: *In Evang. Ant.*

(6) Id., T. II, pag. 461.

(7) *Ordo Rom. I* pro fine Vesperarum diei Paschatis habet: « Deinde descendunt primates Ecclesiae ad accubita, invitante notario Vice-domno et bibunt ter de *Graeco* semel, de *Pactis* semel, de *Pro-*

Non est cur immoremur in huius stationis *obiectum formale* declarandum: Liturgia enim in ea adhibita, de se luculentissime loquitur: evidens est ad Paschalia mysteria celebranda ordinatam fuisse (1) et magis proprie ad Paschales Vesperas *honorifice* claudendas.

Si quaereretur, qua ratione ducti Romani Pontifices hanc solemnem stationem in SS. Cosmae et Damiani Ecclesia habere maluerint, potius quam in alia, probabile nobis videtur id fecisse occasione translationis ad S. Petrum stationis, quae in eadem Ecclesia, Dominica sequenti, secunda post Pascha, celebrabatur. Intenderunt verisimiliter Summi Pontifices hac vespertina statione, translatam stationem supplere et hoc novo honore, ablatum honorem compensare (2).

Pro tractationis coronide, integre versiculos referimus, in Ecclesiae abside opere musivo expressos; quibus tum Ecclesiae tum SS. Martyrum eximia praestantia celebratur:

AULA DEI CLARIS RADIAT SPECIOSA METALLIS
IN QUA PLUS FIDEI LUX PRETIOSA MICAT
† MARTYRIBUS MEDICIS POPULO SPES CERTA SALUTIS
VENIT ET EX SACRO CREVIT HONORE LOCUS
† OBTULIT HOC DOMINO FELIX ANTISTITE DIGNUM
MUNUS UT AETHERIA VIVAT IN ARCE POLI.

FR. IOSEPHUS ANT., *O. F. M. Cap.*

---

coma semel. Postquam biberint omnes presbyteri et omnes diaconi seu subdiaconi, vel omnes acolythi per singulos titulos redeunt ad faciendas Vesperas (in propriis titulis) et bibent de dato Presbyteri ». MABILLONIUS, l. c., pag. 38. Adnotandum cum eodem cl.mo Editore tum verbo *Graeco* tum aliis *Pactis* et *Procoma* vel *Procovium* loca indicari, ubi hoc genus vini nascebatur; sed de his omnibus videsis pluries citatam opellam: DIONISI, *Expositio*, pagg. (XI) et ss.

(1) Copiose de his mysteriis disserunt: RUPERTUS Abb. Tuitiens. *De divinis officiis*. L. VIII, c. 2. MIGNE P. L. CLXX, 209. SICARDUS Episc. Cremon. *Mitrale*. L. VI, cap. XV, MIGNE, CCXII, 300.

(2) Id innuere videtur RUPERTUS, loco nuper citato, cum occasione huiusmodi Vesperarum Paschalium, Sanctum Gregorium Magnum (erronee) memoret veluti stationis ad SS. Cosmam et Damianum feriae quintae post Dom. III Quadragesimae institutorem.

Consultationes.

Ex Odvorco in Hungaria. — I. Dubium exsurgit, utrum et in Ecclesiis Parochialibus, ubi non adest Chorale Officium, omnes Missae solemnes seu cantatae, prouti et Missae parochiales lectae, utpote non privatae, sed solemnes ad instar Missae conventualis post respectivam Horam canonicam celebrandae sint prouti maxime ex Decr. 4053, IV concludi potest, secundum quod cl. Ab Appeltern, in I tomo Promptuarii S. Liturgiae, in p. 127, dicit: « In Ecclesiis, ubi obligatio adest celebrandi Missam conventualem vel parochialem de die, haec prius celebranda est post horam congruentem Officii, et altera votiva de Festo translato post Nonam? »

Resp. Animadvertendum est in primis, quod Missa parochialis, lecta non aequiparatur conventuali, nisi in quibusdam privilegiis, v. gr. quatuor candelarum in altari, et duorum inservientium, nullimode vero quoad horam. Iamvero, iuxta tit. I, n. 1, *De praeparatione Sacerdotis celebraturi,* Sacerdos celebraturus Missam debet saltem Matutinum cum Laudibus absolvere. Et tit. XV, *De Hora celebrandi Missam,* in n. 1, dicit: Missa *privata* saltem post Matutinum et Laudes quacumque hora, ab aurora usque ad meridiem, dici potest. Neque dici potest: lecta et ex privata causa, ergo non cantata ex privata causa ob solemnitatem, qua Missae conventuali aequiparata est. Quia in sequenti nota eiusdem tituli reipsa Rubrica loquitur de celebratione Missae conventualis, et quidem solemnis. Missae vero solemnes vel simpliciter cantatae non chorales, nullam habent relationem cum canonico Officio. Perpendatur attentius index Decretorum auth., vol. VI, p. 154 et 157 (non post tractum:

Missa conventualis quoad tempus, p. 155), quod memorat et confirmat his verbis Decretum 4053, IV: « Missa cantata vel solemnis, quae Officio diei non est conformis non oportet ut celebretur immediate post aliquam horam canonicam; exceptis tamen Missis, quae vel per Rubricas praecipiuntur, vel ad Commemorationes in Officio diei factas referantur, quae immediate post respectivam horam celebrentur ». Loquitur Decretum de Missa cantata non conformi Officio, sed supponit officiaturam choralem, uti in ipso textu Decreti palam fit, et eruitur ex verbis: *per Rubricas praecipiuntur,* et: *commemorationes in Officio factas,* Rubricae enim nil habent de Missis non choralibus, et commemorationes nequent intelligi factae in privata recitatione. Si R. P. Ab Appeltern scripsit, Missam parochialem esse celebrandam post horam congruentem Officii, id intelligendum est si fiat publicum Officium, et non adsit obligatio Missae conventualis proprie dictae, quia secus neque valeret Missa parochialis in satisfactionem oneris canonici pro benefactoribus, neque dici posset prius vel post Missam conventualem, quam praecedere debet et subsequi hora canonica praescripta, neque intra Officium publicum haberi possent duae Missae de eodem obiecto. *Ephemerides liturgicae,* a. 1903, p. 434, dixerunt: « Missa ex devotione vel quacumque necessitate, et non ex praecepto in Vigilia Pentecostes solemniter vel non solemniter cantata, non est amplius privata, et celebrari debet quacumque hora in ecclesiis, ubi non adest obligatio chori; ubi vero adest chori obligatio numquam ante recitationem Nonae ».

Ephemerides liturgicae, a. 1905, pag. 113, dixerunt: « Etiam ecclesiae, quae ad chorale Officium non tenentur, conformari debent iis quae tenentur, quoad regulas publicae Horarum recitationis, sive quoad horam, sive quoad ritum; ita ut in feriis Quadragesimae nequeant persolvi Vesperae hora consueta post meridiem, etiam Votivae ss. Sacramenti, iuxta Decr. 3675, II ». Ait sane decretum istud, quod in festo S. Ioseph, vel aliorum Sanctorum, in ecclesiis ubi non adest

obligatio, chori Vesperae post comestionem cantari non possint in Quadragesima. Sed oportet considerare, Ephemerides non agere de Missa celebranda extra ordinem Officii, sed de ipso Officio; et tunc, si Officium publice recitatur, praecipitur ut iuxta regulas Rubricarum habeatur. Et cum sub nomine Officii veniat et Missa eidem conformi, si habetur Officium *publice*, Missa quoque ritu praescripto et hora congruenti celebrari debet.

Memoriale rituum Benedicti XIII, pro benedictione candelarum expresse praescribit horam diei tertiam, sicuti et horam nonam pro functione Sabbati Sancti. Ex D. 2616, dictum Memoriale rituum adhibendum est in Ecclesiis Parochialibus, in quibus ob defectum SS. Ministrorum Officium Hebdomadae Sanctae et alia similia modo solemni i. e. *iuxta Missale Romanum* fieri nequeunt, adhibitis tribus quatuorve Clericis. Sed hoc non contradicit sententiae, quam sustinemus; ita debet enim intelligi: si habeatur publicum Officium, functio benedictionis candelarum, incipi debet post Tertiam, et functio Sabbati Sancti post Nonam. Si enim Officium publicum non habeatur, non conciperetur quomodo Rubrica de eo loqui possit, dum ex parte sua parochus aliique ad horas canonicas obligati, nulla alia Rubrica teneantur, nisi illa quam retulimus, de Missa celebranda dictis saltem Matutino cum Laudibus.

II. *Ephemerides liturgicae*, a. 1913, p. 584, quoad Communionem populi, dixerunt: « Poterit etiam id fieri (i. e. Communio) ante vel post Missam cum cantu, etiam solemnem, quam non praecedit aut sequitur Hora canonica ». Quaeritur, utrum hoc valeat tantum pro choralibus ecclesiis? Iuxta meam sententiam, Communio distribui potest extra Missam tantum lectam seu privatam. Iu celebratione Missae conventualis aut solemnis aut cantatae, in omnibus ecclesiis sive choralibus sive non choralibus S. Communio administrari nequit nec ante nec post, ob talem dispositionem in Missali Romano et Caeremoniali Episcoporum. Quare et D. 4177, III, de non administranda Communione ante vel

post Missam solemnem aut cantatam aut etiam Conventualem in Indice v. VI, Decretorum auth., in separato titulo: *Communio (in genere)* invenitur, et quidem, p. 141, et non in p. 155 apud Missam Conventualem quoad ritum; sed hoc loco tantum citatur Communio, sicuti et p. 157 apud Missas solemnes et p. 154, apud Missas cantatas.

Resp. Diximus in loco cit. Ephemeridum, Communionis distributionem populo prohibitam esse, etiamsi non fiat a celebrante sacris Missae paramentis induto, infra choralem officiaturam; posse fieri finita Missa conventuali post Nonam, per alium a celebrante, missalibus paramentis ornato, quia cum Missa finita est choralis officiatura; posse fieri item ab alio a celebrante vel ab ipso prius vel post quam assumit missales vestes, cum de Missa agitur solemni vel cantata non tamen conventuali, nisi expleto Officio; unde convenimus plane cum Rev. Inquirente; et prohibitio *ante* et *post,* si agitur de Missa solemni vel cantata, et conventuali etiam lecta, intelligenda est de Sacerdote missalibus vestibus induto, quocumque in casu; si de solemni vel cantata et conventuali intra vel solummodo ante quam expleatur Officium, etiam de alio sacerdote cotta et stola induto. Aliis verbis: Sacerdos missalibus paramentis ornatus, nequit S. Communionem populo distribuere ante vel post Missam solemnem, cantatam et conventualem; Sacerdos cotta et stola indutus, non potest nisi ubi non fit choralis officiatura, aut ea finita.

III. Utrum clausula derogatoria: *Contrariis quibuscumque non obstantibus,* in Decr. S. C. Concilii circa dies festos extenditur solummodo ad tertiam notam, cui adiecta est, an et ad alias duas praeteritas notas? Nostra regna, Croatia et Slavonia, obtinuerunt, die 19 novembris 1911, clementissime indultum, dies festos suppressos eadem ac antea solemnitate celebrandi in posterum, donec schema codicis Iuris Canonici transmittatur, super quo, praesertim super festorum observantia, suam aperuerit mentem. Interim dictum schema non fuit transmissum. Quare apud nos opinio valet, citatum indultum dies festos de praecepto et

in posterum servandi omnino revocatum esse, ita ut festa iuxta litteras apostolicas diei 2 iulii 1911 celebranda sint.

Resp. Quidquid sit futurum in novo Iure, non videmus quomodo revocatum sit indultum, quod duraturum edicitur donec schema transmittatur, et reipsa non fuit transmissum. Accepto schemate, tunc solum, si novum Ius festa abolita non restituit cessabit indultum. M.

Ex Urbe. — *Quaer.:* Quando in Choro aliqua Officii pars concluditur per *Pater noster* ante Antiphonam finalem B. M. V., an hoc *Pater noster* semper stando recitandum sit a Choralibus?

Resp. Affirmative. Caerem. Episc. (lib. II, Cap. III, n. 15), loquens de Vesperis celebrandis in Ecclesiis Cathedralibus, absente Episcopo, vel in Collegiatis, ea de re sequentia habet: «... Si vero non sequatur Completorium, expletis a Celebrante Orationibus cum suis conclusionibus, ac eodem loci, dicto remissiori voce *Fidelium animae,* etc. et secreto *Pater noster,* et in fine mediocri voce *Dominus det nobis suam pacem,* incipit Ant. B. Mariae, stans ibidem, seu genuflexus, stantibus pariter, vel genuflectentibus omnibus, quando, iuxta regulas Breviarii, standum vel genuflectendum est, pro ratione temporis...». Caerem. Episc. itaque satis manifeste supponit quod post Orationem alicuius Horae Officii cum suis conclusionibus *Pater noster* cum verbis *Dominus det nobis suam pacem, et vitam aeternam. Amen,* eodem modo standum sit ac sub Oratione, et quod deinde Antiphona finalis B. Mariae stando vel genuflectendo recitanda sit pro ratione temporis.

Hoc adhuc clarius patet ex eo quod in recitatione privata, quando quis terminat aliquam Officii partem, addere debeat *Pater noster* post Orationem et ℣. *Fidelium animae,* non autem Antiphonam finalem B. Mariae. Ex eo enim sequitur quod dictum *Pater noster* considerandum sit ut conclusio alicuius partis Officii, non autem ut initium Antiphonae finalis, et consequenter quod illud *Pater noster* re-

citandum sit eodem modo quo dicitur Oratio cum suis conclusionibus, et non eo modo quo dicitur Antiphona finalis.

Auctores, dictum locum Caeremonialis Episcoporum explicantes, passim itidem supponunt omnes in Choro dictum *Pater noster* semper stando recitare. Caeremoniale autem Romano-Seraphicum, a S. R. C. d. 12 augusti 1908 approbatum, n. 115 adhuc magis explicite supponit dictum *Pater noster* stando recitandum esse; dicit enim ibi: « Dicto postea a Celebrante ℣. *Fidelium animae*, etc. profunde iterum inclinati *Pater noster*, etc. secreto recitant ». Et iterum n. 167 idem Caeremoniule dicit: « Si ab Officio desistendum sit (post Vesperas), post ℣. *Fidelium animae* Chorales profunde inclinati dicunt *Pater noster* secreto et ad *Dominus det nobis suam pacem* subiungunt *Et vitam aeternam, Amen.* Dehinc recitant Antiphonam finalem B. Mariae V., stantes vel genuflexi, pro ratione temporis... ».

Ex praedictis satis liquet quod si in Choro aliqua Officii Hora concludatur per *Pater noster* et Antiphonam finalem B. M. V., illud *Pater noster* et ℣. *Dominus det nobis suam pacem*, et ℟. *Et vitam aeternam, Amen*, semper *stando* recitanda sint.

P. V. ab A.

BREVIORA RESPONSA

Pro Verona. — I. Canonici Ecclesiae Cathedralis X dicuntur gaudere privilegiis Praelatorum. Hoc titulo, dum assistunt Missae solemni (nisi haec sit ferialis poenitentialis aut Defunctorum), non genuflectunt, sed stant, non solum ad Psalmum *Iudica* et Confessionem, sed etiam post *Sanctus* usque ad elevationem Ss. Sacramenti: dicunt id exigi a Missali *Rubr. gener., tit. XVII, 5.* Aliter sentit caeremonia-

rius episcopalis, contendens quod, nedum Praelati, sed et Episcopi et Cardinales genuflectere debent immediate post *Sanctus*. — Cuinam parti assentiendum?

Resp. Rubrica Missalis titulo citato XVII, 5 dubitandi locum praestat. Nihilominus sententia communior est ab omnibus genuflectendum esse *ab initio Canonis*, i. e. dicto a Celebrante *Sanctus, usque ad depositionem calicis* post elevationem; in Missis autem paenitentialibus aut defunctorum, usque *ad Pax Domini*. Ita Martinucci, l. II, c. 3, a. 3; A Carpo, P. I, n. 19; aliique plures. Haec est quoque fere universalis praxis Romana. — De Herdt vero *Prax. Pontific.*, l. 2, n. 189, et Bauldry, P. 3, c. 16, n. 15, volunt genuflectendum esse, quando ministri, funalia tenentes, genuflexi sunt a lateribus subdiaconi, i. e. ad *Hanc igitur*. Caeremoniario igitur episcopali parendum est, et ita quoad allatam quaestionem agatur, nisi contraria vigeat consuetudo. Cantu praefationis expleto, cum a ministris et a choralibus trisagium recitatur, clerici funalia gestantes statim in presbyterio accedunt, et eodem tempore cum ipsis chorales genuflectunt.

II. Parochus Ecclesiae N. explicans e suggestu fidelibus quo modo assistere debeant Missae solemni, publice edicit, toto tempore Missae (quae non sit poenitentialis aut Defunctorum) numquam esse genuflectendum, nisi ad Psalmum *Iudica* cum Confessione et ad elevationem Ss. Sacramenti; sedendum esse, cum sedet Chorus; ceterum standum esse, etiam post elevationem. Quod enim stent, ait, est conforme spiritui Ecclesiae et Rubricis; cum statio sit signum et professio solemnitatis. — Quid censendum?

Resp. Nil anormale in monito parochi ecclesiae N. a suggestu fidelibus invenitur. Rubrica missalis numquam de fidelibus in sacris functionibus adstantes sermonem habet, praeterquam in titulo XVII, 2 cum dicit: « Circumstantes autem in Missis privatis semper genua flectunt, etiam tempore paschali, praeterquam dum legitur evangelium ». Ex allata rubrica eruitur tantummodo quod fideles in Missis privatis

conformari se debent ministris inservientibus. Simili modo videtur in Missis solemnibus (nec non in aliis functionibus liturgicis non privatis), fideles adsistentes laudabiliter sese conformari choralibus regulis. Et sane, nonne votum Ecclesiae est quod populus in solemni psalmodia choralibus canticis coniungatur. Et si revera ad cantum liturgicum adsociatur nonne etiam tenetur et cum choralibus se conformari quoad modum standi, sedendi et genuflectendi? Laudandus quinimo videtur zelus parochi ecclesiae N., qui regulas practicas fidelibus in solemnibus adsistentibus praebet, ad uniformitatem inducendam et ad populum suum recto spiritu liturgico imbuendum. Animadvertat tamen, quod genuflexus populus benedictionem in fine Missae recipiat.

D.

Pro Gallia. — In quodam Proprio Dioecesano, noviter a S. R. C. emendato, festum S. Eugendi abbatis, semiduplex, quod, usque nunc, celebrabatur die XIª Octobris, sic se habet in novo Proprio: « 2ª Ianuarii, S. Eugendi Abb. (die assignata ex heri) *semidupl.* ». — Quomodo se gerere debet parochus in ecclesia cuius S. Eugendus est Titularis vel Patronus? Utrum festum patronale assignabitur in Kalendis ianuarii (die natali S. Eugendi) vel die 2ª, vel servabitur in die XIª Octobris? Alii Sancti, in Kalendario dioecesano novo, assignantur etiam, pro futuro, in die diversa ac antea. Festum patronale vel Titulare debetne mutari, sicut in Kalendario Dioecesano mutatur?

Resp. Dies 1 ianuarii respuit omnia alia festa, etiam duplicia 1 classis, quantumvis solemnissima (Not. in tabellas post rubricas Brev. typici 1914, n. 13). Regulare est quod Titularis seu Patronus celebretur die quo in Martyrologio imscribitur; sed quum in casu dies Martyrologii sit 1 ianuarii, et nequeat celebrari, transferetur in primam diem sequentem liberam, quae est 2 eiusdem mensis, eo vel magis quod huiusmodi celebratio cum reliqua dioecesi convenit. Si tamen potissimae rationes suadeant quod festum S. Eugendi servetur die 11 octobris recurratur ad S. Rituum

Congregationem, quae quid agendum sit decernat. Similiter dicendum quoad cetera festa. M.

Pro Belgio. — I. *Quaer.*: quinam sint dies officiales Electionis et Consecrationis S. P. Benedicti XV?

Resp. Iuxta Acta Apostolicae Sedis (vol. VI, pp. 457 et 495) dies Electionis S. P. Benedicti XV est dies 3 septembris, dies vero Coronationis eiusdem Pontificiis iuxta eadem Acta A. Sedis (vol. VI, p. 498) est dies 6 septembris.

II. In Catalogo novi Psalterii habetur elenchus Festorum quae ceu *feriata* sunt celebranda. In eo autem elencho non recensetur Festum S. Silvestri, et in eo invenitur tum Festum tum Solemnitas S. Ioseph Sponsi B. M. V., necnon Festum S. Ioachim Confessoris. Hinc *quaeritur:* an ille elenchus Festorum in praesenti censendus sit uti elenchus Festorum in quibus curam animarum habentes Missam pro populo celebrari debent?

Resp. R.mus Dr. P. Piacenza in Ephemeridibus Liturgicis (an. 1914, pag. 587 et sq.) recte dicit: « Notandum tamen est, quod in hoc Catalogo ponuntur festa feriata sub respectu tantummodo iuris liturgici praelationis, non vero sub respectu iuris Canonici, ex quo parochi applicare debent Missam pro populo ». — Hinc iuxta eumdem auctorem habetur pro parochis obligatio applicandi Missam pro grege:

1°. pro Nativitate S. Ioannis Baptistae die 24 Iunii;

2°. pro Festo S. Ioseph, sponsi B. M. V., die 19 Martii, non autem in eius Solemnitate;

3°. pro S. Ioachim Patre B. M. V., remanet obligatio uti autea, nempe in Dominica infra Octavam Assumptionis;

4°. Item remanet obligatio applicandi Missam pro grege in Festo S. Silvestri.

III. In Dioecesi nostra S. Bavo est Patronus principalis Dioecesis: an in huius Festo omnes curam animarum habentes et in illa Dioecesi commorantes pro grege Missam celebrare debeant?

Resp. Iuxta Const. « Amantissimi Redemptoris » Pii Pp. IX, 3 maii 1858, obligatio applicandi Missam pro po-

pulo a Parochis urget « tum omnibus Dominicis, aliisque diebus, qui ex praecepto adhuc servantur, tum illis etiam qui ex huius Apostolicae Sedis indulgentia ex dierum de praecepto festorum numero sublati ac translati sunt, quemadmodum ipsi animarum Pastores debebant, dum memorata Urbani VIII Constitutio in pleno suo robore vigebat, antequam festivi de praecepto dies imminueruntur, et transferrentur ». — Porro in dicta Constit. *Universa* Urbani VIII d. 13 sept. 1642 inter dies pro Festis de praecepto colendos enumeratur in fine Festum « unius *ex principalioribus Patronis in quocumque regno sive provincia, et alterius pariter principalioris in quacumque civitate, oppido, vel pago, ubi hos Patronos haberi et venerari contigerit* ».

Cum autem S. Bavo ceu Patronus principalis Provinciae Gandavensis considerari debeat, omnes parochi in hac Dioecesi commorantes tenentur in eius Festo applicare Missam pro populo, si nempe, iuxta S. R. C. 28 maii 1897 ad 2, n. 3957, hoc Festum ibi celebretur cum feriatione, saltem de iure.

IV. Die 2 et 4 Ianuarii occurrit in Proprio huius Dioecesis Officium duplex: an in illis diebus nona Lectio Octavae simplicis sit legenda?

Resp. Nona Lectio Octavae non dicitur Antiquae Rubricae in hoc puncto non fuerunt mutatae. Porro quae iuxta auctores antiquae Rubricae doceant, vide inter alios R.mum I. F. Van Der Stappen (*Tract. de Officio divino,* q. 214, II, pag. 373, edit. 3.).

P, V. ab A.

Pro Granata in Hispania. — In fasciculo mensis Iunii labentis anni, inter consultationes, n. II, dicitur in responso, quod inveniri non potuit Decretum *Hispaniarum* 19 Augusti 1802, et merito, nam Decretum a me citatum vel quod citare volui, est 19 Augusti 1902. Interrogavi, utrum post datum Decretum hoc, omitti necne debet in Collecta « *Et famulos etc.* », incisum « *et captivos christianos qui in Saracenorum potestate detinentur* ».

Resp. Si eaedem sunt hodie rationes, quae persuaserunt, anno 1873. Archiepiscopum et Episcopos Provinciae S. Iacobi de Chile, ut peterent abolitionem similium verborum in simili oratione, item S. Sedi exponantur a R.mo Ordinario vel R.mis Ordinariis Hispaniae, ut indultum obtineatur, si S. Sedi opportunum visum erit. De alio decreto, 19 Augusti 1902 nihil dicimus, cum in authentica collectione non inveniatur.

Pro dioecesi Montis Regalis in Sicilia. — I. Ubi oratio habetur XL Horarum, die 2 novembris, ad instar illius quae fit Romae, non prohibetur Missa votiva de Ss. Sacramento pro expositione vel repositione, aut de Pace vel alia praecripta, die medio. Ita Romae fieri continuatum est, etiam post novissimam abolitionem Officii de octava Omnium Sanctorum, et fiet in posterum, nisi a competenti Auctoritate secus indicatum fuerit. Notetur, quod dictae Missae sunt ad instar solemnium pro re gravi, et dicendae cum unica oratione.

II. Circa applicationem Missae pro populo in festis suppressis, recurratur ad R.mum Ordinarium.

Pro Austria. — I. Quoad responsum datum in *Ephem. Liturg.*, n. 9, pag. 561, supra, ad V, ultra quaeritur, utrum Festum S. Gerardi Majella duplex mai. (die 16 octobr.) censendum sit *festum vere proprium* iuxta, Tit. II, 2, litt. *e*), an ex mero indulto S. Sedis concessum.

Resp. Nihil aliud respondere possumus, nisi: applicetur novissima rubrica, circa proprietatem festorum, tit. II, n. 2, litt. *e*); ignoramus equidem, quaenam possint esse relationes inter S. Gerardum et locum pro quo inquiritur.

II. Proximo anno, in festo Ss. Cordis Iesu, commemorandus est in Laudibus et Missa privata S. Apostolus Barnabas. Si vero hoc festum per accidens est *primarium* (utpote quia Titulus ecclesiae) num S. Barnabas in hoc casu commemorandus?

Resp. Semper verum manet, etiam in casu, festum Ss. Cordis Iesu non esse festum Domini primae classis pri-

marium ecclesiae universalis; est quidem, utpote primarium, ecclesiae particularis.

III. Tenor rubricae de Scriptura reponenda vel anticipanda ad id restringi videtur, si agitur de initio alicuius libri.

Resp. Rogamus ut melius se explicet Rev. Inquirens; quia rubrica de Scriptura reponenda habetur etiam v. gr. circa lectiones feriae II post Dominicam Quinquagesimae, quae non sunt de initio, sed *De libro Genesis*, cap. 13.

Pro dioecesi Cephaludensi. — I. Si argumenta alicuius ponderis indicant satis longam consuetudinem, quoad celebrationem Missae votivae de Ss. Sacramento in satisfactionem Legati, diebus ritus duplicis, etiam maioris, et ad instar Missae solemnis pro re gravi, scilicet cum *Gloria*, *Credo* et unica oratione, eadem servari potest; cum recte factum putandum sit, scilicet, cum debita licentia, quod, auctoritate spectante, praesertim sub Visitatione pastorali, introductum et servatum est. Eo vel magis quod excluduntur dies in quibus occurrant duplicia primae vel secundae classis.

II. Circa crucis signum faciendum ad verba Primae *Dominus nos benedicat*, et ad alia *Adiutorium nostrum*, quae praecedunt, servanda est consuetudo; prout edixit S. Rituum Congregatio (Decr. auth., n. 3156). M.

Pro Engolisma in Gallia. — In antiquo officio (duplex) diei octavae S. Ioannis Ap. et Ev., die 3 ianuarii, hucusque nona lectio fuit de S. Eumachio Conf. (simplex) proprio dioeceseos. Iam vero quaeritur an in posterum, non obstante die octava S. Ioannis (simplex iuxta novas rubricas) eadem nona lectio S. Eumachii recitanda sit in officio S. Genovefae Virg. (duplex) proprio Nationis, eadem die 13 ianuarii celebrando?

Resp. Ex novissimis rubricis, non legitur IX lectio de octava simplici, ideoque in festo S. Genovefae, bene potest legi lectio IX S. Eumachii, licet commemoratio octavae simplicis praecedat commemorationem eiusdem sancti.

D.

Index

Capitum et Articulorum cuiusque materiae

huius XXVII Tomi

Decreta SS. Romanarum Congregationum

E S. Rituum Congregatione.

Bellunen. De baptismo domi collato 75
Versalien. De baptismo extra ecclesiam collato . . 130
Dubia. De festo dedicationis et octavis 132
Decretum. De festis localibus quae a religiosis recoli debent 257
Dubia. 271
Decretum. De orationibus Servos Dei cum sanctitatis fama defunctos respicientibus 382
Decretum adprobationis editionis typicae Ratisbonensis Breviarii Romani . . 383
Decretum adprobationis et concessionis circa Officia et Missas de Communi plurium Confessorum Pontificum vel non Pontificum et plurium Virginum vel non Virginum 385
Decretum circa festa propria, quae in aliquibus Religiosorum provinciis, conventibus, monasteriis, aut domibus speciali ratione recoluntur . . . 387
Dubia. 394
Decretum. De orationibus Servos Dei cum sanctitatis fama defunctos respicientibus 449
Decretum. Super insuetos cultus titulos pro ecclesiis et sacris imaginibus non adhibendos 455
Declaratio. De Sanctis vel Beatis alicubi publico cultu honoratis, absque certo S. Sedis decreto vel indulto 458
Decretum seu declaratio circa Propria Officiorum et Missarum 460
Decretum seu declaratio circa Officia propria . . . 462
Dubium de Propriis dioecesanis 464
Decretum de luce electrica super altari non adhibenda 465
Dubium circa festa localia pro Regularibus . . . 519
Alterum decretum seu declaratio super insuetos cultus titulos 521
Decretum adprobationis lectionum pro festis univer-

salis Ecclesiae, quae alicubi commemoratione tantum gaudent 641
Decretum approbationis Breviarii typici vaticani. 705
Decretum. De vi aprobationis Officiorum, quae in Propriis particularibus inscribuntur 706
Dubia 707

E S. Congregatione Concilii.

Missae pro populo et servitii choralis 134

E S. Congregatione S. Officii.

Decretum de indulgentiis et privilegiis expositioni SS. Sacramenti adnexis 184
Decretum seu declaratio circa modum benedicendi quaedam devotionalia Apostolica auctoritate . . 574
Decretum seu declaratio circa sacerdotes delegandos ad absolutionem generalem et papalem benedictionem Tertiariis saecularibus impertiendas . . 575
Decretum seu declaratio circa indulgentiam « toties quoties » Crucifixis adnexam 630
Decretum. Plenaria indulgentia « toties quoties » conceditur in defunctorum solamen die 2 Novembris 632
Decretum seu declaratio de partialibus indulgentiis semel vel pluries in die lucrandis 633
Decretum. Indulgentia centum dierum tribuitur recitantibus quandam laudem in honorem SS. Cordis Iesu . . . . . . *ibi*
Decretum, seu declarationes circa aliquos spirituales favores pio operi Propagationis Fidei concessos 694
Decretum. Peculiares tribuuntur indulgentiae sodalitatibus lectioni S. Evangelli provehendae institutis 695
Decretum, seu declaratio circa inscriptionem et transmissionem nominum fidelium adectorum in pias confraternitates 697
Decretum, seu indultum circa peragendam sacramentalem confessionem ante diem lucrandae indulgentiae constitutum . . . 699
Decretum. Peculiares gratiae spirituales in favorem fidelium societatibus a temperantia vel abstinentia ab inebriante potu adscriptorum decernuntur 700

Appendix ad Caeremoniale Parochorum.

Cap. IV. De Missa solemni de requie 58
Art. I. De Missae celebratione . . . . *ibi*
Art. II. De absolutione defunctorum 61
Cap. V. Articus unicus. De Missa solemni coram SS. Sacramento exposito . . 64
Continuatio 191
Continuatio 254
Cap. VI. De Vesperis solemnibus . . . . . .
Art. I. De iis quae praeparanda sunt 315

Art. II. Ritus servandus in vesperis solemnibus . . 316
Continuatio 377
Cap. VII. De expositione et benedictione SS. Sacramenti.
Art. I. Praenotiones . . . 380
Continuatio 442
Art. II. De ritu benedictionis solemnis cum sacrorum ministrorum assistentia 444
Art. III. Ritus benedictionis solemnis ab episcopo peragenda. §. I. Praenotiones 447
Continuatio 509
§. II. Summaria praesentis functionis expositio . . *ibi*

Acta Academiae Liturgicae Romanae.

I. De Octavis festorum duplicium 2.ae classis . . . 417
II. De praeferentia festorum ob feriationem, vel ob octavam, quibus decorantur 548

Archaeologia Liturgica.

De Statione ad S. Petrum in secunda Dominica post Pascha.
§. 5. De huius stationis obiecto. Continuatio . . 19
Continuatio 85
De Stationibus in Ecclesia SS. Cosmae et Damiani 277
§. 1. Disquisitionis nostrae fontes . . . . *ibi*
§. 2. Quae fuerint Stationes in Ecclesia SS. Cosmae et Damiani celebratae, et quando inceperint . . . 341
§. 3. Quodnam fuerit obiectum formale Stationum Dominicae ante SS. festum, et feriae quintae post Dominicam tertiam quadragesimae 590
§. 4. Quodnam fuerit obiectum formale Stationis secundae Dominicae post Pascha 655
§. 5. De Statione respectiva in Domica in Albis et de Vesperis Paschalibus . . 731

Consultationes.

De quibusnam Sanctis celebrari possunt Missae votivae et quaenam Sanctorum Missae pro votivis sumendae sunt 39
Consultationes variae . . 114
Consultationes variae . . 165
De expositione et benedictione SS. Sacramenti et de throno altari apponendo 222
De Missis votivis et pro defunctis in feriis Missam propriam habentibus . . 224
De sessione tempore Missae cantatae, necnon de scamno a Rubricis praescriptis 225
E Vallendar. 291
E Galicia. 292
Consultationes variae . . 294
E Dioecesi Ebroicensi. . . 297
Ex Archidioecesi Leopoliensi Latinorum 298
E Belgio 300
E Granata (in Hispania) . 368
Pro Hispania 436
E Belgio. De oratione pro defunctis in Missa de feria maiori 489
Pro Moravia. 553
Pro Austria 558
Pro Abula in Hispania. . 564
Pro Galicia. 565

Pro Belgica regione. . . *ibi*
Pro dioecesi Carnuten. . . 566
Pro dioecesi Virdunen. . . 567
Pro Anglia. . . . . . . *ibi*
Pro dioecesi N. 568
Pro Bavaria. 570
Pro N. in dioec. Adrien. . 571
Pro Forolivii. 572
E Granata (in Hispania). . 604
De Tabellis occurrentiae et concurrentiae 662
De coloribus paramentorum 666
De Patrono secundario vel dę Sancto cuius habetur reliquia insignis, qui in Calendario cum Sanctis sociis inscriptus est . . 669
De celebratione Missae in oratorio privato et in altari portatili 673
Ex Odvorco in Hungaria . 738
Ex Urbe 747

Breviora Responsa.

Pro Archidioecesi Olomucensi 44
Pro dioecesi N. 45
Pro loco N. in Galicia . . 46
Pro dioecesi Mechoacan. . 227
Pro dioecesi Carpen. . . 228
Pro N. N. in Moravia . . 230
Pro dioecesi Trifluvianen. 231
Pro Eggenburg in Austria 232
Pro dioecesi Rottemburgen. 239
Pro Archidioecesi Varsavien. 240
Pro Heldenstein in Bavaria *ibi*
Pro Vallendar in Germania 241
Pro Lucana archidioecesi . 307
Pro archidioecesi Olomucensi . . . . *ibi*
Pro dioecesi Baionensi . . 309
Pro dioecesi Mindonien. . *ibi*
Pro dioecesi N. 310
Pro Galicia 311
Pro dioecesi Agrigentina . 312
Pro Eggenburg in Austria *ibi*
Pro dioecesi Elnen. . . 620
Pro Lutetia Parisiorum . *ibi*
Pro Ibaguè 622
Pro Hispania 626
Pro Isernia 682
Pro Neapoli 683
Pro Moravia 684
Pro dioecesi Carpen. . . 685
Pro congregatione M. . . 686
Pro dioecesi Parmen. . . 687
Pro dioecesi Perusina . . *ibi*
Pro dioecesi Lucionen. . 688
Pro C. B. 690
Pro Bononia 691
Pro N. in Hispania . . . 692
Pro Verona 743
Pro Gallia. 745
Pro Belgio 746
Pro Granata in Hispania . 747
Pro dioecesi Montis Regalis in Sicilia 748
Pro Austria . . . . *ibi*
Pro dioecesi Cephaluden. 749
Pro Euzolisma in Gallia . *ibi*

Commentarium

in novissimas Rubricas iuxta Motu-proprio SS. D. N. PII Pp. X " Ab hinc duos annos „ et subsequens S. R. C. Decr. 28 Octobris emendatas.

Proloquium 3
Tit. I. De ratione divini Officii recitandi 13
Continuatio 76
Tit. II. De festorum praestantia 81
Continuatio 143
Tit. III. De Octavis . . 152
Tit. IV. De festorum occurrentia accidentali eorumque translatione . . . 201
Tit. V. De festorum occurrentia perpetua, eorumque repositione 206
Continuatio 321
Tit. VI. De concurrentia festorum 328

Tit. VII. De Commemorationibus 333
Continuatio 397
Tit. VIII. De hymnorum propria conclusione et Versu proprio ad Primam, de SS. Suffragio, de Precibus de Symbolo Athanasiano 403
Tit. IX. De Festis Dedicationis, aliisque particularibus, Ecclesiis propriis . 412
Continuatio 470
Duae Tabellae pro occurrentia et concurrentia festorum 524
Continuatio 577
Continuatio 644
Notanda in praecedentibus Tabellis 712

Dissertationes ac Quaestiones liturgicae.

De reformatione Romani Breviarii et Missalis . . 23
I. De fine a Summo Pontifice proposito in reformatione Romani Breviarii et Missalis . . . . *ibi*
II. De mediis a Summo Pontifice hucusque adhibitis ad praedictum finem assequendum 26
Continuatio 91
III. Quaenam adhuc supersint ut finis a Summo Pontifice propositus plene sit obtentus 95
Supplementum ad dissertationem de quibusdam defectibus in praxi liturgico-pastorali supplendis ac reformandis, item ad sequentes Directionis observationes 97
Quaestiones circa applicationem S. R. C. decretum 28 Oct. 1913 in regionibus ubi viget concordatum Galliae anni 1802 . . . 281
De cantu *Benedictus etc.* post consecrationem . . 287
De cantu *Benedictus etc.* in Missis cum cantu . . 347
Continuatio 424
De novissima Romani Ritualis typica Editione . . 540
Continuatio 599

Specimen Kalendarii Ecclesiae Universalis pro anno Domini 1915.

Vide paginas N. 67-135-193.

Varia de re liturgica.

De iis quae permittuntur et prohibentur in cultu Servorum Dei nondum beatificatorum vel canonizatorum.
Cap. III. De quibusdam abusibus per novissimum Decretum « De Servis Dei » proscriptis 30
Continuatio 108
Continuatio 157
Continuatio 214

Argumenta varia.

Censura liturgica cum relativis responsionibus . . 47
Censura liturgica 179

Index alphabeticus

rerum notabilium quae in hoc XXVIII Tomo continentur

(N. B. Numerus lectorem ad paginam remittit).

A.

Absolutio generalis, Superiores regulares possunt ad *Absolutionem generalem et Papalem benedictionem Tertiariis saecularibus in propriis ecclesiis impertiendam* delegare sacerdotes sui Ordinis *etiam non approbatos ad confessiones audiendas,* S. R. C. decr., 575.

Absolutio pro defunctis, V. *Missa solemnis de requie.*

Alleluia, V. *O Sacrum convivium.*

Altare, de altari *sepulcri Domini* Feria VI in Parasc., 103 — pro *altari portatili,* V. *Missa.*

Anastasius (S.) V. *SS. Vincentius et Anastasius.*

Anniversarium Dedicationis Ecclesiae, V. *Dedicatio.*

Antiphona, non tantum in *privata* divini officii recitatione, sed etiam in *publica seu chorali* servanda est rubrica circa antiphonas, *quae ex primis psalmi verbis constant,* quae in novo Vesperali, Vesperarum initio, die Dominica habetur, 114 — *de antiphonis duplicandis nec ne* in defunctorum officio, *quoties solemniter celebratur,* 683.

Ascensio D. N. I. C., V. *Octava Ascensionis D. N. I. C.*

Aspersio aquae benedictae in Dominicis, *praesente Episcopo* celebrans nequit post aquae aspersionem *pluviale dimittere et casulam sumere apud altare,* 436.

B.

Baptismus, de baptismo *extra ecclesiam collato,* decr. S. R. C., 130.

Bartholomaeus (S.) Ap., festum S. Bartholomaei post Motu-proprio « *Abhinc duos annos* » fixum remanet in Ecclesia universali die 24ª Aug., 12.

Beati, V. *Sancti.*

Benedicite R.me Pater, non sunt inquietandi qui in thuris administratione *dictorum verborum transpositionem faciunt,* 437.

Benedictio Papalis, V. *Absolutio generalis.*

Benedictio SS. Sacramenti, V. *Expositio SS. Sacramenti.*

Benedictus XV, quinam dies *officiales* electionis et coronationis Benedicti Pp. XV, 746.

Benedictus qui venit, in Missis cum cantu *semper post consecrationem cantari debet,* 287 — de huius versiculi cantu *in Missis cantatis,* dissertatio liturgica, 347 — continuatio, 424.

Breviarium Romanum, approbatur eius *editio typica Vaticana,* quae *uno volumine* continetur, *S. R. C. decr.* 705 — V. *Reformatio Romani Breviarii et Missalis.*

C.

Calendarium internationale, de calendarii internationalis reformatione, 628.

Candelae, quot accendendae *in conventuali Missa* iuxta Epp. Caeremoniale, 608.

Canonici, ubi praebendae *distinctae non sunt in presbyterales* etc. aliis canonicis celebrantibus *regulariter ministrare non tenentur,* 436.

Canutus (S.) M., de eius festo iuxta Motu-proprio « *Abhinc duos annos* », 10.

Casula, V. *Aspersio aquae benedictae in Dominicis.*

Collecta « *Et famulos tuos* », an absque inciso « *et captivos* » dicenda sit in Hispania, 747.

Color paramentorum, quaestio de paramentorum coloribus, 666 — de antiquitate usus diversi coloris in ministrorum paramentis in utraque Ecclesia, *ibid.* — quid Innocentius III decrevit in libro « *De Mysteriis Missae* », quando introductus color violaceus, quando adhibendus, et utrum pro nigro adhiberi possit, 667 — quid in controversia prout in casu, 668.

Commemoratio de festo *Conversionis S. Pauli Ap.* in Dominica Sexagesimae facienda est, *S. R. C. decr. ad I,* 707.
Commemorationes, de commemorationibus, 333 — de earum *ordine,* 397.
Commemoratio Omnium Fidelium defunctorum die 2ª Nov. aut subsequenti *excludit festa tum occurrentia,* quae non sint duplicia I cl., *tum festa reponenda cuiusvis ritus,* 321.
Commune plurium Confessorum, V. *Confessores.*
Commune plurium Virginum, V. *Virgines.*
Communio sacra fidelibus in Sabbato Sancto in Missarum solemnibus et etiam Missa expleta distribui potest, S. R. C. decr. ad II, 272, 374 — de quadam consuetudine in S. Communionis delatione ad Moniales infirmas, 374 — de Communione *ante vel post Missam solemnem, cum cantu et conventualem,* in ecclesiis choralibus et non choralibus, 738.
Conclusio propria hymnorum, de hymnorum propria conclusione, et versu proprio ad Primam, 403.
Concurrentia, de festorum concurrentia, 328. — V. *Praeferentia, Tabellae occurrentiae et concurrentiae.*
Confessio sacramentalis requisita ad lucrandas indulgentias sufficit ut peracta sit ultimo octiduo ante diem pro indulgentia lucranda designatum, S. R. C. decr.. 699.
Confessores Pontifices vel non, S. R. C. decretum approbationis et concessionis circa officia et Missas de Communi plurium Confessorum Pontificum vel non, 385.
Confraternitates, circa inscriptionem et transmissionem nominum fidelium adlectorum in pias Confraternitates, decr. S. R. C., 697.
Cosmas (SS.) et Damianus, V. *Stationes.*
Crucis signum, de signo Crucis ad Primam.
Crux, V. *Inventio S. Crucis.*
Cultus Servorum Dei, V. *Sancti, Servi Dei, Titulus.*

D.

Dedicatio, de festo Dedicationis et octavis, S. R. C. decr. 122 — quaestiones circa applicationem decreti S. R. C. diei 28 Oct. 1913 in regionibus ubi viget concordatum Galliae anni 1802, de anniversario Dedicationis ecclesiarum, 281 —

de festis Dedicationis aliisque particularibus Ecclesiis propriis, 412 – V. *Solemnitas externa.*

Dedicatio Basilicarum SS. Petri et Pauli, de hoc festo, 582.

Dedicatio S. Mariae ad Nives, de hoc festo, 583.

Defectus in praxi liturgico-pastorali, de utilitate et necessitate antiquae consuetudinis celebrandi officia divina *in ecclesiis parochialibus, diebus dominicis et festivis,* 97.

Devotionalia, V. *Signum Crucis.*

Dolores B. M. V., de festo VII Dolorum B. M. V. in mense Sept., 113.

Dominica, V. *Reformatio Romani Breviarii et Missalis.*

Dominicae anticipatae, varia circa has Dominicas, 123.

Duplex I classis, V. *Commemoratio Omnium Fidelium defunctorum.*

Duplex II classis, V. *Preces.*

Duplicia maiora primaria, de duplicibus mai. primariis, 582.

Duplicia maiora secundaria, de duplicibus mai. secundariis, 584.

Duplicia II classis secundaria, de duplicibus II cl. secundariis, 577.

E.

Ecclesia, V. *Titulus.*

Eucharistia, de Eucharistia *asservanda pro infirmis* in paroeciis et ecclesiis collegialibus vel cathedralibus *in Triduo Mai. Hebdomadae,* 438 - V. *Communio sacra.*

Evangelium, V. *Vigilia, Sodalitas pro S. Evangelii lectione provehenda.*

Exequiae, de *quadam peculiari ratione* exequias peragendi, 682 — de antiphona *Si iniquitates* et Ps. *De profundis* in fine exequiarum, 684.

Expositio SS. Sacramenti, de *frequentia* huiusmodi expositionum, 103 — de *indulgentiis et privilegiis* SS. Sacramenti expositionibus adnexis, *decr. S. C. S. O.,* 184 — de *expositione et benedictione* SS. Sacramenti, et *de throno* altari apponendo, 222, 380, 442 — *de ritu solemnis benedictionis* cum sacrorum ministrorum assistentia, 444 — ritus dictae benedictionis *ab Episcopo peragenae,* 447 — continuatio, 509.

F.

Feria, V. *Reformatio Romani Breviarii et Missalis.*

Festa mensis Iunii *a die 23ª reordinantur ut prius* per Motu-proprio « *Abhinc duos annos* », 11 — qua die recolenda festa *S. Familiae et SS. Redemptoris,* nec non *festa quaedam B. M. V.,* ubi eiusmodi festa *ratione tituli vel patronatus aut specialis indulti* celebrari adhuc debeant, *decr. S. R. C.,* 271 — de festis *quae cum octava* celebrantur, 664 V. *Commemoratio Omnium Fidelium defunctorum, Dedicatio, Occurrentia, Octava, Praestantia festorum.*

Festa feriata, elenchus festorum, 586 — de festis feriatis *in ordine ad applicationem Missae pro populo,* 746.

Festa localia, de festis localibus *quae a Religiosis recoli debent, decr. S. R. C.,* 257 — circa idem argumentum dubium *cum responsione S. R. C.,* 519.

Festa primaria, *elenchus* festorum primariorum, 585 — festum SS. Cordis Iesu *per accidens primarium* admittit com. S. Barnabae Ap., 748.

Festa propria, *S. R. C. decretum circa festa propria,* quae in aliquibus Religiosorum provinciis, conventibus, monasteriis aut domibus speciali relatione recoluntur, 387.

Festa secundaria, *elenchus* festorum secundariorum, 585.

Festa suppressa, *de honore festis suppressis debito* in parochialibus ecclesiis restituendo, 102.

Festum simplex, V. *Officium.*

Fulgentius (S.), de eius officio pro Hispania, *S. R. C. decr.* ad II, 394.

Functiones parochiales, quae praeprimis in cultu publico *desiderantur ordinandae,* 104.

I.

Ildephonsus (S.), de eius officio pro Hispania, *S. R. C. decr.* ad II, 394.

Imagines, V. *Titulus.*

Indulgentiae, declaratio circa indulgentias « *toties quoties* » Crucifixis adnexas, *decr. S. C. S. O.,* 630 — indulgentia « *toties quoties* » in defunctorum solamen conceditur *die 2ª Nov., decr. S. C. S. O.,* 632 — de pàrtialibus indulgentiis *semel*

vel pluries in die lucrandis, decr. S. C. S. O., 633 — Indulgentia *centum dierum* tribuitur recitantibus quandam laudem *in honorem SS. Cordis Iesu, decr. S. C. S. O., ibid.* — V. *Confessio Sacramentalis, Confraternitates, Propagatio Fidei, Societas ad ebrietates impediendas, Sodalitas pro S. Evangelii lectione provehenda.*

Innocentes (SS.), V. *Octava.*

Inventio S. Crucis, de hoc festo, 577.

Invitatorum, in defunctorum officio *unius nocturni,* tunc tantum dicendum, *quum Nocturnum sub ritu duplici dicitur*, 684.

Ioachim (S.), eius festum recolendum *die 16ª Aug.* iuxta Motuproprio « *Abhinc duos annos* », 11.

Ioannes (S.) Baptista, de cultu S. Ioannis Baptistae et S. Ioseph amplificando, 103.

Ioannes (S.) Evangelista, V. *Octava.*

Ioseph (S.) Sponsus B. M. V. de eius festis iuxta Motu-proprio « *Abhinc duos annos* », 10 — Solemnitas S. Ioseph in Feria IV ante Dominicam III Pascha assignata, *suum feriationis characterem non amisit,* 491 — V. *S. Ioannes Baptista.*

L.

Lectio nona de simplici, *diebus 2 et 4 ianuarii* dicenda est, 747 — item lectio nona de simplici, *die 3 ianuarii,* 749.

Lectiones, *decr. S. R. C.* adprobationis lectionum pro festis universalis Ecclesiae, *quae alicubi commemoratione tantum gaudent,* 641.

Lectiones de Scriptura occurrente in omnibus novem lectionum Officiis in I Noct. iuxta novas rubricas *semper dici debent cum Responsoriis singulis Feriis assignatis,* 14.

Lectiones emendatae, de emendatis lectionibus in quorumdam SS. festis, quae in Proprio Romano nuper adprobato habentur, *utrum sumi debeant vel possint ab omnibus eadem festa celebrantibus, S. R. C. decr.* ad IV, 394.

Lectiones historicae, de lectionibus historicis in Propriis particularibus, *S. R. C. decr.*, 394 — per approbationem Propriorum *praesertim lectionum II Noct.,* nullo modo dici possunt diremptae *quaestiones historicae circa res gestas, S. R. C. decr.,* 706.

Lux electrica, de luce electrica *super altari non adhibenda, S. R. C.,* 465.

M.

Maria Virgo, V. *Dedicatio S. Mariae ad Nives, Festa.*

Missa, de Missae celebratione *in oratorio privato aut in altari portatili,* quaestio, 673 — *quid tradit lex canonica de loco* pro celebrando sanctae Missae Sacrificio, 674 — conditiones pro erigendo *oratorio domestico,* 677 — conditiones *ad ibi celebrandum* appositae, 679 — conditiones necessariae *pro usu altaris portatilis,* 680 — quid dicendum de casu proposito, *ibid.* — V. *Confessores, Virgines.*

Missa cantata, de *sessione* tempore Missae cantatae, necnon *de scamno* a Rubricis praescripto, 225 — V. *Missa solemnis.*

Missale Romanum, V. *Reformatio Romani Breviarii et Missalis.*

Missa parochialis, quaenam, 118, 299 – in paroeciis unam tantum Missam die Dominica habentibus *in hac Missa semper Missa legenda est officio diei respondens,* 119 — V. *Missa solemnis.*

Missa pro defunctis, V. *Missa votiva.*

Missa pro populo, de Missae pro populo applicatione, *decr. S. C. C.,* 134 — V. *Missa parochialis.*

Missa solemnis seu cantata vel parochialis, *quae celebratur sine publico Officio,* non oportet ut celebretur *immediate post aliquam Horam canonicam,* 738 — *de genuum flexione,* tempore Missae solemnis, I et II, 743, 744.

Missa solemnis coram SS. Sacramento exposito, de hac Missa, 64 — continuatio, 190 — continuatio, 254.

Missa solemnis de requie, de hac Missa, 58 — de defunctorum absolutione, 61.

Missa Vigiliae, de Missa *vigiliae Assumptionis* occurrente infra octavam S. Laurentii, 167.

Missa votiva, *de quibus Sanctis* Missae votivae celebrari possunt, 39 — quaenam SS. Sanctorum Missae *pro votivis sumi possunt,* 40 — *mutationes* inducendae, 41 — de Missis votivis et pro defunctis *in feriis Missam propriam habentibus,* 224 — de Missa votiva de SS. Sacramento *ex consuetudine,* 749 — *infra octavam simplicem Nativitatis*

B. M. V. dicenda est pro votiva *Missa ut in festo Nativitatis,* cum *Gloria* et *Credo, S. R. C. decr.* ad II, 707 — de Missa votiva pro oratione XL Horarum, die 2 novembris, 748.

N.

Nativitas B. M. V., quando eius octava, iuxta Motu-proprio « *Abhinc duos annos* » abrogata, sit commemoranda, 12 — ubi est Titulus Cathedralis Ecclesiae, *quo ritu a Regularibus celebranda*, 294.

Nomen (SS.) Iesu, de eius festo *inter Circumcisionem et Epiphaniam* iuxta Motu-proprio « *Abhinc duos annos* », 6 — varia circa hoc festum, 120.

Notanda in Tabellis, V. *Tabellae occurrentiae et concurrentiae.*

O.

Occurrentia, de festorum *accidentali occurrentia* eorumque *translatione,* 201 de festorum *occurrentia perpetua* eorumque *repositione,* 206 — continuatio, 321 — V. *Praeferentia, Tabellae occurrentiae et concurrentiae.*

Octava, de octavis SS. Stephani, Ioannis Ev. atque Innocentium *ad simplicem ritum redactis,* 9 — varia *de octava Ascensionis* ad gradum *octavae privilegiatae* evecta, 125 — *varia* de octavis duplicium II cl., 126 — de octavarum *praeferentia,* 152 — de octavis festorum duplicium II cl., *quaestio,* 417 — *quo ritu* antiquitus celebrabantur *octavae Sanctorum,* 428 — utrum expediat *ut abrogentur octavae festorum II classis,* et saltem de die octava aliquomodo celebrari conveniat, 422 — an consulendum sit, quod diebus infra octavas I cl. *non fiat officium de festo,* sed *de psalterio,* iuxta novas Rubricas 423 — V. *Festa Nativitatis B. M. V., Preces Reformatio Romani Breviarii et Missalis.*

Officia de Communi plurimorum Confessorum Pontificum vel non Pontificum, et plurium Virginum et non Virginum, *nequeunt inseri Breviario rom.* sed tantum *Propriis Officiorum, S. R. C. decr.* ad III, 707.

Officia divina in Ecclesiis parochialibus, V. *Defectus in praxi liturgico-pastorali.*

Officium, *quomodo persolvendum* in dupl. et semid. iuxta Motu-proprio « *Abhinc duos annos* », 76 — quomodo persolvendum *officium S. Mariae in Sabbato et in festis simplicibus,* 77 — in omnibus officiis ritus simplicis *Psalmi ad Matutinum sine interruptione dicuntur,* 78 — de Sanctorum officiis *ratione corporis aut insignis Reliquiae,* 302 — circa officia propria *decretum seu declaratio S. R. C.,* 462 — V. *Confessores, Propria officiorum et Missarum, Psalmi, Virgines.*

Officium de Dominica, V. *Reformatio Romani Breviarii et Missalis.*

Officium defunctorum, V. *Antiphona, Invitatorium, Orationes.*

Oratio imperata, de oratione imperata *quae est de eadem persona,* si de ea legitur Missa, 165.

Orationes, quot et quaenam dicendae in defunctorum officio, *si pro uno persolvatur defuncto extra dies privilegiatos,* 686.

Oratio pro defunctis, de oratione pro defunctis *in Missa de feria maiori,* 489.

Oratorium, V. *Missa, Titularis.*

O Sacrum convivium, quando huic antiphonae ac relativis versiculis *addendum est Alleluia,* 116.

P.

Paramenta, V. *Color paramentorum.*

Pater noster, ante antiph. finalem B. M. V. *semper stando recitari debet,* 742.

Patronus, *an et quando* iuxta novas Rubricas *nominari possit ad litteram N.* in oratione *A cunctis* in Suffragiis de Sanctis, 370 — festa Patronorum principalium *quo ritu et a quibus celebrari debent,* 470 — *quando* Patronus loci *separandus a sociis* in eius festi celebratione, si cum aliis Sanctis in Calendario inscriptus inveniatur, 478 — varia de Patronorum festis, 689 — de Patrono *secundario,* vel de Sancto *cuius habetur Reliquia insignis,* qui in calendario cum Sanctis Sociis inscriptus est, 669 — V. *Festa.*

Petrus (SS.) et Paulus Apostoli, V. *Dedicatio Basilicae SS. Petri et Pauli.*

Pluviale, V. *Aspersio aquae benedictae in Dominicis.*

Praeferentia, de *ordine praeferentiae* officiorum in occurrentia,

401 — ordo *in concurrentia*, 402 — de festorum praeferentia *ob feriationem, vel ob octavam*, quibus decorantur, *quaestio*, 548 — *quae festa celebrata fuerint cum feriatione, et quae cum octava*, diversis temporibus, 549 — utrum festum habens feriationem vel octavam, *aliquando ius praelationis obtinuerit super alia festa eiusdem ritus*, 551 — *quibus causis*, in novissimis Rubricis, *feriatio* etiam in foro sublata vel reducta, *et octava, notam exhibeant praelationis*, posthabibita ratione *primarii* vel *secundarii* et *dignitatis personalis, ibid.*

Praesentatio B. M. V., de hoc festo, 584.

Praestantia festorum, de festorum *praestantia*, 81 — continuatio, 143 — ratio *primarii* et *secundarii*, 145 — ratio *dignitatis Personalis, ibid.* — de *proprietate* festorum, 146 — V. *Octava*.

Preces, ad Primam et Suffragium *omitti non debent infra octavas duplicium II cl.* post decr. S. R. C. 28 Oct. 1913, 292 — de precibus, 403, 408.

Prima, V. *Versus proprius ad Primam*.

Propagatio fidei, spirituales favores pio operi Propagationis fidei concessi, *decr. S. R. C.*, 694.

Propria diocesana, de Propriis diocesanis, *dubium cum responsione S. R. C.*, 464.

Propria Officiorum et Missarum, circa haec Propria, *decr. seu declaratio S. R. C.*, 460 — V. *Officium*.

Propria particularia, V. *Lectiones historicae*.

Psalmi, in recitatione divini officii iuxta Romanum ritum, *quotidie sumendi sunt de occurrenti hebdomadae die, ut in Psalterio*, n. 1., 13 — *excipiuntur* quaedam festa novem lectionum, n. 2, *ibid.*

R.

Reformatio Romani Breviarii et Missalis, *de fine a S. Pontifice intento* in huiusmodi reformatione, 23 — *de mediis adhibitis* ad finem praedictum assequendum, 26 — *de primo gradu* emendationis Romani Breviarii et Missalis, *ibid.* — de huiusmodi reformatione, *dissertatio liturgica*, 91 — *de Responsoriis de Tempore* post lectiones de Scriptura, *ibid.*

de Dominicarum officiis servandis, 92 — *de octavarum celebratione*, 93 — de Missis *Dominicarum et Feriarum*, 95.

Regulares, V. *Absolutio generalis, Festa localia, Nativitas. B. M. V., Patronus.*

Religiosi, V. *Regulares.*

Reliquia insignis, V. *Patronus.*

Remigius (S.) eius festum ex Motu-proprio « *Abhinc duos annos* » *simplex de praecepto remanet*, n. 11, 12.

Repositio festorum, V. *Occurrentia.*

Responsorium, V. *Lectiones de Scriptura occurrente, Reformatio Rom. Breviarii et Missalis.*

Rituale Romanum, de *novissima* Ritualis Romani *typica editione*, 540 — continuatio, 599.

Rosarium B. M. V., eius festum Motu-proprio « *Abhinc duos annos* » *assignatum in posterum remanet* in Calendario universalis Ecclesiae *die 7a Oct.*, 12, 580.

S.

Sabbatum Sanctum, de *quadam peculiari consuetudine* in Missa solemni huius diei, 440 — V. *Communio sacra.*

Sacramentum SS., V. *Expositio SS. Sacramenti, Missa solemnis coram SS. Sacramento exposito.*

Sancti, de Sanctis vel Beatis alicubi publico cultu honoratis, *absque certo S. Sedis decreto, S. R. C.*, 458.

Sanguinis D. N. I. C. festum, Motu-proprio « *Abhinc duos annos* » assignatur *diei 1ae Iulii*, n. 7, 11, 578.

Scamnum, V. *Missa cantata.*

Sepulchrum Domini, V. *Altare.*

Servi Dei, de quibusdam abusibus per novissimum decretum « *De Servis Dei* » proscriptis, 30 — de iis *quae permittuntur et prohibentur* in cultu Serverum Dei *nondum beatificatorum vel canonizatorum*, 109 — titulus *Venerabilis* a Servis Dei abiudicatur, *et permittitur tantum, post editum decretum super heroicitate virtutum vel super martyrio*, 157 — *solemnia prohibentur occasione editi Decreti* tum super causae Introductione, tum super heroicitate virtutum vel martyrio, 161. — *orationes panegyricae* in honorem Servorum Dei *prohibentur*, 215 — *de orationibus* Servos Dei *cum sanctitatis fama defunctos* respicientibus, 382 — *decretum S. R. C.* 449.

Servitium chorale, de chorali servitio in festis translatis iuxta Motu-proprio « *Supremi Disciplinae* » *decretum S. R. C.*, 134.

Sessio in Missa cantata, V. *Missa cantata.*

Signum Crucis, de usu unici crucis signi *in benedicendo devotionalia* Apostolica auctoritate, *decr. S. C. S. O.*, 574.

Silvester (S.) Papa, de eius festo et octava in Ecclesiis *quarum est Titularis,* post Motu-proprio « *Abhinc duos annos* » n. 12, 12.

Societas ad impediendas ebrietates, peculiares gratiae spirituales in favorem fidelium huic piae Societati adscriptorum, *decr. S. C. S. O.*, 700.

Sodalitas pro S. Evangelii lectione provehenda, peculiaribus indulgentiis ditatur; *dec. S. C. S. O.* 695.

Solemnitas externa, varia *circa solemnitate externa festorum,* quae hucusque in Dominicis celebrantur, 122 — de externa solemnitate *Dedicationis* post decretum 28 Oct. 1913, 298.

Solemnitas S. Ioseph, V. *S. Ioseph.*

Statio ad S. Petrum, de Statione ad S. Petrum, *in II Dominica post Pascha,* 19 — continuatio 85.

Stationes, de Stationibus in Eccl. *SS. MM. Cosmae et Damiani,* 277 — disquisitionis fontes, *ibid.* — *quae fuerint Stationes* in Eccl. horum Sanctorum celebratae, et *quando inceperint,* 341 — quodnam fuerit *obiectum formale Stationum* Dominicae ante SS. festum, et *feriae quintae* post Dominicam tertiam quadragesimae, 590 — continuatio, 655 — *de Statione vespertina* in Dominica in Albis et *de Vesperis Paschalibus,* 731.

Stephanus (S.) Protom., V. *Octava.*

Stola, eius usus super cottam *absolute prohibitus censendus est pro simplicibus Sacerdotibus* in processionibus vel solemnibus totius cleri conventibus, 687.

Suffragium, de SS. Suffragio, 403, 408 — V. *Preces.*

Symbolum, de Symbolo in Missa infra octavam Nativitatis B. M. V., 292.

Symbolum Athanasianum, de Symbolo hoc, 403, 407.

T.

Tabellae occurrentiae et concurrentiae, de his tabellis, 524 — *quaestio* super has tabellas, 662 — *quare et quando inductus fuerit usus* in Breviario Rom. *huiusmodi tabellarum, et*

an regulae, quae in ipsis inveniuntur, *servandae sint ex praecépto, ibid.* — qua de causa *antiquitus duae tabellae habebantur,* et nunc *tres editae sint* in novissimis Breviariis, 613 — *quomodo in casu inveniendae sint regulae* tam in occurrentia quam in concurrentia *pro festo et octava S. Christophori Titularis,* 664 — *Notanda in praecedentibus tabellis,* 712 — commentarium in *Notanda,* 716.

Tertiarii saeculares, V. *Absolutio generalis.*

Tertius versus, de *mutatione* tertii versus in hymno « *Iste Confessor* » in festis quorumdam Sanctorum, *censura liturgica,* 179.

Thronus Expositionis SS. Sacr., V. *Expositio SS. Sacramenti.*

Titularis, de Titularium festorum ritu *in oratoriis semipublicis,* 47 — de Titulari *oratorii semipublici,* 291 — de *quanam Ecclesia seu Oratorio* Titularis festum celebrandum sit, 368 *a quonam* Titularis Ecclesiae vel oratorii *recolendus sit,* 369 — *super insuetos cultus titulo* pro Ecclesiis et sacris imaginibus non adhibendos, *S. R. C. decr.* 450, 521. — V. *Dedicatio, Festa, Nativitas B. M. V., SS. Vincentii et Anastasio.*

Translatio festorum, de translatione dierum festorum statuta Motu-proprio « *Supremi disciplinae* » *decr. S. C. C.,* 134 — V. *Occurrentia.*

Trium puerorum, de hac antiphona *duplicanda* quodam in casu, 166.

V.

Velum, V. *Sabbatum Sanctum.*

Versus proprius ad Primam, de hoc versu, 403.

Vesperae solemnes, de Vesperis solemnibus, 315 — ritus servandus, 316 — continuatio, 377.

Vigilia, de Evangelio Vigiliae *in fine Missae de feria,* 116.

Vincentius (SS.) et Anastasius, ubi S. Vincentius Levita Titularis est Ecclesiae cathedralis, de S. Anastasio commemoratio fiat *in Laudibus et in Missis privatis,* 296.

Virgines et non Virgines, S. *R. C. decretnm* approbationis et concessionis circa Officia et Missas *de Communi plurium Virginum et non Virginum,* 385.

BIBLIOGRAPHIA

Sac. Prof. VINCENZO TIROZZI. **Il Sinodo Diocesano** – Aversa, Vol. pag. 110 L. 1.25.

Prodiit in lucem quartum opus liturgicum, exaratum a clarissimo et reverendissimo Professore Vincentio Tirozzi, Caeremoniarum Magistro Ecclesiae Episcopalis Aversanensis, sub titulo: « Il Sinodo Diocesano ». Peculiarem laudem meretur praesens monographia, utpote quae, sicut de antecedentibus eiusdem operibus dignam mentionem fecimus, mirum in modum redacta fuit, sive quia stylo claro et simplici, peritissimus scriptor sanam doctrinam explicat circa hanc episcopalem functionem, tam magni momenti, sive quia praxim moderatur, quae, ut experientia compertum est, magnam partem exigit in huiusmodi tractationibus.

Hanc opellam valde utilem indicamus cuilibet episcopo, qui in sua dioecesi velit Synodum indicere. In eadem, absque nimio temporis dispendio, et, quod magis interest, remotis fastidiis, eas omnes dispositiones ac praescriptiones reperiret, quae felicem ac promptum Synodi Diocesanae exitum coronarent. Quapropter optimo huic amico summopere gratulamur, eique omne bonum a Domino adprecantes, votum ex animo exprimimus, ut aliud novum opus, non dissimilis generis, aggrediatur, quod sapientissimas Ecclesiae institutiones facili methodo ac brevi, clare explicet, easque sine difficultatibus, in praxim deducendas curet.

PROPRIETAS LITERARIA

IMPRIMATUR
Fr. ALBERTUS LEPIDI O. P., S. P. A. Magister.

IMPRIMATUR
FRANCISCUS FABERJ, Vicariatus Urbis *Adsessor*.

AUGUSTUS ZUCCONI, Director Domus editricis Desclée et Soc., Romae, *Sponsor*.

Ex Officina Polygraphica Latiali, Fratrum Tempesta, Via Boccaccio, 7 - Roma